TOMUS TERTIUS

R. P. RICHARDI ARSDEKIN

Soc. IESV Sac. Theol. Profeſſoris

APPARATUS

DOCTRINÆ SACRÆ

COMPLECTENS

MATERIAM ET FORMAM EXPEDITAM,
Pro quavis Dictione, Concione, & tota Catecheſi, per exquiſitam expoſitionem, & ſelectiſſima exempla: cum Praxi ſolida aſſiſtendi per omnia ægris, & ſanis: ac documentis particularibus pro quolibet hominum ſtatu:

ITEM

PRO IPSIVS SACERDOTIS VITA,
& Converſatione pro ritibus ſingulorum Sacramentorum:

PRO QVACVNQVE FVNCTIONE
Miſſionarii Apoſtolici ac Curatoris animarum.

JUXTA INDICEM SEQUENTEM.

VENETIIS, M. DC. IC.

Apud Jo: Jacobum Hertz.

DE SUPERIORUM LICENTIA, & PRIVILEGIO.

INDEX GENERALIS

Titulorum præcipuorum hujus Tomi Tertii, cum Augmentis novis & multiplicibus in decurſu hujus Editionis.

PARS I. Apparatus & praxis FORMÆ pro Doctrina ſacra proponenda.

Caput 1. *Praxis pro artificio Memoriæ & diſpoſitione Dictionis.*

Cap. 2. & 3. *Pro Voce, pro Geſtu.*

Cap. 4. *Pro Exordio formando, & efferendo notanda.*

Cap. 5. & 6. *Pro Narratione, pro Confirmatione eiuſque amplificatione & ornatu.*

Cap. 7. *Pro Dictionis Epilogo, ſive Peroratione.*

PARS II. Apparatus MATERIÆ ad Doctrinam ſacram: Redactus, *ad Titulos particulares Virtutum, Vitiorum, Quæſtionum, Exemplorum &c. per totum Alphabetum.*

Addita nunc Sententiæ in omni genere ſelectiſſimæ ad ſingulos Titulos prædicti Alphabeti, ibid.

Praxis Dictionem totam conficiendi ex Apparatu præcedenti, & ſequenti in Doctrina Chriſtiana, & tota hac Theologia Tripartita.

Evangelia, Conceptus, Puncta, & Materia diſpoſita per ſingulas Dominicas totius Anni.

Idem præſtatur in ſequentibus per omnia Feſta totius anni.

Additus nunc novus Conceptuum apparatus ad omnes totius Anni Dominicas, & Feſta.

PARS III. Summa Doctrinæ Chriſtianæ.

Cum elucidatione, & ſelectis exemplis nunc primum adiectis.

Praxis tradendi Doctrinam Chriſtianam, & obligatio Curatorum.

Exempla moderna *Conſtantiæ Chriſtianæ inter perpetuas pro fide perſecutiones, præſertim in Anglia & Hibernia.*

PARS IV. Praxis aſſiſtendi Aegris & Moribundis, & aliis in quovis ſtatu.

§. 1. *Quid Confeſſario in primo ad ægrum acceſſu curandum.*

§. 2. *Remedia inducentia ad reſignationem contra nimium mortis horrorem.*

§. 3. *Incitamenta ad patientiam contra morbi dolores.*

§. 4. *De Exercitio Fidei, Spei, & Fiduciæ in Deum.*

§. 5. *De Exercitio Amoris in Deum, & perfectæ Contritionis.*

§. 6. *Actus varii contritionis & amoris Dei ſuper omnia.*

§. 7. *Praxis eadem per breves interrogationes, quando æger loqui vix poteſt.*

§. 8. *Ad ſacrum Viaticum preparatio.*

§. 9. *Ad extremam Unctionem diſpoſitio:*

Teſtamentum hominis Chriſtiani complectens actus ad ſalutem ſecuriſſimè diſponentes.

PARS V. Praxis aſſidua meditationum pro Sacerdote, ad vitæ & functionum ſuarum perfectionem.

Pro die Dominico: Conſiderationes de dignitate & obligatione Sacerdotis.

Die Lunæ: De virtutibus, zelo, & ſcientia quæ debent ineſſe Sacerdoti.

Die Martis: De Charitate ad imitationem Chriſti Sacerdoti neceſſaria.

Die Mercurii: De puritate vitæ & caſtitate in Sacerdote maximè requiſita.

Die Iovis: Praxis devotè Miſſam celebrandi.

Die Veneris: Praxis horas canonicas devotè recitandi.

Die Sabbathi: Conſiderationes & exempla divinæ vindictæ in Sacerdotes indignè celebrantes &c.

PARS VI. Praxis varia, ac ſelectiſſima aſſiſtendi cuiuis Proximo in quovis ſtatu.

Cap. 1. *Remedia & documenta contra ſingula peccata in particulari: Per 5. Titulos deducta.*

Cap. 2. *Praxis converſationis & inſtructionis pro quovis hominum ſtatu ac neceſſitate: Per 14. Titulos ſingularibus documentis adornata.*

Horum §. 1. *Materia & modus tractandi cum Hæreticis.*

§. 2. *Cum Patribus familias.*

§. 3. *Cum Mulieribus, maximè coniugatis.*

§. 4. *Cum Viduis.*

§. 5. *Cum Virginibus ac Monialibus.*

§. 6. *Cum Pauperibus.*

§. 7. *Cum Conſuetudinariis & obſtinatis.*

§. 8. *Cum foventibus inimicitias.*

§. 9. *Cum verſantibus in Tribulatione.*

§. 10. *Cum afflictis ex morte amicorum.*

§. 11. *Cum afflictis ex bonorum iactura.*

§. 12. *Cum ſuſtinentibus honoris detrimentum.*

§. 13. *Cum Captivis.*

§. 14. *Cum damnatis ad mortem &c.*

Cap. 3. *Ritus omnes neceſſarii pro adminiſtratione ſingulorum Sacramentorum, quo Curatorem animarum: per 6. Titulos.*

Additamenta alia recentiora ſequentur de nupera morte glorioſa duorum Præſulum Hiberniæ aliorumque & variis ad viri Apoſtolici uſum ſingulariter accommodatis.

PARS PRIMA
APPARATUS
ET PRAXIS FORMAE
PRO
DOCTRINA SACRA
IN CONCIONE PROPONENDA.

CAPVT I.

Praxis pro artificio Memoriæ, & Diſpoſitione Dictionis.

I. Conſultum eſt, ſi otium ſuppetat, præſertim pro incipientibus, totam Dictionem ſcripto deducere, & in tria aut plura puncta dividere, & memoriæ cauſa ſingula puncta concludere cum aliqua Sententia, quæ habeat aliquam connexionem cum Initio punctis ſequentis.

Pro Concionatore impedito, aut multùm exercitato, neceſsè eſt puncta ſaltem ſummatim annotare, ſcribendo breviter præcipua capita & membra ſui diſcurſus; ut eſt ſententia, exemplum, ſimilitudo, & ſcopus ſive fructus ad quem intendit Auditores permovere.

II. Artificium autem memoriæ conſiſtit in Imagine quadam rei dicendæ certo loco per imaginationem cõſtituenda, quæ dum recolitur, materiam, cum qua ſimilitudinem habet, facilè in memoriam reducit. Ex.gr. Concipis Aulam aliquã cuius omnes partes, & partium ordinem optimè notum, & perſpectum habes. Si prima pars tuæ dictionis agat, v.g. de Navigatione huius vitæ ad portũ ſalutis ęternę, ponis per Imaginationẽ in primo loco iſtius Aulæ, Anchoram è tenui filo pendulam, ut ea cognita, materia tua quæ eſt de navigatione, memoriè occurrat. Si ſecunda pars ſit v.g. de Militia hominis cõtra tẽtationes mundi, pro ea ſecundo loco ſtatuis militem gladium vibrantẽ. Si tertia pars ſit, de Victoria tentationũ, tertio loco appendis coronam: & ſic pro reliqua materia, apponenda eſt imago aut ſignum, quod iudicas maximè idoneum ad ſuſcitandum vivam ſequentis materię memoriã Et ideò utendum eſt imaginibus vividis, & aliquid agentibus, quæ poſſint animũ tuum vivaciter ferire.

III. Alia praxis eſt, in margine dictionis deſcriptæ, quinque aut ſex locis appingere quales dixi notas, cum diverſis materiæ partibus connexas; aut, quod faciliùs eſt Vocabula diverſa in margine ſcribere, quę ordinem & diverſitatem materiæ ſignificent. Poſſuntque ea vocabula in unam ſententiam, aut verſum redigi, ut, ſicubi memoria fallat, ſententia illa indicet quouſque ventum ſit, & quid ſequi debeat. Exemplum talis verſus, aut ſententię ſit, ſi diſpoſuiſti materiam de humilitatis præſtantia: & illa v.g. fuerit 1. quam Deo grata, 2 quam homini iucunda, 3. quam utilis ſaluti æternæ: Redigas puncta illa ad unum brevem verſiculum, aut ſententiam v.g.

Creata Deo, jucunda homini, hortuſque ſalutis; aut ad quamcumque idoneam ſimili ordine familiarem tibi ſententia, & ſic in quavis materia, inde experieris à decurſu materiæ præparatæ memoriam non facile aberraturam.

IV. Si plura nomina propria certo ordine cupias retinere, redigantur ad voculam unicam, in qua tantum litteræ primæ ſingulorum nominum ſuo ordine contineantur. Exempli gratia, ut retineantur nomina, & ordo partium præcipuarum S. Scripturæ reducuntur ad hoc breve vocabulum, *G E L N V D E*. G. Geneſis, E. Exodus, L. Leviticus, NV. Numerorum, D. Deuteronomium, E. Evangelia Chriſti quatuor.

Sed quid ſi quis, fallente, aut turbata indictione memoria, nihil omninò meminerit eorum quæ ad dicendum paruit? remedium occurrendi tali accidenti præcipuum erit, paratum antea ſemper habere locum unum communem ad quem poſſit ex tempore recurrere. Talis præcipuè locus eſſe poterit de *gloriæ cæleſtis*, felicitate, æternitate, poſſeſſione omnis boni jucundi, utilis honeſti, & carentia omnis mali omnium ſenſuū qui continentur hoc verſiculo: *Guſtus, odoratus, auditus, viſio, tactus*, ut infra v. Gloria. Vel de *Infernis pænis* æternis ſingulorum iſtorum quinque ſenſuum: quæ duo poſſunt ferè cum quacunque materia connecti; ſin minus, melius eſt carere connexione quam omni dictione, ex duobus autem mali minus eſt eligendum.

CAPVT II.

Pro Voce.

I. Curandum ut vox accomodetur loco, ut in parvo non ſit nimis alta, aut in magno nimis demiſſa, utrumque diſplicet.

II. Si vox nativa ſit imbeccillior, oportet carò aſſurgere, aut affectui violento indulgere, ſed familiari tono oratio vitanda eſt.

III. In exordio utendum voce clara, & æquabili, ſed ſine affectatione, aut cantillatione. In narratione magis attollitur & variatur. In cōfirmatione ſit acrior, & incitatior, docendo, interrogando, diſputando, increpando, ad varios affectus vocem inflectendo, quantum vires ac materia patietur.

IV. Epilogus ſi inſtituatur ad precandum, vel placandum, vox ſit ſuavis, & lenis. Ad miſerandum flexaminis. Ad lætandum plena & ſonora. Ad hortandum aut terrendum concitatior eſſe debet.

V. Vt hanc vocis varietatem diſcas & exerceas, optimum eſt conſulere ipſam naturam, & obſervare quo tono paſſim utantur homines dum iraſcuntur, dum rogant, dum dolent, dum lætantur, &c. & quæ magis placent, tuæ voci quantum fieri poteſt accomodare.

VI. Maxima dictionis parte conſultum eſt uti voce media, ac moderata, ſic facilius dabitur aſcenſus, deſcenſus, ac vocis mutatio: nunquam enim in eodem tono diu perſiſtendum eſt, ſed obſervanda ſedulò crebra vocis mutatio, ut evitetur monotoniæ vitium, ingratiſſimum.

VII. Portò hæc ſummatim obſervanda. Vt caveatur nimia tarditas, quæ dictionem reddit languidam: Nec minus cavenda nimia linguæ volubilitas, quæ verba truncat, & confundit ne ſinguli ſenſus debitè intelligantur. Curandum quoque diligenter ut ultimæ ſyllabæ exprimantur, quæ à multis abſorbentur, aut indecore conglobantur.

VIII. Denique ad evitandam confuſionem, ſingulos ſenſus dicendo interpugnat, & in fine periodi ſemper modicè reſpiret, & ſpiritum colligat, ac vocem mutet: quod plurimum, & dicentem reficiet, & audientem afficiet.

CAPVT III.

Pro Geſtu.

Geſtu, vox quædam eſt totius corporis, ideoque pro geſtu moderando accommodari poſſunt ea, quæ de voce diximus.

I. In principio dictionis ſtet erectus & immotus, ſpectet modeſtè Auditores, manus in pulpitum protendat, oridinatur modeſtè auditoribus honorem, de more cum quadam corporis inclinatione, exhibendo. Manus autem non niſi leniter, ac paululum ultra ſinum protendat, oculis, manum, ac geſtum ſequentibus.

II. Geſtum non ſemper ad unam partem, ſed nunc ad hos, nunc ad illos dirigat, tum ad gratiam varietatem, tum ut Orator à pluribus videri, & audiri poſſit.

III In narratione adhibendus geſtus liberior: In confirmatione acrior & pugnatior: In Epilogo vehementior, & accommodatus affectibus, de quibus infra.

IV. Vultus quoque, oculus, & aſpectus nunc ſit erectus & alacer nunc demiſſus & triſtis, pro rerum varietate.

V. Vti cavenda eſt geſtuum nimia lenitudo

& tarditas, ita etiam nimia celeritas, aut levis geſticulatio, aut etiam nimia vaſtitas, quæ manus ultra humeros, & caput attollatur.

VI. In ſupplicando, utraque manus protenſa vel attollenda, vel ſubmittenda eſt, quod etiam fieri poteſt manibus junctis inſtar orantis.

VII. In averſando, aut negando, capite ad dexteram partem converſo, & manibus ad ſiniſtram, rem quaſi à ſe propellet. Vel etiam capite leniter concuſſo per modum renuentis.

VIII. Interrogabit, manu paululum elevata, & ad ſeipſum converſa. Inſtabit vehementius, ſummo indice manus ſiniſtræ apprehenſo, & nonnihil concuſſo: nec deſunt geſtus aliis.

IX. Demonſtrando ſeipſum; manum vel dexteram, vel utramque ad pectus ſuum convertet. Demonſtrabit res alias, manu plerumque protenſa, & ſurſum, vel deorſum, vel aliò converſa, prout eſt ſupra, vel infra ſitus rei quam cupit deſignare: rarò id ſolo digito facit.

X. Timorem exprimet, manu dextera pectori applicat.

XI. Iraſcetur; pugno compreſſo, voce & vultu aſpero: pulpitum manu, vel terram pede percutiendo, ſed bene cavendum ne percuſſio illa ſit nimis crebra.

XII. Pœnitebit, digitis preſſis, & pectori admotis. Dolebit verò manibus inter ſe complicatis, vel utrumque deorſim dejectis, & expanſis.

XIII. Vocabit, aut ſibi ſiſtet alium, manu ſurſum elevata, & ad ſe inflexa. Dimittet, aut repellet, manu averſa cum digitis explicatis. Minabitur, indice erecto, & concuſſo. Alios denique affectus exprimet eo manus, oculi, capitis, aut aliorum membrorum motu, quem obſervabit ex impetu naturæ inter homines bene moratos decorè exerceri, modò vitet ſequentia.

XIV. Cavebit ne ſit nimis diuturna omnium geſtuum intermiſſio; & è contra, ne geſtus idem, præſertim in eadem ſententia aut periodo nimis ſæpè repetatur.

XV. Sola ſiniſtra rariſſimè geſtus exhibendus non rarò tamẽ in geſtu formando ſiniſtra dexteræ ſociari poterit, ut cùm oſtenditur rerum multitudo, aut magnitudo: vel quando ad ſummos affectus aſcenditur, in quibus quaſi totus orator abripi videtur.

XVI. In fine debet ordinariè, uti vox & dictio, ita geſtus eſſe vivacior, & vehementior ut orator affectum quem intendit, altiùs infixum relinquat; ſi tamen, uti in meditatione ad triſtitiam, metum, aut compaſſionem oratio dirigatur, geſtu etiam leniori, ac tardiori dictio abſolvetur.

CAPUT IV.

Pro exordio dictionis formando, & efferendo notanda.

I. IN exordio auditor debet reddi benevolus, attentus, docilis. Hæc fient, *à perſona dicentis*, commemorando animũ & affectum ſuum pro ſalute, utilitate, aut profectu auditorum. Vel *à materia* oſtendendo rem ipſam de qua dicet, eſſe neceſſariam, utilem, aut præſenti tempori multum idoneam. Docilis erit auditor, ſi materia tractanda clarè proponatur, & in ſua membra vel puncta diſtinctè dividatur, indicando, quid primò, quid ſecundò, quid tertiò loco dicere intendat. Et hæc erit *propoſitio* rei dicendæ, quæ in fine exordii locari ſolet.

II. Deſumi poteſt exordium, ab aliqua ſententia Authoris ſacri, aut etiam profani. Vel à proverbio, vel à ſimilitudine, vel ab Hiſtoria Evangelica, aut alia quę avidè audiatur. Quandoque etiam proponitur, quæſtio aut problema, de quo quaſi varia auditorum ſententia exquiratur, & cui tandem inopinata reſponſio depromatur.

III. Vitanda autem ſunt exordia nimis communi, nimis prolixa, & nimis longè extra materiam quæſita.

CAPUT V.

Pro Narratione.

DEbet narratio eſſe clara, brevis, ordinata, ut nempè res eo ordine narrentur quo geſtæ, aut dictæ fuerunt.

II. Concilianda eſt narrationi vita, v. g. interrogando quid hic factum, quid reſponſum putatis; quid vos hic ageretis? audite quid ſequatur, &c.

III. Sic narranda eſt res præterita, ac ſi in præſenti, & coram ageretur. Ad hoc juvat uti verbis præſentis temporis: magis enim movet narratio Chriſti quaſi ante oculos actu patientis, quam ſi tantùm dicas talia olim paſſum fuiſſe.

V. Cavendum ne bis, aut ſæpiùs in narrationis decurſu idem repetatur.

V. Cavenda etiam crebra digreſſio ad alia extra rem geſtam, aut longæ parentheſes, quæ rei ſeriem interrumpunt.

VI. Affectus, etſi breviter miſceri poſſint, non debent tamẽ in narratione eſſe nimis frequentes, ſed magis pro confirmatione & epilogo reſervari.

CAPVT VI.

Pro Confirmatione, ejuſque amplificatione, & ornatu dictionis.

I. IN Confirmatione quæruntur argumenta ad ſuadendum virtutem, vel diſuadendum vitium, aut aliud quod ſibi Orator tractandum propoſuit. Argumenta hæc primò ſummatim excogitanda, colligenda, & annotanda: poſtea fuſius deducenda, amplificanda, & exornanda.

II. Pro inventione argumentorum ſive diſcurſuum, inſpiciendus eſt apparatus materiæ quem ordine Alphabetico infra tradimus. Deindè ad iſtius, vel alteriùs materiæ amplificatione, & ornatum, conſiderari poterunt loci topici, ſive ſedes argumentorum, quibus quævis materia deduci & inculcari poteſt. Exempli gratia, ſi de charitate agatur (idem eſt de cæteris) expendi poterit locus à definitione. Quid eſt charitas? eſt unio animæ cum Deo, quanti momenti eſt illa unio, quam jucunda, quam utilis, quam honorabilis, ideòque omni labore comparanda. 2. Locus à partium enumeratione: Charitas alia eſt interna affectuũ, alia externa operum, alia erga Deum, alia erga proximum propter Deum. 3. Locus à Genere: Si omnis virtus amanda eſt, ut juſtitia, temperantia, continentia, humilitas, manſuetudo, fides, ſpes, &c. quantò magis charitas, quæ eſt ſuprema, & regina omnium virtutum. 4. Locus à ſimili: Sicut elementum non poteſt requieſcere niſi in ſuo centro, ignis in cœlo, lapis in terra, ita anima in ſola charitate & unione cum Deo requiem habet. 5. Locus à diſſimili: Sicut ſeparatio membri à corpore eſt violenta, ita animæ à charitate Dei. Locus à contrario: Si odium & averſio à Deo ſummum ſit hominis malum, ſic debet amor Dei ſummum eſſe hominis bonum. 6. Locus ab adiunctis eſt in quo conſiderantur omnes circumſtantiæ cum re coniunctæ, ut locus, tempus, actus, & modus, & finis quo res exercetur &c. quæ continentur hoc verſu; *Quis, quid, ubi, &c.* quem infra explicamus in exemplo dictionis ex Apparatu formandæ. 7. Locus eſt à cauſis, in quo res comprobatur, vel improbatur à ſua cauſa materiali, aut formali qua conſtat, à finali ad quam dirigitur, ab exemplari cui aſſimilatur. 8. Locus ab effectis, ſive effectibus bonis, aut malis, qui rem faciunt amore, aut odio dignam, uti quod charitas faciant hominem filium Dei, hæredem cœli, pium, benignum, patientem, Deo & hominibus acceptum. 9. Locus à comparatione, ſive à majori, minori, & paritate rationis. Vt, ſi ſponſa gaudet connubio cum nobiliſſimo ſponſo, qui tantum eſt creatura; quantò magis gaudere debet anima per charitatem uniri Deo, qui eſt omnium creator. Et hinc locus ad amplificandum latiſſimè patet. Vti & locus ab authoritate, teſtimonio, exemplis quæ infra in *Apparatu*, latius deducimus.

Pro exornatione dictionis, faciunt tropi, & figuræ ſive verborum, ſive ſententiarum, per quas ſermoni varietas, copia, & elegantia conciliatur. Præcipuas hic recenſebimus, ut orator, non omnes ſimul, ſed modò has, modò illas, inſtar condimenti dictioni aſpergat, prout materiæ ſuæ convenire judicabit. Tales tropi in verbis ſunt Metaphora, Synecdoche, Metonomia, Antonomaſia, Onomatopæia, Catachreſis, Metalepſis. In *Oratione* ſunt, Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole.

Ex figuris præcipuę ſunt, repetitio, converſio, complexio, gradatio. Item, ſimiliter cadens, contrapoſitum, commutatio.

Figuræ quę non in vocibus, ſed integris ſententiis uſum habere poſſunt præcipuæ ſunt, interrogatio, reſponſio, ſubiectio, occupatio, correctio, dubitatio, proſopopeia, apoſtrophe, hypotipoſis, ſuſtentatio, prætermiſſio, ironia, permiſſio, deprecatio, exclamatio.

Modum quo hæ figuræ, aut tropi in oratione formantur, ſi non meminerit orator, conſultum eſt ut ex Rethorica eum recolat, & ſingulorum exempla præcipua hic infra dabimus poſt Materiæ Apparatum Alphabeticum.

CAPVT VII.

Pro Dictionis Epilogo, ſive Peroratione.

I. ARs quæ tradita eſt pro confirmatione amplificanda, & exornanda, valet etiam pro Peroratione formanda. Imo hic potiſſimum omnes eloquentiæ fontes & affectus exprimendi erunt, ut Auditori motum quem intendit Orator impreſſum relinquat.

II. In hunc finem debet ipſe Orator dicendum oſtendere ſe penitus permotum eſſe. Nihil enim incendit, niſi ipſum priùs incenſum fuerit. Vti Cicero perorando pro commiſera-

ratione erga Milonem, profitebatur ſe non poſſe lachrymas continere.

III. Conficitur aut Peroratio magna parte, ex brevi enumeratione argumẽtorum quibus in tota oratione rem à ſe intenta Orator probavit, ea animis Auditorum altiùs ac vehementiùs inculcando, hoc ferè modo: Si iam oſtẽderimus, quam ſit virtus charitatis iucunda, quia hominem Deo coniungit: quam ſit utilis, quia reddit regni cæleſtis hæredem: quam ſit neceſſaria, quia ſine ea anima à Deo perpetuo ſeparatur, &c. quis eam totis viribus non quærat, & complectatur.

IV. Hæc autem enumeratio argumentorum non debet eſſe ſimplex & ieiuna repetitio, ſed novis ſubindè ſententijs, ac figuris cum pondere inſperſa, ac variata. Cavendum tamen ex altera parte, ne argumenta illa iterùm prolixè deducantur; ſed compendio abſolvantur, ſic enim non eſſet enumeratio ſed potiùs altera oratio.

Conſultum aut eſt, vt claudatur oratio per aliquam brevem, ac nervoſam ſententiam, quæ menti ac memoriæ Auditorum quaſi aculeum infixum relinquat, vt eſt illa Sancti Bernardi de mala conſcientia peccatoris: *Manet anxietas non reliſtura, fugit voluptas non reditura.*

SVMMVLA SEQVENTIVM

Pro Praxi expedita inventionis Materiæ.

PRimò, ſequitur hic Apparatus Materiæ, ex Sacris potiſſimum Litteris ordine Alphabetico breviter & commodè digeſtæ.

Secundò, ſequitur brevis Index eiuſdem Apparatus, ad quem facilè recurritur.

Tertiò, poſtea ſequuntur puncta diſpoſita per omnes Dominicas, & Feſta ex eódem Apparatu, & aliis quæ adducuntur in *Catecheſi*, nec non *Controverſiis*, ceteriſque materiis quæ ſupra in *Theologia* Tripartita pertractantur.

Quartò, traduntur partes ſingulæ Doctrinæ Chriſtianæ ſelectis Exemplis ac Documentis illuſtratæ; quibus ſuccedunt alia ad functiones ſacras pertinentia.

N O T A.

IN hac Editione varia accedunt *Additamenta*, Sententiæ ſelectæ, Conceptus novi, & exquiſiti ad ſingulos Alphabeti ſequentes Titulos, ad ſingulas Dominicas, Feſta, Catecheſim &c. Hæ Sententiæ, ac Conceptus adiecti facilè ingentem præbant Materiæ Copiam, ornatum, acumen, ac varietatem: Præſertim ſi latiùs deducantur juxta praxim Sententiæ deducendæ poſt finem ſequentis Alphabeti infra §.1.

PARS

PARS SECUNDA APPARATUS MATERIÆ

AD DOCTRINAM SACRAM

EX SACRIS LITTERIS AC PATRVM CONCEPTIBVS præcipuè deprompptus.

Nota primò, excogitatum eſſe à me hunc brevem & commodiſſimum Materiæ Apparatum præcipuè in gratiam Miſſionariorum, quibus ad doctrinam ſacram variis locis prædicandam, præter Sacras Litteras pauci ſunt ad manum libri, vel etiam in gratiam aliorum, quibus ſi non deſint libri, otium tamen deeſt ad prolixam plurium voluminum inveſtigationem quibus nihil gratius eſſe ſolet, quàm in modico ſpatio multùm apta materiæ collectum inveniant, quam facilè poſſint deducere, & ſuo uſui accommodare.

Nota ſecundò, in hoc Apparatu potiſſimum contineri ſelectiſſima exempla, comparationes, ac ſimilitudines ad idoneos titulos alphabeti ordine redacta, ac ſingulos titulos in varia puncta diſtribui ad meliorem dictionis formandæ ordinem ac varietatem. Nulla enim alia eſt materia, quæ commodius poſſit pro dictione in varia membra cum ornatu dilatari, aut facilius memoria retineri, aut utilius ad auditorem permovendum accommodari, quam ſimilitudines, comparationes, exempla, ut teſtatur tritum axioma, Verba movent, exempla trahunt. *His ad communem captum maximè accommodatis, & rudes optimè inſtituuntur, & eruditi plurium delectantur, dummodò ſolida ſint, & Sacrarum Litterarum authoritate nitantur. qualia ſunt illa, quæ in hoc Apparatu aſſignantur, quæ, ubi opus erit: ex citatis Scripturæ locis ſuſiùs deduci poterunt.*

Nota tertiò, praxim ex hoc Apparatu conficiendi integras dictiones per totum annum, infra aſſignari in fine, cum applicatione materiæ ad certa puncta per totius anni Evangelia.

Ad extremum obſerva, dum ex his Titulis pro tuo conceptu materiam uberiorem inquiris, ſi contingat illam ſub uno Titulo non reperiri, legendum eſſe Indicem, & quærendum alium Titulum ſignificatione ſimilem, aut etiam contrarium: exempli cauſa, ſi non inveniatur Charitas, *vide* Amor: *ſi non reperiatur* Amor, *vide* Odium, *& ſic de cæteris: quæ omnia tibi frequenti uſu, & propria obſervatione magis innoteſcent, obſervata præſertim Praxi in hujus Apparatus calce aſſignata.*

A.

ABNEGATIO.

QVi cupit ſervire Chriſto debet abnegare mundum, & omnia quæ in mundo ſunt. Patet ex verbis Chriſti *Luc.* 14. Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. Exemplum eſt in duodecim Apoſtolis qui relictis omnibus bonis, parentibus, amicis, ſecuti ſunt Chriſtum, & eius doctrinam. Sed ecce quantum abnegantibus promiſſum præmium: Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis *Matth.* 19. *v.* 27. Hæc eſt liberalis Chriſti promiſſio, quæ clauſtra tot Religioſis, & cœlum tot Sanctis impleuit.

Poſt hæc, S. Bartholomæo Apoſt. Evangelium prædicāte, Polemus Rex Indiæ potentiſſimus ad fidem Chriſti converſus & baptizatus, relicto Imperio ampliſſimo, & ſua patria, & omnis amicis, S. Bartolomæo, quocumq; pergeret, cōſtanter adhæſit, & maluit eſſe pauper Apoſtoli diſcipulus, quā dives Indiæ Dominus. *In vita S. Bartolom. per Abdiam.* Gallicanus Dux ſupremus Romani exercitus poſt ingentes victorias, & Imperatoris filiam nomine Conſtantiam in vxorē oblatam, abnegato omni honore, & opidus, & Imperatoris filia, humilem, & pauperem pro Chriſto vitam ſuſcepit, clariorem de ſe, quam de hoſtibus victoriam reportans. *In vita SS. Ioannis & Pauli.*

Alexius nobilis Romani Euphemiani filius, ut rebus omnibus nudatus, Chriſtum nudum ſequeretur, prima nocte nuptiarum abnegavit ditiſſimam ſponſam, & domum paternam, & poſt multam peregrinationem, tanquam pauper & ignotus delituit per multos annos in angulo domus paternæ, donec poſt obitum divino monitu a ſuo parente, & à Pontifice Romano cum ingenti ſtupore agnitus, & ſummo in honore habitus fuit, *ita Metaphraſtes, & alii in ejus vita.*

Abnegando eſt etiā propria voluntas Matth. 16. Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipsū. Exemplum dedit Chriſtus in horto dicens: Pater, non mea ſed tua voluntas fiat. Et S. Paulus à Chriſto vocatus, nulla carnis aut ſanguinis, nulla propriæ voluntatis habita ratione ſtatim reſpondit, Domine quid me vis facere?

Abnegando ſunt vitia, & cupiditas rerum temporalium. Abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo 2. *Tim.* 3. Nempe ſobriè erga nos, juſtè erga proximū, piè erga Deum. Exemplum eſt in primis Eccleſiæ Chriſtianis, qui nihil ſuum eſſe dicebāt, ſed deponebant bona ſua ad pedes Apoſtolorum, ut omnibus eſſent communia. *Act. 4. v. 33.* E contrario Annanias cū Sapphira uxore, quia pecuniæ, quam Deo devoverunt, partem poſteà abſconderunt, ſubitanea morte à Domino puniti fuerunt, *Act. 5.* Abraham à Deo vocatus, ſtatim exivit de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui: & ideò Deus benedixit ei, & multiplicavit ſemē ejus, ſicut ſtellas cęli, &c. *Gen. 12.* Et iterum abnegavit Abraham amorem paternum erga filiū ſuum primogenitum Iſaac, quando Deo jubente aſcendit in montem cū gladio & igne ut filiū ſuum Domino immolaret, & in holocauſtum offerret. *Gen. 22.* Iob omnium bonorum, quæ habuit affectū abnegavit dicens, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. *Iob. 1. v. 21.* Chriſtus Dominus cęli & terre, cum eſſet dives, factus eſt pro nobis egenus, & nudus in cruce mortuus nō habuit ubi caput reclinares. *Matth. 27. Luc. 32.*

Sicut athleta qui in ſtadio currit, debet omnia impedimenta abiicere, ita nos ut perveniamus ad bravium vitæ æternæ debemus mundi bona abnegare, juxta Apoſtolum 1 *ad Cor. 9.* Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

EX BREVIARIO, habetur exemplum S. Franciſci, qui pro Chriſto omnia abiecit uſq; ad calceos, 4. *Oct.* S. Antonii, qui omnia deſervit uſque ad ſpeluncā, 17. *Ian.* S. Bartholomęus omnia exuit uſque da pellem vivo detractam, alii Martyres uſque ad ſanguinem & vitam.

Vide *Abſtinentia, Amor Dei, Humilitas*: A cōtrario, vide infra *Avaritia, Luxuria, Superbia.*

De Abnegatione per Vota religioſa, vide ſupra *T. 2. part. 2. p. 136.* Et controverſias de ea ſupra *Tom. I. Tract. 2. pag. 82.*

Sententiæ ſelectæ, ac conceptus alii de Abnegatione.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Matth. 2.*

Omnes qui reliquerit domum vel fratres &c. centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. *Matth. 19.*

Nolite confirmari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri *ad Rom. 12.*

Quicumque voluerit eſſe amicus hujus ſæcul. inimicus Dei conſtituitur. *Iacob. 4.*

Qui utuntur hoc ſæculo, ſint tanquam ſi non utantur *ad Cor. 1 c. 7.*

PATRES. Sunt quidam qui ſua facilius pauperibus tribuunt, quam ut ipſi pauperes Dei ſint. *S. Auguſtin.*

Multis divitias relinquentes vitia ſua non relinquunt. *S. Hieronymus.*

Totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit. *Idem.*

Nudum Chriſtum, nudam Chriſti crucem, nudus ſequere. *Idem.*

Deus magis quærit animas credentium quam opes. *Idem.*

Is non renunciat mundum quem terrenæ poſſeſſionis delectat ambitio. *S. Ambroſius.*

Multa relinquit qui deſideria renunciat. *S. Gregor.*

Cor penſat Deus, non ſubſtantiam. *Idem.*

Regnum Dei tantum valet, quantum habes. *Idem.*

Lon

Longè à Deo eſt animus, cui adhuc hęc vita dulceſcit. *S. Iſidorus*.

Semper dives eſt Chriſtiana paupertas *Leo Papa ſerm. 4. de quadrag.*

Cui cum paupertate benè convenit dives eſt. *S. Greg. in Eze. h. 6.*

Parum eget qui parum cupit. *Socr. apud Laertium*.

Panem & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt. *Senec. Epiſt.* 13.

Quid ad paupertatem ſua ſponte deſcendit, præocupat tela fortunæ *Idem Epiſt.* 19

Scire uti paupertate maxima fælicitas eſt. *Idem, de moribus*.

Non eſt in paupertate vitium, ſed in paupere. *Idem de remed fortunæ*.

EXEMPLA PROFANA, ſapientium & fortium virorum qui mundum abnegarunt.

Socrates Philoſophorum Princeps, pauper ſemper, nudis pedibus, ſordido pallialo mundi opes & honores contempſit.

Diogenes ſuo dolio contentus, cavis manibus ſibi aquam hauriebat: Hunc intuitus Alexander dixit, ſi Rex non eſſet, ſe optare Diogenem eſſe.

De Ducibus aliquot Romanis ſic ſcribit *Claudianus* in 4. Honorii conſolatu.

Pauper erat Curius, Reges dum vinceret armis.

Pauper Frabicius, Pyrrhi dum ſperneret aurum.

Sordida Serranus flexit dictator aratra.

Hinc adag. Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit Mænia.

ABSTINENTIA, IEIVNIVM.

A*Bſtinere* dicitur primò, qui uſum alicuius rei à ſe reiicit: Secundò, qui rei noxiæ affectum, & deſiderium in ſe cohibet & refrænat. Hoc modo Tobias docuit filium ſuum, *ab infantia timere Deum, & abſtinere ab omni peccato* Tobiæ 1.

Abſtinentia ciborum à Deo præcepta eſt ad obedientiam, ad meritum, ad virtutis exercitium. In paradiſo præcepit Adamo ut à fructu arboris ſcientiæ boni & mali abſtineret. *Gen.* 2. Filiis Iſrael varia ciborum genera à Deo interdicta fuerunt, *Levitici* 11 Vxori Manuæ concepturæ Sampſonē Angelus abſtinentiā indixit, *Iudic.* 3. Eleazarus ętate grandis & venerabilis maluit occidi quam carnem vetitam manducare, aut cum aliorū ſcandalo id ſimulare. 2. *Machab.* 6. Septem fratres Machabæi elegerūnt potius per varios cruciatos mortem ſuſtinere, quam eſu carnis ſe contaminare. 2. *Macb.* 7.

Abſtinentia mentem illuſtrat, & ſapientiam confert. Moyſes poſtquam 40 à cibo abſtinuit, meruit à Deo in monte Sinai accipere legem populo explicandam, *Exodi* 24. Danieli propter ſingularem abſtinentię amorem oſtendit Deus viſiones cœleſtes. *Daniel.* 22. Imò poſt jejuniū eidem revelatum eſt myſterium Incarnationis *Dan.* 9. Quia Anna Prophetiſſa ſerviebat Domino die ac nocte in jejunio & orationibus, meruit in templo de Chriſto prophetare, *Lucæ* 20. Eodē ſpectat exemplū Ioannis Baptiſtę prę curſoris & præconis Chriſti, cujus cibus tantum erant locuſtę & mel ſylveſtre *Matth.* 11.

Abſtinentia à carnibus hominibus religioſis; & piè viventibus maximè propria. Dominus ipſe Daniel per Habacuc pulmentum & panes, non verò carnes tranſmiſit, *Dan.* 14. Vxor Ieroboam ad Prophetam Achiam, panem & mel, non autem carnes attuliſſe legitur, 3. *Reg.* 13. Chriſtus ſæpius multiplicavit panes & piſces, carnes numquam. *Matth.* 14 *Marc.* 6. *Ioan.* 6. Salvatorem noſtrum non legimus comediſſe carnes, niſi in agno Paſchali, piſcibus verò in alimentum ſæpius uſum eſſe patet. *Luc.* 24 *Ioan.* 21.

Abſtinentia ſive jejunium confert victoriam contra hoſtes tam animæ, quam corporis. Chiſtus cum dæmone præliaturus 40. diebus jejunavit, & in tribus quas oppoſuit tentationibus illū debellavit, *Matth.* 4. Ioſaphat Rex Iuda jejunavit ipſe, & aliis jejunium indixit, atque ita victoriam de hoſtibus obtinuit, 2. *Par.* 20. Poſtquam Iudith diuturnum jejunium & orationem præmiſit præclaram de Holoferne victoriam reportavit *Iudic.* 8. & 13. Filii Iſrael bis debellati, poſtea ad jejunium confugerunt, & de filiis Beniamin triumpharunt, *Iud.* 20. Iterum debellantur filii Iſrael à Philiſt. 1. *Reg.* 4. Sed poſtquam fleverunt & jejunaverunt victoriam obtinuerunt, 1. *Reg.* 7. A contrario, quia Ionathas cōtra præceptum patris comedit favum mellis, Iſraelitæ ab hoſtibus profligantur, 1. *Reg.* 14. Et in deſerto cæpit populus manducare, & bibere, & ira Dei deſcendit ſuper eos.

Iejunium cū oratione Deus ad largiendam gratiā & miſericordiam maximè movetur. Et ideò dicitur *Tobiæ* 10. Bona eſt oratio cum jejunio. Sic Eſther miſericordiam populo ſuo petitura ab Aſſuero, jejunavit cum ancillis ſuis & Mardochæo, *Eſther* 4. Dominus Achab pænam comminatus fuit ſed propter jejunium quo ſe humiliavit eam temperavit. 3. *Reg.* 21. Ninivitarum civitas intra quadraginta dies ſubvertenda fuit, ſed propter jejunium quo ſe Ninivitæ omnes à minimo uſq; ad maximum afflixerunt Deus illis pepercit, & pænam remiſit, *Ionæ* 3.

Sicut

Sicut Naves leviores facilius mare percurrunt & nimis onuſtæ ſubmergunt; ita abſtinẽtia reddit hominem expeditum, ut facilè currat per viam ſalutis & mandatorum Dei, crapula autem in barathrum demergit. Et ſicut in tempeſtate nautæ exonerant navem, ita in tentationem faciendum per abſtinentiam.

Sicut Febres, & alii morbi corporis curantur per cibi & potus abſtinentiam, ſimili etiam modo curandi ſunt morbi animi, ut libido, ira, gula &c. *Marc.9.* Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione & ieiunio. Abſtinentia enim optima eſt animæ medicina. Hinc Auguſtinus. Hoc me docuiſti Deus, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. *Lib 10. Conf. c. 11.*

Sicut Equis fræna ſunt imponenda, ne nos præcipites agant, ſic corpora noſtra ieiuniis, & vigiliis ſunt refrænanda, ne animam per vitiorum præcipitia abducant.

Sicut in Navibus ſentina ſæpiùs eſt exhaurienda, ita corporibus noſtris ſæpè ſubducendus eſt cibus & potus, ne in vitiorum ſentina putreſcant.

Sicut contra Incendium, aut ollam nimis ebullientem ligna foco ſubtrahimus, ſic contra ardorem carnis, tumorem ſuperbiæ, ac dæmonis, oportet per abſtinentiam ſubtrahere fundamenta & alimenta vitiorum. Nam de ſatana dicitur, *Iob 41.* Halitus eius prunas ardere facit.

Sicut nullum Caſtrum eſt adeò fortè, ut ſi rebellet non poſſit ieiunio expugnari excludendo illi alimento, ſic quando corpus rebellat ſpiritui & rationi, optimè poteſt ſpiritus corpus ſibi per abſtinentiam ſubiurgare.

Non tantum Corpus, ſed etiam Anima debet abſtinere, & ſobria eſſe. Quid enim juvat Currum levem & agilem eſſe, ſi Auriga inſanit? Quid prodeſt navis ſolida & expedita, ſi ebrius ſit navis gubernator?

Quia cibis abſtinent, & mala agunt dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus deeſt, *S. Iſidorus.*

VIDE EX BREVIARIO; effectus eximius ieiunii & abſtinentiæ, Domin. 3. Adv. Lect. 4. 5. Dom. 4. Quadrag. l. 4. 5. Domin. 4. Sept. l. 5. 6. Domin. 3. Novemb l. 2. 3. 4. 5. 6. Ieiunium confert formæ præſtantiam in Daniele, Iudith &c. Dom. 3. Nov. l. 2. 3. 4. 5. 6. Abſtinentia facit longævos in feſto S. Pauli. Erem. *Ianuar.* l. 4. & feſto S. Antonii 17. *Ianuar.* l. 5. V. *Ebrietas. Gula.*

Vide Controverſias de Ieiunio ſupra *Tom. 1. pag. 74.* ſeqq. Et quæſt. Theol. *Tom. 2. tract. 5. cap. 2.*

Sententiæ ſelectæ de Abſtinentia.

REgnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto: Sobriè, iuſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, *ad Titum 2.*

Omnis qui in agone contendit, omnibus ſe abſtinet. 1. *Cor. 2.*

Qui abſtinens eſt, adjiciet ad vitam. *Eccleſiaſt. 37.*

Is qui manducat, non manducantem non ſpernat, *ad Rom. 14.*

Nos autem qui Dei ſumus, ſobrii ſumus, *ad Theſſal. 5.*

Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo circuit quærens quem devoret. 1. *Petri 5.*

PATRES. Plenus venter non gignit tenuem ſenſum, id eſt, ſubtilem. *Hieronymus.*

Cibo corpus paſcitur pio opere nutritur. *Gregor.*

Eſu libido creſcit, ieiunio luxuria ſuperatur. *Gregor.*

Natura paucis contenta. *Boetius lib. 2. de Conſolatione.*

Plures occidit gula quam gladius.

Mater ſanitatis eſt abſtinentia, mater ægritudinis voluptas. *Hieron.*

Sine Cerere & Baccho friget Venus. *Idem &c.*

PHILOSOPHI. Multorum morbos fercula multa ferunt. *Sen.*

Venter præcepta non audit. *Sen.*

Ventri obedientes animalium loco numerentur, non hominum.

EXEMPLA PROFANA. Carolus Magnus ieiuniis etiam cum periculo valetudinis corpus ſuum exercuit. *Ita Mutius lib. 8.*

Ottho Magnus Imperator, cum Hungaris conflicturus, ieiunium in caſtris ſuis indixit, Denique auxilium invocavit. *Vitichindus l. 3.*

De Ieiunio Sententiæ aliæ ſelectæ.

BOna eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere. *Tobiæ 12.*

Sanctificate ieiunium. *Ezech. 2.*

Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras ſi manentes permanſeritis in ieiuniis. *Iudith. 4.*

Convertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, planctu, & fletu. *Ezech. 2.*

In omnibus exhibeamus noſmetipſos, Dei miniſtros in vigiliis, in ieiuniis, 1. *ad Cor. 6.*

PATRES. Ieiunium autem magnum,

Ge-

generale nos abſtinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſæculi. *Auguſtinus*.

Ieiunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentię nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. *Auguſtinus*.

Ieiunium non ſolum perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio & pudicitia atque prudentia, ſine qua nemo videbit Deum. *Hieronymus*.

Ieiunio mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis: hoc gradu citius ad Deum peruenitur. *Ambroſius*

Quid prodeſt ieiunare viſceribus, luxuriari venationibus, abſtinere à cibis & errare peccatis. *Ambroſius*.

Fames amica virginitati eſt, inimica Caſtitati ſaturitas: hæc verò prodigit caſtitatem, nutrit illecebram. *Ambroſius*.

Sicut miles ſine armis non eſt aliquid, nec arma ſine milite, ſic nec oratio ſine ieiunio, nec ieiunium ſine oratione *Chryſoſtomus*.

Vt venus enervat vires: ſic copia Bacchi.
Et tentat greſſus, debilitatque pedes. *Ovid*.

ACEDIA. OTIVM.

Sicut equus tardus indiget ſtimulis, ita acedioſi maximè indiget reprehenſione ut pergant in via ſalutis.

Sicut Dominus odit ſervum ignavum & otioſum, ita Deus averſatur deſidioſos in exercitio virtutis: otium enim eſt pulvinar diaboli.

Otioſus eſt inſtar aquæ ſtagnantis, quæ non movetur, ac proinde putreſcit: & noxiis vermibus, id eſt, vitiis repletur.

Rectè comparatur otioſus paralytico, qui non poteſt manus, aut pedes ad operandum movere. De his *Pſal.* 13. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt.

Similis eſt otioſus Agro neglecto, & pleno ſpinis & urticis, *Proverb.* 24. Per agrum hominis pigris tranſivi, ecce totum repleverant urticæ. Nec malè aſſimilatur Ferro, quod abſque uſu & motu contrahit rubiginem. Et cum Veſte pretioſa, quæ niſi geſtetur, à tineis corroditur.

Otiũ affert homini animæ & corporis egeſtatem. Ideò dicit Sapiens. Qui ſectatur otium replebitur egeſtate, *Proverb.* 28. *v.* 19. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. *Ierem.* 41. *v.* 4. Propter frigus Piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. *Proverb.* 20. *v.* 4.

Otium ſæpè eſt cauſa damnationis. Ideo dicit Chriſtus, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. *Matth.* 7. *v.* 19. Et ibidem iterum dicit, Inutilem ſervum eiiciet in tenebras exteriores ubi erit fletus & ſtridor dentium.

Acedioſus Deus graviter punit. Exemplum eſt in populo Iſraelitico, quando cæpit in deſerto tædere itineris & laboris, & de mana cœleſti dicere nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo, ideo immiſit Dominus in illos ſerpentes ignitos, qui eos laniabant & occidebant, *Numer.* 21. Quinque Virgines fatuæ quæ dormitaverunt, & ſine oleo boni operis in lampadibus ad Sponſum ſeriùs venerunt, excluſæ ſunt, & audierunt, Amen dico vobis neſcio vos, vigilate itaque &c. *Matth* 25. Siſara in lecto iacens clavo perfoſſu eſt à Iahel, ita acedioſus à dæmone Samſon dormiens inter genua Dalilæ fuit captus, catenatus, excæcatus. *Iudicum* 19. *v.* 15.

Acedia eſt cauſa multorum peccatorum: David belli tempore manens domi otioſus commiſſit adulterium cum Berſabea, & poſtea homicidium. 2. *Reg* 11. Cum dormirent homines venit inimicus homo & in medio tritici ſuperſeminavit zizania, id eſt, vitia & peccata, *Matth.* 13.

Redarguit Chriſtus in parabolis otioſos, & operantibus præmium addicit. Quid ſtatis hic toto die otioſi, ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis. *Matth* 20. Dormiebat Ionas ſopore gravi, & ideò gubernator navis redarguit eum, & propter eum orta eſt tempeſtas. Sed quid ſecutum? Proiectus eſt in mare, & balena devoravit eum, ita acedioſi incidunt in laqueos, fauces diaboli. *Iona* 1. Denique Chriſtus in horto redarguit diſcipulos dormientes, dum orandum eſſet, dices, non poteſtis una hora vigilare mecum. *Matth.* 26. Seruus piger qui noluit negotiari, ſed talentum defodit in terra in obiurgatur, & talento ſpoliatur. *Matth.* 25.

Quomodò brevem laborem æterna requies conſequantur, VIDE EX BREVIARIO in feſto S. Bonifacii 14. Maii lect. 2. & in feſto S. Matthiæ 24. Februar. lect. 7.

Vide à contrario, *Obedientia, Zelus, Amor &c.*

Sententiæ ſelectæ &c. de Acedia & Otio.

Vade ad formicam piger, & diſce Sapientiam: quæ parat in æſtate cibum ſibi, & cõgregat in meſſe quod comedat. *Proverb.* 6.

Vſquequo piger dormies: Quando conſurges è ſomno tuo. *Ibid.*

Vult

Vult, & non vult piger anima, autem operantium impinguabitur. *Proverb.* 13.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum in via. *Proverb.* 10.

Abſcondit piger manum ſub axilla, nec ad ſinum applicat eam ad operandum. 1. *Proverb.* 19.

Propter frigus pigrus arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei *Proverb.* 20

Omnis piger ſemper in egeſtate eſt. *Prov.* 21.

Deſideria occidunt pigrum, noluit enim quidquam operari. *Ibid.*

Sicut oſtium vertitur in cardine, ſic piger lectulo ſuo. *Proverb.* 26.

Maledictus qui fecit opus Dei negligenter. *Ieremiæ* 48.

Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 11.

Omnis arbor bona bonos fructus facit *Matth.* 7.

Inutilem ſervuum eiicite in tenebras exteriores. *Matth.* 11.

Vade ad formicam piger, & diſce Sapientiam. *Proverb.* 6.

Vult, & non vult piger. *Proverb.* 13.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. *Ioan.* 15.

Scienti igitur bonum, & non facienti peccatum eſt illi. *Iacob.* 3.

PATRES. Facito aliquid operis, ut ſemper diabolus inveniat te occupatum. *Hieron.*

Radix deſperationis eſt ignavia, & non ſolum radix, ſed nutrix eius, & mater *Chryſoſt.*

Per torporem vires, & ingenium defluunt. *Iſidorus.*

Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio, & deſidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. *S Leo.*

PHILOSOPHI. Generoſos animos labor nutrit. *Seneca.*

Pigritia eſt nutrix egeſtatis *Seneca.*

Peſtis eſt mortalibus ignavia. *Plato.*

Impoſſibile eſt negligentibus Dominis ſervos ſolicitos. *Ariſt.*

De Otio Sententia alia.

MVltam malitiam docuit otioſitas. *Eccl.* 33.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuper ſeminavit zizania. *Matth.* 13.

Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autē ſtertit æſtate, filius eſt cōfuſionis. *Prov.* 10.

PATRES. Otium eſt pulvinar diaboli.

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. *Gregorius.*

Otioſum quippè verbum eſt, quod aut utilitate rectitudinis, aut iuſtæ neceſſitatis caret. *Idem.*

Mens otioſa nihil aliud cogitare novit, quam de eſcis, aut de ventre. *Leo Papa.*

PHIL. ET POETÆ. Emolit otium vires, ſicut rubigo ferrum. *Seneca.*

Otioſus non ſibi vivit, ſed quod turpiſſimum eſt ventri, & ſomno *Seneca.*

Quæritur Ægiſtus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat *Ovid de remed. amorum.*

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.
Contemptæque iacent, & ſine luce faces. *Ibidem.*

NOTA.

PRo toto hoc Alphabeto, aliquando poſſe doctè induci Sententias, ſive Axiomata Iuris Canonici, Iuris Civilis, Philoſophiæ totius, quæ commodè reperies ſupra. *Tom.* 2. *Tract. ultimo, cap.* 2.

ACCVSATIO.

F*Alſæ accuſationis exempla deteſtanda*, proponit Scriptura in caſtiſſimo Ioſepho, qui à ſua Domina iniquè accuſatus eſt ac ſi vim illi inferre voluiſſet, & idem in vincula coniectus eſt, quibus Deum illum cum honore liberavit. *Gen. cap.* 39.

Iniuſtè accuſatus, & lapidatus eſt Naboth, ac ſi Deo, & Regi maledixiſſet, & ideò Ieſabel a canibus devorata eſt. 3. *Reg. c.* 21. *v.* 11.

Abimelech iniquè accuſatus eſt à Doeg apud Saulem eo, quod Davidem benignè excepiſſet, & cum pluribus occiſus. *lib* 1. *Samuelis, c.* 22. *v.* 9.

Chriſtus à Iudæis ſæpiùs falſo accuſatus tanquam ſeditioſus, hoſtis Cæſaris, potator vini commercium habens cum dæmone, deſtructuros templum, &c. *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luc.* 23. *&c.*

S. Stephanus Protomartyr falſo accuſatus, & lapidatus. *Act* 6. *v.* 11. Contra Paulum Apoſtolum iniquæ accuſationes. *Act.* 24. *c. v.* 20.

Accuſati falſa à Deo graviter puniuntur, cuius exemplum eſt in Aman qui Mardochæum accuſans, ſuſpenſus eſt in patibulo quod Mardochæo iniquè paruit. *Eſter.* 7. *v.* 10.

Duo Senes qui Suſannam adulterii accuſarunt, ipſi loco Suſannæ à populo lapidati fuerunt, *Daniel* 13 *v.* 36.

Simon, &c. pro ſimili crimine à Deo putati ſunt. 1. *Machab. & eiuſdem* 4.

Utile

Vtile eſt homini ſeipſum potius quam alium accuſare. Iuſtus prior accuſator eſt ſui. *Prou.* 18.

Sic fecit Magdalena coram Phariſæi; & remiſſa ſunt illi à Chriſto peccata. Sic fecit Sanctus Petrus, & reſpicuit poſtquam Chriſtum negauit.

Sic fecit Dauid poſt adulterium, cum Berſabea, & homicidium Vriæ, & ſæpius In Pſalmis 2. *Samuel.* 12. *v.* 2. *Et Paralip.* 21 *Et Pſalm.* 32. *v.* 5. *Pſalm.* 41. *v.* 5. *Pſalm.* 50. 51. *&c.*

Sic Ionas coram nautis accuſauit fugam ſuam à facie Domini *Ionæ* 1. *v.* 12. Filius prodigus, peccaui in cœlum, & coram te, &c. *Lucæ* 15. *v* 17. Publicanus percutiens pectus ſuum, &c. *Lucæ* 18. *v.* 13. Zachæus, ſi quem defraudari reddo quadruplum. *Lucæ* 16. *v.* 8. Latro in Cruce, Nos quidem iuſtè digna factis recipimus. *Lucæ* 23. *v.* 41.

Accuſatio proprii criminis eſt inſtar inciſionis venæ, aut apoſtematis, aut ſalubris vomitorij, quo corpus à corrupto ſanguine, & prauis humoribus, & ſuis morbis liberatur: ita fit in anima per humilem delicti ſui accuſationem.

Aliorum accuſatores importunus comparat Cicero *orat pro Roſcio*, vel cum Anſeribus, qui tantum modò clamant, & non nocet; vel cum Canibus qui clamant, & nocent, ac mordent bonos, ac pios, non minus dum tendunt ad templum, quàm ſi irent ad proſtibulum. V. *Iudicium iniquum*, *Inuidia*, *Inimicitia*.

Sententiæ ſelectæ, &c. de Accuſatione.

Vides feſtuciam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras. *Chriſtus Phariſæis*.

Demoſthenes iuſſus aa Athenienſibus, vt quemdam accuſaret, recuſauit, ſed facta in eum populi acclamatione, ſurgens dixit; Vos me viri Athenienſes; conſultorem habeatis inviti, calumniatorem verò, ne ſi velitis quidem habebitis.

Cato maior à populo Romano Prudens appellatus, maximis Romanorum odijs exercitus eſt, quadrageſies enim ſexcies reus cauſam dixit, ſemperque abſolutus eſt. *Sabellicus lib.* 1. *cap.* 6.

Væ tibi, væ nigræ, dicebat cacabus ollæ: in eos qui non ſe, ſed alios ſemper accuſant.

Cum tua peruideas oculis, malè lippus, adiunctis, Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum? *Horatius*.

Argus (i. centoculus) in vitijs aliorum, Talpa in ſuis.

ADVLATIO.

Adulatores comparantur cum Coruis, qui oculos effodiunt, nempè excæcando, & decipiendo eos quibus adulantur.

Et cum Hirundinibus, quæ comparent tantùm tempore æſtiuo, & læto, fugiunt tempore frigido, & aduerſo.

Et cum Venatoribus qui fiſtula dulciter canunt, vt volucrem decipiant, ac deplument.

Et cum Hiſtrione qui omnem vultum induit, & nullam partem ſeriò agit. Ideò monet Sapiens, meliùs eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulationibus decipi. *Eccl.* 7.

Quomodò adulatores alijs noceat. Exemplum eſt in amicis Aman, qui volentes ei complacere ſuaſerunt, vt pro Mardochæo erigeret altiſſimum patibulum, ex quo tamen Aman ipſe ſuſpenſus eſt. *Eſther* 5. Prophetæ adulantes dicebat Achab proſpera de bello futuro, quòd ei peſſimè cecidit. *Reg.* *c.* 22. Populus adulando acclamabant Herodi, quod loqueretur voces Dei: & ecce confeſtim percuſſit eum Angelus Dei, & conſumptus à vermibus interijt. *Act.* 12.

Adulatores etiam nocent ſibi. Exemplum eſt in Abſalone qui in curia ſingulis adulabatur, dicens, videntur mihi ſermones tui recti, at ipſe cum populo in bello profligatus, & occiſus eſt. 2. *Reg.* *c.* *p.* 15. Adoleſcens narrans Dauid mortem Saulis inimici eius à ſe acceleratam, iuſſus eſt à Dauide ſtatim occidi. 2. *Reg.* 1. Duo Sicarij qui caput Isboſet occiſi ad Dauidem detulerunt, vt ei complacerent, ſimili modo pro ſua mercede trucidati fuerunt. 2. *Reg.* 4. Phariſæi per adulationem voluerunt Chriſtum decipere, Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &c. ſed ipſi potiùs decepti fuerunt. *Matth.* 22. *v.* 16.

VIDE EX BREVIARIO. *Quomodò dedecent Adulatio maximè præconem verbi Dei*. Domin. 4. Epiph. lect. 5. & lect. 3. *quæ ſuauis quidem appareat, ſed acerbè lædit*. Pſalm. 54. ſer. 4. *adeòque plus nocet*, *quàm ſapientum correptio*. Sabb. Dom. 2. Auguſt.

Sententiæ ſelectæ, &c. de Adulatione.

Meliora ſunt vulnera diligentia, quam fraudolentia oſcula blandientis. *Prou.* 1.

Qui derelinquunt legem laudabunt impium. *Prou.* 28.

Meliùs eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulationibus decipi. *Eccl.* 7.

Eſt

Eſt qui nequiter ſe humiliat & interiora ejus plena ſunt dolo. *Eccleſ. 9.*

Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. *Eſa. 5.*

Væ qui juſtificatis impium. *Eſa. 5.*

Non quæro hominibus placere, ſi hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem, *ad Galatas 1.*

Simulator ore decipit amicum. *Proverb. 11.*

PATRES. Adulantium linguæ ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non ſolum non metuitur repræhenſor, ſed etiam laudatur operator. *Auguſt.*

Magis optabo à quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari. *Auguſt.*

Levius non debet putari quod gladio minante, quam quod lingua inſidiante committitur. *Idem.*

Adulatores ſunt hoſtes, & ſcintillæ diaboli, *Hieronymus.*

Nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum ſicut adulatio: plus enim nocet lingua adulatoris, quam gladius perſecutoris. *Hieronymus.*

Adulari eſt ars ſeductorum. *Chryſoſt.*

PHILOS. POETÆ. Laudat adulator, ſed non eſt verus amator.

Nullus tam gnarus, qui non ſit laudus avarus.

Plus laudatori, quam tu tibi credere noli.

Rectè facta collaudare honeſtum eſt, mala vero laudibus vehere, adulterini animi ac impoſteris eſt. *Democritus.*

Malum hominem blandè loquentem, agnoſce tuum laqueum eſſe. *Seneca.*

Habet enim ſuum venenum blanda oratio. *Seneca.*

Laudare præſentes adulatoris eſt. *Ariſtot.*

Sirenum ſcopulos præteriiſſe juvat. i. blandientium. *Ovidius.*

AMOR DEI, CHARITAS.

Eſt virtus qua diligitur Deus propter ſeipſum, & proximus propter Deum. Primum & maximum præceptum eſt Dei dilectio, datum Moyſi à Deo in monte Sinai.

Amor ſive Charitas eſt illa Veſtis nuptialis candida, & pretioſa, ſine qua Anima non poteſt eſſe ſponſa Chriſti, vel admitti ad convivium, aut ad aulam cœleſtem. Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialē? *Matthæi 22.* Amor Dei eſt Oleum quod Prudentes virgines habuerunt in lampadibus & ſine quo dictum eſt fatuis, Neſcio vos *Matth. 25.*

Charitas perfecta comparatur cum Muliere caſta, quæ uti nullum amat præter ſuum virum, ita charitas nihil præter Deum. Amor Dei ſimilis eſt Auro, quia facit opera noſtra tam ſplendida & pretioſa ut mereantur vitam æternam. Comparatur cum Igne, quia omnia peccata conſumit, & animum purificat. Charitas ſimilis eſt Stellis, quæ magis in nocte, quam in die apparent, ita amor Dei magis in adverſis quàm in proſperis dignoſcitur. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non eſt ambitioſa, & reliquæ ejus proprietate exponuntur. *1. ad Corinth. 13.*

Opera quæ non fiunt in charitate aut gratia nō ſunt meritoria vitæ æternæ, etſi appareant maxima. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens: *Ibidem v. 1.*

Amor Dei facit omnia quantumvis ardua apparere levia. Sicut Iacobo ſeptem anni videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, *Geneſ. 29. v. 20.*

Fortis eſt ut mors dilectio: Quod patet exemplo D. Pauli Apoſtoli. Certus ſum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt Chriſto Ieſu Domino noſtro *ad Romanos fusè c. 8.*

Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. c. 8. Exemplum eſt in S. Magdalena, cui cum ingenti amore Chriſti pedes lachrymis irrigaret, dictum eſt, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

Exemplo ſuo ad charitatem Deus non provocat. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, Ioan. 3. Item exemplum Chriſti qui dilexit nos, & tradidit ſemetipsū pro nobis, & lavit nos in ſanguine ſuo. *Brev. in Nat. Dom. lect. 7.*

Quanta charitate Apoſtoli & alii Deo coniuncti fuerunt. Abrahæ unicus filius erat Iſaac, & cum unicè illum amaret, manibus propriis mactare voluit, quia Deum magis amavit, quam ſuum filium. *Geneſ. 22.*

Perfectæ charitatis exemplum fuit in tribus pueris in Babylonem abductis, qui nunquam Religionis erga Deum obſervationem deſerentes, in fornacem, ſeptuplum quam ſolitum erat accenſam miſſos, flamma non aduſſit quia maiori intus ardebant flamma charitatis erga Deum. *Danielis 1.*

Machabæi quoque ſeptem fratres, neq; ingentibus Regis promiſſis corrupti ſunt, neq; minis territi, contra Dei legem aliquid agere voluerunt. Sed potius crudeli morte con-

ſumpti plus Deum quam ſe diligendum eſſe, illuſtri documento fuere. 2. *Machab. c. 7.*

D. Petrus ter interrogatus, An Chriſtum amaret, Reſpondit, Domine tu noſti omnia, tu ſcis quia amo te: & ideo Chriſtus illi oves ſuas paſcendas & regendas commiſit. *Ioan. 21.*

Hæc charitas, Sanctos Dei non modo divitiarum, dignitatum, atque honorum, verum etiam vitæ hujus contemptores effecit. Apoſtoli omnes nullis tyrannorum minis ſuppliciiſve abſterreri potuerunt, ne dilectiſſimum Ieſu nomen ubique palam prædicarent & extollerent. Petrus, Andreas, & Philippus pro Chriſti amore crucifigi non recuſarunt: Iacobus & Paulus capite truncari optati: Iacobus alter de pinna templi deiici, & fullonis fuſte mactari: Ioannes in bullientis olei dolium nudus dimitti: Thomas & Matthæus lanceis confodi: Matthias ſecuri percuti: Simon & Iudas irruente Sacrilegorum impetu ſe elidi, atque obteri gaudebant. Quid poſt illos de tot millibus Martyrum dicemus? quibus dulcia fuerunt tormenta, & pro nomine & amore Ieſu quamlibet contumeliam pati.

Plura motiva ad amorem Dei, Vide infra in praxi aſſiſtendi ægris & moribundis.

Exima eluxerunt exempla charitatis in plurimis Sanctis, ut in S. Petro: Paratus ſum tecum in carcerem & in mortem ire. S. Dominicus moriens, charitatem fratribus ſuis tanquam teſtamentum reliquit, *in Breviar. die 4. Auguſt.* Idem de S. Franciſco legitur. S. Ignatius Dei amorem, & maiorem gloriam ſemper in ore, & in opere habebat, adeò ut diceret, ſe malle gloriam Dei cum periculo ſuæ ſalutis promovere, quàm ſecurum de ſalute in cęlum migrare: *in Breviario die ultimo Iulii.*

Sententiæ ſelectæ &c. de Amore Dei.

DE amore Dei plurima occurrunt loca & Sententiæ in Scripturis, ut, *Deuter. c. 6.* 7. 10 11. 30. *Pſalm.* 17. 46. 109. 114 118. 144. 146. 148 *Proverb. c. 3* 50. *Eccl.* 13 43. 45. *Matth.* 17. 22. *Luc.* 6. 7. *Ioan.* 2. 3. 4. *Apoſtolus paſſim ad Rom. cap.* 5. 8, 9. 12 *& ad Cor.* 1 *cap.* 2. 13. 15. *& ad Corinth.* 2. *cap.* 5. 6. 12. *&c.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c *Matth.* 22. *Luc.* 10. de hoc Pręcepto agitur ſupra tom. 2. tract. 5.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prius dilexit nos. 1. *Ioan.* 4.

Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit. 1. *Corinth.* 16.

Manet tunc fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas. 1. *Cor.* 13.

Super omnia autem hæc, charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis. *Coloſſenſ.* 3. *v.* 6.

PATRES. Nihil pretioſius Deo virtute dilectionis, nihil deſiderabilius diabolo extinctione charitatis. *Auguſtinus.*

Qui præcepta Dei contemnit, Deum non diligit, neque enim Regem diligimus ſi odio eius leges habemus. *Iſidorus.*

Duas civitates faciunt duo amores: Ieruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſeculi: interroget nunc quiſque quid amet, & inveniet ubi ſit civis. *Auguſtinus.*

Minus Domine te amat qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. *Aug.*

Theſaurus indeficiens eſt amor divinus, quem qui habet dives eſt, quo quicumque caret, pauper eſt *Baſilius.*

Solus amor non ſentit onus.

Inter mundi & Dei amorem, hæc eſt differentia, quia amor mundi ab initio dulcis eſſe videtur, ſed finem amarum habet, amor vero Dei, ab amaritudine incipit, ſed ultima eius dulcedine plena ſunt. *Hugo Victorinus.*

Mundi amor, & Dei pariter, in uno corde habitare non poſſunt, quemadmodum oculi pariter cęlum & terram nequaquam conſpiciunt. *Cyprianus.*

De *Amore Dei controverſias modernas* reperies ſupra *Tom.* 2 *Tract.* 1 *cap.* 3 *pag.* 122. *Quæſtiones* Theologicas de Amoris Dei *Præcepto, Tract.* 5 *cap.* 1. *de* 5. *Decalogi Præcepto.*

AMOR PROXIMI.

SIcut Membra corporis inter ſe connexa ſunt, & ſe invicem juvant, oculus dirigit manum, manus defendit oculum, & ſic de cęteris; ſic quiſque proximo ſuo charitatis vinculo coniugi, & auxilio eſſe debet, uti pulchrè oſtendit. *Apoſtolus.*

Sicut Navis ſubmergitur niſi tabulæ ſint inter ſe firmiter coniunctæ, ita Reſpub. & familia privata perit, in qua nõ viget unio charitatis. Hinc ſecundum præceptum à Deo hominibus datum eſt, Diligere proximum ſicut ſe ipſum. Et Chriſtus ſæpius inculcavit. Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. *Ioannis* 15. *v.* 12.

Charitas excuſat defectus proximi: Qui vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo nõ conſideras? *Matth.* 7. *v.* 3.

Ignoſcendum igitur proximo ut Deus nobis ignoſcat; Si dimiſeritis hominibus peccata ſua, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. *Matth.* 14.

Ama-

Amandi ſunt etiam homines mali, & inimici, & pro iis orandum. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, *Matth. 5. v. 44.* Sic fecit Chriſtus in cruce; Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt. Et S. Stephanus pro lapidantibus oravit, *Act. 7.* Et Abraham apud Deum multum intercellit pro ſceleratis Sodomitis, ut fusè habetur, *Gen. 18.*

Ioſeph à ſuis fratribus in ciſternam coniectus, & Iſmaelitis venditus fuit, ſed ipſe eoſdem in Aegypto poſtea convivio excepit, frumento donavit, & ſingulos oſculatus eſt &c. *Gen. 37.* Moyſes pro Maria ſorore contra ipſum murmurante Deum oravit, & eam à lepra curavit. Iacobus Apoſtolus de pinnaculo templi præcipitatus, & occiſus, pro occiſoribus oravit. *Euſeb. l. 2. c. 23.*

Amoris ſtudium eſt amicis benefacere. Hoc apparet in amore fideli Ionathæ erga Davidem. Saul enim eius pater ſæpe vitæ Davidis inſidiatus eſt, ſemper filius detexit inſidias patris, frequenter iratum placuit, & à perſecutione Davidis avertit. 1. *Reg.* 18. 19.

Tobiæ charitatem Babilonica captivitas probatiorem fecit. Quippe in eadem captivitate conſtitutis, quo modo potuit, opitulari non ceſſavit, nunc verbis conſolando, nunc rebus juvando, & eos qui ab impiis hominibus occidebantur, ſepeliendo. Hinc cum & ipſe Regis Sennacherib iuſſu necãdus perquireretur, Deó favente, una cum ſuis periculum ſemper effugit. *Tobiæ* 1.

Beati Iob charitatis opera percenſentur, dum illi dicitur: Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti, vacillantes confirmaverunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti, *Iob.* 4.

Paulus quoque Apoſtolus, qualem erga proximos charitatem haberet, oſtendit, *ad Romanos* 9. dicens: Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Et 2. *ad Corinth.* 7 In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad convivendum. Et ad *Philip.* 1. Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos eſſe in viſceribus Ieſu Chriſti.

Apoſtolorum poſtremò omnium, & eorum qui illos ſecuti ſunt, unum hoc Charitatis propoſitum & documentum fuit; Neque rerum præſentium, neque vitæ mortalis ullam habere rationem, dum conſulitur ſpirituali ſaluti proximorum.

VIDE EX BREVIARIO *Quomodo per effectum probetur.* Pentec. lect. 2. & Dom. 3. Sept. fer. 6 lect 3 *eius præceptum tale, ut ſi ſolum fiat; ſufficiat.* F. S. Ioan. Euang. num. 2. lect. 3. *fons plurimarum virtutum* 28. Octob. lect. 3. *plenitudo legis*, die 4. Epiph. num. 1. lect. 3. *omne mandatum de eo ſolo*. Plurim. Mart. num. 3. *eius ordo*. Dom. 27. Pentec. num. 3.

Vide *liberalitas*.

Sententiæ &c. de Amore Proximi.

NOn decipiet unuſquiſque proximum ſuum. *Levit.* 9.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. *Deut.* 5.

Maledictus qui clã percuſſerit proximum ſuum. *Deut.* 27.

Audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicũ tuũ. *Matth.* 5.

Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, benefacite &c. *Idem ibidem*.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Marci* 4.

Dimittite & dimittetur vobis. *Luc.* 6.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos. *Ioan.* 13.

Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem. *Ioan.* 15.

Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti, *ad Galat.* 6.

Super omnia autem hæc, charitatẽ habete quod eſt vinculum perfectionis, *ad Coloſſen.* 3.

Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem habentes, quia charitas operiet multitudinem peccatorum. 1. *Petri* 4.

Qui non diligit manet in morte. 1. *Ioan.* 3.

Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. *Idem ibidem*.

Diligimus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt. 1. *Ioan.* 4.

Filioli non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate. *Idem*.

In hoc cognoſcent homines, quod diſcipuli mei eſtis; ſi invicem vos dilexeritis. *Ioannis* 13.

PATRES. Vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. *Auguſt.*

Sic affici debemus charitatis affectu; ut omnes velimus ſalvos fieri. *Aug.*

Finis præcepti eſt charitas. *Aug.*

Non memini legiſſe mala morte mortuum qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. *Hieronymus*.

Ficta eſt charitas, quæ deſerit in adverſitate. *Ambroſius*.

PHIL. POETÆ. Pauperibus ſemper clementem porrige dextram.

Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis.
Convenit & tanto, quantus es ipſe viro, *Ouid. de Ponto lib. 2. Eleg. 9.*

Rex eſt mendicus cui non eſt ullus amicus.
Extra fortunā eſt quidquid donatur amico.
Omnis amor cæcus non eſt amor arbiter æquus.
Nam deforme pecus iudicat eſſe decus.
Quiſque amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.
Tuta frequenſque via eſt per amici fallere nomen.
Tuta frequenſque luet ſi via crimen habet.
Vt ameris amabilis eſto. *Ovid.*

Habet in adverſis auxilia qui in proſperis commodat. *Seneca in Proverb.*

Qui ſuccurrere perituro poteſt, cum non ſuccurrit, occidit. *Seneca.*

Cunctis eſto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, ad iram tardus, ad miſericordiam pronus, in adverſis firmus, in proſperis cautus & humilis. *Seneca,*

Cato major; amantis animum dicebat in alieno corpore vivere, quod hodie quoque celebratur, animam potius eſſe ubi amat, quam ubi animat.

De hac Charitatis Quæſtiones Theol. ſupra Tom. 2. Tract. 3. Præcepto 2.

ASTVTIA.

Astuti ſunt imitatores dæmonis. Quia dæmō primus Magiſter aſtutiæ & calliditatis fuit; & in Serpente, qui erat callidior cunctis animantibus terræ, primam mulierem ſeduxit, & callidè non eſt aggreſſus virum, in quo major prudentia reſidebat, ut dicitur Gen. 20.

Aſtuti ſunt deceptores ſociorum, & ſemper novas vias ſubtilitatis ad decipiendum inveniunt. Sic Laban multoties voluit Iacobum deludere, nunc in uxore, nunc in mercede, & ſemper novas aſtutias exquirendo, *Geneſ.* 29. & 30. Filii Iacob voluerunt patrem aſtutè decipere mittentes ei tunicam intinctam ſanguine, ut crederet Ioſeph filium à beſtiis devoratum. *Geneſ. 37.*

Aſtuti ſunt crudeles & tyranni, qui per fraudes ſubditos & alios deprimunt & occidunt. Sic fecit Pharao, qui novas adinvenit aſtutias ut filios Iſrael extingueret. *Exo.* 1. 2. & 5 Callidè voluit Saul occidi David, ſimulās ſe velle dare filiam ei in uxorem. 1. *Regum* 18. Sceleratam & novam Iezabel invenit aſtutiam, ut vineam auferret Naboth, & eum occidi faceret ſine culpa: 3. *Regum* 21. Athalia Regina ut regnare poſſet, omne ſemen Regium callidè interfecit. 4 *Regum* 11. Herodes tyrannus impius callide cogitavit Chriſtum occidere, procurando innocentes pueros occidi. *Matth. 2.*

Aſtuti nituntur ſua ſcelera occultare, alique velamine bonitatis. Sicut David aſtutè voluit celare adulterium pietate, quando vocavit Vriam ut cum uxore quieſceret. 1. *Regum* 11. Amon volens violare ſororem, ſub ſpecie ægritudinis iniquitatem celavit. 2. *Reg.* 13.

Aſtuti ſimiles ſunt Venatoribus qui ponūt occultos laqueos & retia, ut aviculas ſimplices & innocentes capiant & decipiant. Similes & ſunt Piſcatoribus qui tegunt hamum parvis eſcis, quaſi muneribus, ut ſic magnos piſces capiant.

Aſtuti ſunt ſicut Serpentes & Anguillæ, quas dum putas te manibus retinere, ſtatim ſua lubricitate è manibus elabuntur.

Similes etiam ſunt Iano, quē Poetæ dicunt duas facies, unam ante, & alterā retro habuiſſe; ſic aſtuti habent duplicem vultum, duplicem linguam, verba duplicia, quæ pro ſuis lucris, tempori & loco accommodant.

Sed ſicut piſcis piſcem, & lupus lupum devorat, ſic juſto Dei judicio, unus aſtutus ab altero aſtutiore decipitur.

Sententiæ ſelectæ de *Aſtutia* habentur ſupra verbo *Adulatio*, & infra verbo *Mendacium*, *Hypocriſis* &c.

AVARITIA.

Varitia ſolet eſſe inſatiabilis, & impia. Infernus & perditio numquam replentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. *Pro.* 1. Avarus nō implebitur pecunia: & qui amat divitias fructum non capiet ex eis. *Eccleſ. 4.*

Quam ſi avaritia impia docet ibidem *cap.* 14. Avaro nihil eſt ſceleſtius. Et *cap.* 14 Qui aurum diligit non juſtificabitur. Et ideo monet *Eccleſ. cap.* 4. Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Et *cap.* 14. Væ qui prædaris nonne ipſe prædaberis. Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiuſpiam vita ejus eſt. *Luc.* 12. Et ideo *Luc.* 18. divitiæ dicuntur Spinæ, quæ ſuffocant bonum ſemen gratiæ, & vitæ ſpiritualis, & avarum potius pungunt & lacerant, quam ſatiant aut recreant.

Avari cupiditate ducti pervertunt judicium, & veritatem in falſitatem commutant. Vinea Naboth fuit cauſa quod falſi teſtes contra eum producti fuerunt. 3. *Regum* 21. Per pecuniam corrupti cuſtodes ſepulchri, mentiti ſunt dicentes, Corpus Chriſti per diſci-

diſcipulus ſublatum fuiſſe. *Matth.* 28. Felix præſes qui à Paulo pecuniam non recepit, ipſum non reſtituit libertati. *Act.* 24 Giezi ex avaritia accepit pecuniã pro curatione Naaman, quam Heliſæus fecerat gratis, & ideò lepra percuſſus. 3 *Regum* 5. Menelaus propter pecuniam quam promiſit Andronico, habuit Sacerdotium 2 *Machab.* 4. Sacerdotes propter avaritiã permittebant vendi in templo oves & columbas. *Matth.* 21.

Avari propter ſuam cupiditatem multoties incurrunt mortem. Nam Achior cupiditate ductus tulit de Anathemate Ierico; ideò fuit morti adjudicatus, ut habetur. *Ioſue* 7. Nabal qui nunciis David fuit nimis avarus, ſubſtantiam & vitam perdidiſſet, niſi ob largitatem & prudentiam vxoris Abigael evaſiſſet. 1. *Regum* 25

Avari ob pecuniam proditiones exercent, & Amicos ſupplantant. Nam Dalila propter pecuniam Samſonem tradidit, quem prium ſe diligere oſtendebat, ut dicitur. *Iudicum* 16 Iudas propter cupiditatem Chriſti tradidit & vendidit à quo tot & tanta receperat beneficia, ut habetur. *Matth.* 26.

Avari ſunt corrigendi à Prælatis, & à Deo graviter puniuntur. Nam præcipua occaſio reprobationi Saul videtur fuiſſe cupiditas; quam habuit in præda Amelech, ut habetur. 1. *Regum* 15. Opprimentes alios per uſuras & exactiones Neemias graviter increpavit. *Neem.* 5. Acerbè eſt punitus dives Epulo, qui de micis panis erga Lazarum avarus fuit. *Luc.* 16. Emptores boum & villarum ab avaritia mſunt excluſi à Cœna magna quam Dominus præparavit. *Luc.* 14. Graviter punita eſt avaritia Ananiæ & Saphiræ per Apoſtolum Petrum. *Act.* 5.

Avari ſimiles ſunt Ebrioſis, qui quo plus ſunt poti plus ſitiunt. *S. Baſil. Homil.* 7. *Hexam.* Sicut Mare nunquam eſt ſine fluctibus, ita avari nunquam ſũt ſine cura & turbatione, inquit *Chryſoſt. Hom.* 29. Sicut ignis & Infernus nunquam dicunt ſufficit, ita avari *Aug. Epiſt.* 5. *ad Bon.* Sicut ex mala Radice tantũ creſcunt mali fructus, ſic ex avaritia pullulant omnia vitia: quia teſte Scriptura, Radix omnium malorum eſt cupiditas.

S. Bonaventura, *in diæta, de peccat cap.* 6. non illepidè, ſordidè avarum Porco comparat, qui dum vivit, nec lac, nec lanam, nec aliud bonum ulli præbet, ſed dũm moritur totus eſt hominibus utilis, ita avarus nihil in vita, ſed omnia quæ collegit poſt mortem aliis diſpertit; animam cogitur dare dæmoni, corpus in alimentum vermibus, veſtimenta pauperibus, debita creditoribus, loculos hæredibus, &c.

Comparat eundem avarum Talpæ, quæ cæca cęlum non videt, & ſemper cumulos terreos congerit, & ſibi foveas multiplicat, & intra illas ſe libenter abſcõdit, & vix pedes habet ut ex tenebris prodeat, aut in luce ambulet. Similis etiã eſt Pixidi teſtaceæ undique clauſæ, quæ ad pecuniam recipiendam ſuperius perforata eſt, ſed receptam pecuniam nunquam reddit, niſi frangatur; ſic nec avarus niſi dum morte ſolvitur & conteritur, de quo rectè dicitur Iſaiæ 30. Comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli.

VIDE EX BREVIARIO. *Quomodo avarus non impleatur pecũnia.* Dom. 2. Aug. fer. 5. l. 3. *illo nihil ſceleſtius.* Dom. 5. Aug. fer. 5. l. 2. *regnum Dei non conſequitur.* Dom. 1. Epiph. fer. 4. l. 2 *vitium negotiantium* Dom. 1 Quadr. fer. 3. l. 3. *cauſa proditionis Chriſti.* Sabb. S. n. 2. l. 3. *Iuſtitiam inflectit* Dom. 3 Aug. n. 2. l. 1. *radix omnium malorum* Dom. 17. Pentec. n. 3. l. 2.

Vide *Liberalitas.*

Sententiæ ſelectæ &c. de Avaritia.

QVi confidit in divitiis ſuis, corruet. *Deut.* 11 Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam, qui autem oderit munera, vivet. *Deut.* 15.

Infernus & perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. *Ibid.*

Qui odit avaritiã longi fient dies ejus. *Ib.* 28.

Qui feſtinat ditari non erit innocens. *Ib. c.* 28.

Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet: *Deut.* 10.

Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris. *Eccl.* 4. *v.* 13.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. *Matth.* 6.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiũ quia nec auferre quid poſſumus. *Matth* 6.

PATRES. Avarus ante quam lucretur ſe ipſum perdit, antequam aliquid capiat, capitur. *Auguſt.*

Avarus vir inferno eſt ſimilis, quia nunquam dicit ſufficit. *Auguſt.*

Cum cetera vitia ſeneſcente homine ſeneſcant, ſola avaritia (in Senibus) iuveneſcit. *Hieronymus.*

Peccatum avaritiæ, mentem quam inſecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda ſublimia attolli non poſſit. *Gregorius.*

Avarus terrena eſurit, ut mendicus. *Bernard.*

PHILOS. ET POETÆ. Dormit nocte parum poſſeſſor divitiarum.

Non eſt in mundo dives qui dicit, abundo.
O dives dives, non omni tempore vives.
Quod parcus quæres, effundet prodigus hæres.

Semper avarus eget.

ARIST. Avarus in accipiendo nimius in dando parcus.

Duæ res ſunt, quę maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries, & avaritia. *Idem Ariſtoteles.*

Nihil eſt tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. *Cicero in Verrem.*

Nunquam placet Avarus, niſi in morte.

Tam deeſt Avaro quod habet, quam quod non habet. *Adagium apud Hieronymum ad Paulinum.*

Deſunt inopiæ plurima, avaritiæ omnia. *Seneca Epiſt.* 108.

Quæſtiones Theol. de Avaritia *ſupra Tom. 2. cap. 7. de furto, rapina &c.*

B.

BEATITVDO.

Beatitudo cōſiſtit in ſtabili poſſeſſione boni, quod per ſe poſſit perfectè ſatiare omnem appetitum, ſive deſiderium humanum. Non poteſt ergo beatitudo noſtra conſiſtere in opibus, aut in honore, aut voluptate rerum creatarum, quia hæ non ſunt ſtabiles, nec poſſunt conſtanter ſatiare noſtrum appetitum. Id teſtatur ſapientiſſimus Salomon *Eccleſ. cap. 1.* Conſideravi univerſa quæ fiunt ſub ſole, & vidi quia omnes ſunt vanitas & afflictio Spiritus; Et ideo dixit David *Pſal. 16.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. Nulla eſt ergo beatitudo in *Superbia, Avaritia, Luxuria.* Vide illa hic ſuis locis.

Quantus futurus ſit ſplendor & fulgor Beatorū in Cœlo, patet ex eo, quod Moyſes etiam in hac vita ex colloquio divino ſic radiabat, ut filii Iſrael nō potuerint oculos in eius faciē intendere. Quanto lucidiores erunt Beati, quorum corpus induet immortalitatem, & in corruptionem, iam facti cives Sanctorum, & domeſtici Dei, & cohæredes Chriſti.

De Beatis illis dicitur *Danielis* 12. Fulgebūt juſti quaſi ſplendor Firmamenti, & ſicut ſtellę in perpetuas æternitates. Cum ſole autem illos comparat Chriſtus *Matth.* 13. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Quod & Dominus in ſeipſo manifeſtare voluit, quando in monte *Thabor* nive candidior, & ſole ſplendidior apparuit, & tanta dulcedine Apoſtolos perfudit, ut Petrus expetierit ſibi & aliis conſtrui tria tabernacula, quaſi illic perpetuò permanſurus.

Veruntamen pro meritorum menſura claritas iſta ſingulis impertietur, teſte Apoſtolo, *1. ad Corinth.* 15. Alia, inquit, claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum; ſtella enim à ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. Et *2. ad Corinth. c. 3.* Nos verò omnes revelata facie Dominum ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquā à Domini Spiritu. Et *Ioannes 1. cap. 3.* Scimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt; & omnis qui habet ſpem in eo ſanctificat ſeipſum, ſicut & ille Sanctus eſt.

Erunt quoque Beati Impaſſibiles. Sicut ſcriptum eſt *Apocal. cap.* 7. Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus, quoniā Agnus qui in medio throni eſt reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt: & dixi qui ſedebat in Throno, Ecce nova facio omnia. Idemque dicitur *Iſaiæ c.* 49. Non eſurient, neque ſitient, neque percutiet eos æſtus & ſol, quia Miſerator eorum reget eos.

Habebunt quoque corpora Beatorum donum agilitatis & ſubtilitatis. Per hęc potuerunt in momento penetrare corpora etiam ſolidiſſima, ſicut radii ſolares per vitiū nec fractum nec læſum momento tranſeunt. Sic corpus Chriſti glorioſū clauſo ſepulcro reſurrexit *Ioann.* 20. Sic etiam ad diſcipulos clauſis januis intravit, dicens? Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: *Lucæ* 24.

Habebunt etiam Beati ſummum gaudium ex ipſius Cœli pulchritudine & præſtantia. Videmus enim illa etiam quæ ſub Cœlo ſunt ingentem habere decorem & pulchritudinem quæ animos mirificè oblectant, qualis eſt ſpecies & pulchritudo, & Solis, Lunæ, Syderum, ac totius Terræ, & Maris; quanto illuſtrius eſt ſupremum illud Cæli empyrei palatium, quod Deus ſibi ſuiſque Sanctis ad perpetuam eorum oblectationem fabricavit. Hinc cum ſtupore exclamat Propheta, *Baruch.* 2. O Iſrael, quam magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Et David *Pſalm.* 86. Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei: Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo in longitu.

gitudinem dierum Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini *Pſ.85.* Cæleſtis illa Hieruſalem *Apoc.8.* fuſius deſcribitur.

Sed maius erit gaudium in clara Dei viſione, & in ſocietate Chriſti, & omnium Angelorum, ac Sanctorum. Hoc ſpondet ipſe Chriſtus. *Ioann. 17* Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam quam dediſti mihi. Et Apoſtolus *1. ad Corinth. c.13.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Denique incomprehenſam iſtius felicitatis magnitudinem declarat *1. ad Corinth 2.* Oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparavit Deus diligentibus ſe.

Cæleſtis gloriæ magnitudinem Deus quibuſdam aliquo modo in hac etiam vita oſtendit. Exemplū eſt in Iacob, *Geneſ.18.* Vidit Iacob ſcalam de terra ad cælum uſque extenſam; & Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes, & exclamavit. Quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Et iterum *Geneſ.32.* Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Eodē modo Dominus ſe Moyſi oſtendit, *Exodi 33. Elias* curru igneo per turbinem in ſublime raptus fuit, & aliquid cæleſtis gaudii ſaltem à longè prælibavit. *4 Regum 2. Ezechiel* Propheta vidit ſuper firmamento ſedentem in Throno: & hæc, inquit viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. *Ezechielis 1.* Si illa tam ſtupenda fuit gloriæ ſimilitudo, qualis quæſo eſt ipſa gloria. *Stephanus*, etiam cum lapidaretur, Intendens cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei *Actorum 7. Paulus* Apoſtolus raptus eſt in tertium cælum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui *2. ad Corinth. cap. 12.* Ioannes Evangeliſta *Apocal. cap.4.* teſtatur ſe in cælo fuiſſe, non in corpore, ſed ſpiritu, ubi vidit ſedentem in Throno, voces cœleſtes audivit, conſpexit lampades, & tonitrua, & quatuor animalia Deum laudantia, & viginti quatuor Seniores adorantes ſedentem in Throno, & alia plurima.

Multa quoque cæleſtis gloriæ ſigna oſtenſa ſunt in vita & morte plurium Sanctorum, ut videre eſt nominatim in Vita S. Pauli primi Eremitæ, S. Odilonis, S. Auguſtini, S. Franciſci, S. Martini, S. Patricii, S. Thomæ Cantuarienſis, S. Alexii, S. Dorotheæ, S. Margarithæ, S. Agnetis, S. Catharinæ, S. Ceciliæ, S. Eulaliæ, quod & in pluribus aliis factum eſt, ut cæleſtibus hiſce ſignis & Sanctorum beatitudo oſtenderetur, & nos ad ardentem beatitudinis futuræ ſpem, & amorem incitaremur.

Futura hominis Beatitudo poſt huius vitæ labores, rectè cōparatur *Auroræ*, quæ poſt nocturnas tenebras nobis ſubito eluceſcit. Comparatur fragrantibus *Roſis* quæ ex ſpinis emergunt. Comparatur lætis & amænis *Fructibus*, qui ex vili ſemine in terram depreſſo, cum multo fervore conſurgunt. Seminatur, inquit Apoſtolus, corpus animale reſurget corpus ſpirituale: ſeminatur in correptione, reſurget in gloria &c. *ad Corinth. c. 15.* V. Gloria cæleſtis.

Sententiæ ſelectæ de Beatitudine.

INfelix, qui omnia novit, & te Deus neſcit; qui autem te & illa novit, non propter illa beatus, ſed propter te ſolum. *Auguſt.*

Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur. *Idem.*

Beatus non eſt qui quæ vult habet, ſi mala velit. *Idem.*

Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo. *Ambroſius.*

Nihil eſt ex omni parte beatum. *Horatius.*

Nil beata vita deſiderat, nil requirit, nullo eget, ſed ſe ipſa contenta eſt. *Ariſt.*

Omnis homo naturaliter beatus eſſe deſiderat. *Ariſtot. Ethic.1.* Et *D. Thom. part.1 q 19. art.10.*

HÆRESES *varias* de Beatitudine *vide ſupra Tom.1 pag.194.*

De viſione Beatifica, Lumine gloriæ &c. expoſitiones Theologicæ *ſupra Tom.II. Par.I. pag.9. & pag.26. ſeq.*

BAPTISMVS.

B*Aptiſmus præfiguratus fuit in figuris antiquæ legis.* Nam per mare rubrum filii Iſrael liberati ſunt, ideſt Chriſtiani, & Pharao, ideſt diabolus cum ſuis ſequacibus, eſt ſubmerſus. *Exodi 14.* Signabatur Baptiſmus per aquam in quam Helizæus miſit ſalem, ideſt, Chriſti gratiam *4.Reg.20.*

Septena lotio *Naaman* in Iordane quę eum mundavit à lepra, ſignat ſeptem dona Spiritus Sancti, mundantia hominem Baptizatum. *4. Reg.5.*

Baptiſmus prædictus fuit à Prophetis antiquis & novis: Nam de eo dici poteſt illud *Ezechielis*, effundam ſupra vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquinamentis veſtris. *Ezech.36.*

Ioannes Baptiſta cæpit Baptiſmum aquæ, ſed Baptiſmum Chriſti cum gratia & Spiritu Sancto prophetice prænunciavit *Matth.* 3. Baptiſmū approbavit Chriſtus, quando baptizatus eſt à Ioanne, & Spiritus Sanctus apparuit in Columbæ ſpecie, ut aquis virtutem tribueret ſalutarem. *Matth.* 3. *& Luc.* 3.

Præcepit Chriſtus Baptiſmum de neceſſitate, cum dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. *Ioan* 3. Prędicare etiam voluit Chriſtus Baptiſmum, & formam baptizandi, dicens. Euntes docete omnes gentes baptizātes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti *Matth.* 28. In Baptiſmo & Fide oſtendit Chriſtus eſſe ſalutem noſtram dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. *Marci ultimo*. Vide de Baptiſmo ſupra in part. 3. de Sacramentis, & infra in Catecheſi.

VIDE EX BREVIARIO. *Quæ inter Chriſti Baptiſmum & Ioannes differentia* Dom. III. Adven. Sabb. l 3. *Baptizatorum encomia, & vires*. Dom. in Alb. n. 2. *Baptiſmi neceſſitas non ſolum quoad gentilium ſed & Chriſtianorum infantes*. 28. Iul. n. 2. l. 3. *eius virtus quoad peccata*. Domin. III. Adv. Sab. l. 3. *& maculas animæ*. Dom. III. Quad. fer. 2. l. 3. *& ſanitatem Corporis* F. Silveſtri P. n. 2. & 9. Novemb. n. 2. l. 2. *eius ceremoniæ*, Sabb. ante Pent. n. 2. & Dom. II n. 3 *ad eum præparatio prius in anima*, fer. 6. Paſch. *neceſſaria baptizatis & baptizandis*, ibid. *promiſſa in eo ſervanda*, fer. 6. Aſcenſ. n. 4. l 2. *vis & uſus eius*, 28 Ianuar. lect. vii. 14. April lect. 1. 4. Maii l. 1. & n. 2. 2. Iun. l. 1. l. 2. Iul. n. 3. l. 3. *& ſæpius*.

Sententiæ aliæ de Baptiſmo.

QVicumque in Chriſto Ieſu Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Galat.* 3.

Vna fides, unum Baptiſma. *Epheſ.* 4.

Pænitentiam agite & Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti *Act.* 2.

Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. *Ioan.* 3.

Si Baptizata eſt caro Chriſti quæ ſine peccato erat propter exemplum imitationis: quanto magis Baptizanda eſt caro mortis propter evitandum judicium damnationis. *Auguſt.*

HÆRESES de Baptiſmo, *vide ſupra Tom. I. pag.* 203. de Baptiſmo per Martyrium v. *Tomo II. Part. I. pag.* 90.

Quæſtiones Theologicas v. *Part. II. de Sacrament. pag.* 267.

BENIGNITAS DEI.

B*Enignus eſt Dominus tribulationem ſuſtinentibus*. Ideò fugienti Iacob iram fratris ſui Eſau Dominus benigne apparuit, & revertentem benignè defendit. *Geneſ* 32. Heliæ in neceſſitate corvus panes & carnes iuſſu Dei cum benignitate ferebat. 3. *Reg.* 17. Eidem Heliæ feſſo & dejecto Deus panem & aquā per Angelum deſtinavit. 3. *Reg.* 3 *&* 19. cum Azaria & ſociis eius in fornace vidit Nabuchodonoſor ſimilem filio Dei, ad probandum, quod Deus tribulatis adeſſe ſoleat. *Dan.* 3. Danieli exiſtenti in lacu leonum, Deus benignè miſit prandium per Abacuc de longinquo. *Dan.* 14. Diſcipulis de Chriſti receſſu dolentibus ipſe Spiritum paraclitum promiſit, & dedit. *Ioann.* 14. *Act.* 2. Petrum fluctuantem in mari Dominus benignè de fluctibus liberavit *Matth.* 14. Stephano poſito in tribulatione Martyrii Dominus benignè cęlum apertū & ſeipſum oſtendit, cuius aſpectu Stephanus recreatus, ſpiritum ſuum illi cum lætitia commendavit *Actorum* 7. Latronem clamantem in ſuis tribulationibus conſolatus eſt Dominus dicens; Hodie mecum eris in Paradiſo. *Luc.* 23. Ionam devoratum à balena Dominus miſericorditer liberavit. *Ioan. c.* 2.

Benignus eſt Deus iuſtis, & rectè viventibus. Ideò Ezechias Rex dixit: Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt Deū. 2. *Paralip.* 30. Miſit Dominus benignè Angelum Raphaelem, qui Tobiam duxit incolumem & reduxit. *Tobiæ* 5. *uſque ad* 12. Magdalenam pio operi intentam Chriſtus benignè, diſcipulis murmurantibus excuſavit. *Matth.* 26. *Marci* 14. Exaudivit Dominus innocentem Suſannam, & benignè eam ab iniuſtis ſenibus liberavit. *Danielis* 13. Diſcipulos Chriſtus benignè defendit tempore Paſſionis dicens; Si me quæritis, ſinite hos abire. *Ioannis* 18.

Benignus eſt Dominus prælantibus pro juſtitia, eos confortando, & adiuvando. Ideò obedivit Dominus vocis Ioſuæ dicentis, Sol contra Gabaon non moveatur. *Ioſ.* 10. Gedeoni dedit bis ſignum in vellere, quod de hoſtibus victoriam obtineret, *Iudic.* 6. Machabæus & qui cum eo erant, bis à Deo auxilium acceperunt. 1. *Machab.* 10.

Benignus eſt Dominus peccatoribus; volentibus pænitere. Ideò benigne pepercit David confitentis peccatum cum à Nathan fuit reprehen-

tus

ſus. 2. *Reg.* 12. Exemplum Chriſti de filio prodigo, maximam Dei benignitatem in peccarores oſtendit. *Luca* 20. Zachæus publicanus qui Chriſto deſiderabat videre, benignè fuit à Domino viſitatus. *Luca* 16. Latroni petenti ſui à Chriſto memoriam, promiſit brevi tempore Paradiſum *ſupra Luc.* 23. Magna pietas Chriſti qua Petrum ter negantem non obiecit ſed potiùs benignè reſpexit. *Luca* 22. Thomam non credentem non repulit, ſed ſe ab eo tangi & palpari permiſit. *Ioan.* 20. Saulum perſecutorem proſtrarum & excæcatum benignè erexit & illuminavit. *Act.* 9.

Benignus eſt Dominus agris & infirmis. Nā circuibat Ieſus totam Galilæam, ſanans omnem languorem & infirmitatem. *Matth.* 4. & 9.

VIDE EX BREVIARIO. *Quomodo benignus Deus vocet ad pœnitentiam.* F. Silueſt. n. 1. l. 2. *omnia diſponit in miſericordia.* Dom. III. Aug. Sabb. *plena eſt ea terra.* Fer. 2. Pſ. 32. *unica cauſa redemptionis.* Dom. IV. Adv. n. 2. l. 2. V. Conſolatio divina.

Vide eum Sententiis ſupra *Amor Dei*, & infra *Conſolatio divina*.

BLASPHEMIA.

B*Laſphemi in Deum graviter puniuntur etiam in hac vita.* Nam filius mulieri Iſdraelitæ, quia blaſphemaverat Deum, iuſſum eſt à Domino lapidari. *Levit.* 14. Vir dixit ad Regem Iſdrael, qui dixerant Deus montium Dominus, & non Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua. 3. *Reg.* 20. Multum diſplicuerunt Domino blaſphemiæ ſervorum Senacherib Regis Aſſyriorum, propter quas percuſſit Deus 185. millia hominum de exercitu eius. 4. *Reg.* 19. Multum aggravavit Nathan peccatum David, quod fecerat inimicos blaſphemare nomen Domini. 2. *Reg.* 12.

Blaſphemia ex magna ſuperbia oritur. Vndè Nabuchodonoſor dixit tribus pueris, quis eſt Dominus qui eripiat vos de manu mea? Quia ſtatuam eius adorare nolebant. *Daniel.* 3. Holofernes indignatus, quia Achior Dei potentiam commendavit, dixit: Oſtendā tibi quod non ſit Deus in terra niſi Nabuchodonoſor. *Iudith.* 6. Dicentibus Iudæis Nicanori: Eſt Deus potens in cęlo, qui iubet cuſtodiri Sabbathum, reſpondit, & ego potens in terra, qui iubeo ſumere arma. *Machab.* 15.

Blaſphemant in Deum increduli & infideles detrahendo operibus Dei. Vndè cum Ieſus eieciſſet dæmonem Pharisæi clamabant. In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia. *Matth.* 12. *Luca* 11. Pendente Chriſto in Cruce prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificans illud. *Matth.* 22.

Sicut Canes dicuntur contra lunam latrare, ita impii ſicut canes rabidi contra Deum, & Dominum ſuum blaſphemant. Linguam habent blaſphemi inſtar Serpentis, quæ non novit aliud, quàm venenum evomere, etiam contra Deum, qui omnes quaſi in ſuo ſinu fovet.

VIDE EX BREVIARIO. *Quomodò blaſphemia flagellet Chriſtum.* Dom. IV. Quad. fer. 2. l. 2. *frequentior vitæ quam linguæ* 7. Aug. n. 2. l. 1. *blaſphemi regnum Dei non poſſidebunt.* Dom I. Epiph. fer. 4. l. 2. *qui diligit maledictionem veniet ei.* Sabb. Pſal. 108.

Sententiæ ſacræ de Blaſphemia.

NOn aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum (quanto minus ad blaſphemandum) *Exod.* 20.

Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur. *Levit.* 24.

Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus, ſi autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? *Reg.* 2.

Davidi dictum. Quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi morte morietur. 2. *Reg.* 18.

Docuit iniquitas tua os tuum, & quia imitaris linguā blaſphemantium, condemnabit te os tuum, & non ego *Iob* 15.

Vir multum jurans replebitur multa iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga. *Eccl.* 23.

Omnia remittentur filiis hominum peccata &c. atqui blaſphemaverint in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum. *Marc.* 3. *Luc.* 12.

Non minus peccant qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. *Auguſt.*

Quæſtiones Theol. ſupra de Blaſphemiā & juramento contra 2. præceptum, vide *Tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2.

C.

CASTITAS, ET CONTINENTIA.

C*Aſtitas ſervatur in ſocietate bonorum, & perditur in conſortio malorum.* Quamdiu Di-

Dina fuit cum fratribus ſuis, & patre, manſit caſta, ſed exiens mulieres peregrinas curioſè videre, corrupta eſt. *Gen.* 34.

Caſtitatem violantes graviter puniuntur. Nam cum Sichem violaſſet Dinam filii Iacob, fratres eius Sichem & patrem & populum occiderunt *Gen.* 30. Amon propter deſlorationem Thamar ab Abſalone in convivio eſt occiſus, 2. *Reg.* 13. Poſt violationem uxoris Levitæ pluſquam ſexaginta millia hominum ſunt occiſi. *Iud.* 20.

Caſtitas cara res eſt, & multum diligenda. Ideò Ioſeph licet eſſet juvenis, & ſollicitaretur à domina, maluit incarcerari, & diffamari quàm perdere caſtitatem. *Gen.* 39. Sic diligebat Sara caſtitatem ut diceret; Tu ſcis Domine quia nunquam concupivi virum. *Tob.* 3. Graviter fuit Suſanna moleſtata à ſenibus; ſed nec famam, nec vitam præpoſuit caſtitati. *Dan.* 13. Virgo Maria non eſt oblita votum caſtitatis ſervare, licet Angelus diceret ei, quod de ea filius Dei naſceretur. *Luc.* 1.

Caſtitatem maximè ſervare debent, Sacerdotes & miniſtri Dei. In cuius figura dicitur quod mundi debeant eſſe à mulieribus qui panes ſacerdotales manducarent, ut habetur 1. *Regum* 24.

Argumentum eſt caſtitatis Prælatis & Clericis, quod Stephanus in primitiva Eccleſia tam caſtus fuit, ut non dubitaverint eum mulieribus perficere. *Act.* 6.

Caſtè debent vivere relictæ, & viduæ, quibus caſtitas eſt difficilior. Ideò Iudith poſt mortem viri ſui non cognovit alium virum, ſed cum puellis ſuis clauſa morabatur, habens ciliciũ ſupra lumbos, & jejunans cunctis diebus. *Lib. Iudith.* Anna vidua fuit uſque ad annos octoginta quatuor; quæ non deſcendebat de templo, jejuniis, & orationibus vacans. *Luc.* 2.

Caſtitas debet aliis virtutibus adornari. Quod oſtenditur in Parabola de decem Virginibus ubi tot Virgines fatuæ excluſæ, licet caſtæ erant, oleum tamen bonorum operum non habebant. *Matth.* 25.

Caſtitas ſimilis eſt puriſſimo Speculo, quod minimo halitu obſcuratur. Similis eſt Roſis, & floribus, qui ſi tangantur marceſcunt, intacti fructum gratiſſimum fuerunt. Vide *Luxuria*.

VIDE EX BREVIARIO. *Quomodò faciat amabiles.* Dom. III. n. 2. l. 2. *ſine bonis operibus non eſt magna.* Com non Pontif. n. 3. l. 2. *Servanda maximè Eccleſiaſticis.* 28. Aug. n. 2. l. 3. *per vim violata, duplicat coronam.* 13. Decemb. n. 2. l. 3. *Virginitati juncta valdè ſublimis.* 22. Novemb. n. 3. l. 1. *ſummis laudibus extollitur.* 2. Com. Virg. n. 2. l. 4. *fluxit de cœlo.* Ibid. l. 5. *æternum Patris Verbum è cœlo traxit.* Ibid. *conjugio prævalet.* Dom. II. Epiph. n. 3 l. 2. & fer. 5. Ibid. *Deo charos facit.* 6. Maii n. l. 3. *Angelis ſimiles.* Com. Virg. n. 2. l. 2. *Præmium eius ſummum erit.* 5. Febr. n. 3. *non eſt ſervatus impoſſibilis.* 5. Febr. n. 3. *ſola ad ſalutem non ſufficiens.* Com. Virg. n. 3 l. 3.

CALVMNIA vide *Detractio*.

Sententiæ ſelectæ de Caſtitate.

PEpigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine. *Iob.* 13. multo magis ne oculis fixè contemplemur.

Ne aſpicias in mulieris ſpeciem, & ne concupiſcas mulierem à ſpecie. *Eccleſ.* 25.

Scio, quoniam non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. *Sapient.* 8.

Melius eſt mihi incidere abſque opere in manus hominum, quam peccare in conſpectu Domini. *Danielis* 13. Ita Suſanna de libidine iniquè accuſata.

Sunt Eunuchi qui caſtraverunt ſe ipſos propter regnum cœlorum. *Matth.* 19.

Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt. 1. *ad Corinth.* 7.

Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. 1. *ad Corinth.* Præclarum pro illis ipſius Apoſtoli exemplum.

Qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit, & qui non jungit, melius facit. 1. *ad Corinth.* ubi conſilium illud Evangelicum comprobatur.

Fructus Spiritus eſt charitas, continẽtia, caſtitas *ad Gal.* 5. ubi continẽtia & caſtitas Charitati reginæ virtutum proximè adiungitur.

PATRES. Non dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius *Auguſt.*

Pudicitia virtus animæ eſt, & comitem habet fortitudinem. *Idem de Civit. Dei.*

Quacumque virtute polleas, quibuſcumq; operibus niteas, ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahes. *Hieron.*

Maius miraculũ eſt de carne propria fomitem eradicare luxuriæ, quã expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis. *Aenor. Beda.*

CHARITAS. V. AMOR.

AMor Dei facit miſericordiam obtinere. Ideò daturus Dominus Legẽ Moyſi dixit: Ergo Dominus facio miſericordiã his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. *Exod.* 20.

Amor

Amor Dei principium & finis eſt omnium mandatorum. Ideò dixit Moyſes: quid petit Deus à te, niſi ut ambules in viis ejus, & diligas eum *Deut* 10. Paulus etiam dixit: Si quis non amat Deum anathema ſit: ac ſi diceret defectu charitatis hominé a Deo ſeparari. 1. *ad Corint.* 16. Hoc eſt etiam quod Paulus dixit; Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem non habeam factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens *&c.* 1. *ad Cor.* 13.

Vide ſuprà fuſiùs *Amor Dei, & Amor proximi.*

CHRISTUS.

CHriſti vita, virtutes, doctrina, mircaula exponuntur in toto Evangelio, in quo ut ſingulas facilius inveniantur, præcipua myſteria & loca breviter audiamus. Chriſti Conceptio, Nativitatis, Divinitas, *Matth.* 1. *Luc.* 1. *&c* Baptiſmus Chriſti & vox de cœlo. *Matth.* 3. *Marci* 1. Jejunat 40. diebus & tentatur à dæmone. *Matth.* 4. Vocatio Apoſtolorũ *Matth.* 4. Sermo Chriſti in monte, octo beatitudines, & excellentia legis Evangelicæ enarratur. *Matth.* 5 Mittit Apoſtolus ad prædicandum, & dat ipſis virtutem operandi miracula. *Matth.* 9. *v.* 37. *Luc.* 10. *v.* 2. Transfiguratio Chriſti glorioſa, & vox de cœlo audita *Matth.* 17. *Luca* 9. *v.* 29. Inſtituit cœnam Euchariſticam ſui corporis & ſanguinis. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Lucę.* 22.

Chriſti miracula & miſericordia in curandis infirmis. Sanat decem leproſos & dæmoniacum. *Lucę* 17. Illuminat cęcum. *Marc.* 10. & plures alios infirmos & ſocrum Petri. *Matth.* 8. Paraliticum per tectũ demiſſum. *Matth.* 9. Hydropicum. *Lucę* 14. Manum aridam. *Marc.* 3. Languidum ad piſcinã. *Ioann.* 5 Servum centurionis. *Matth.* 8. Filium Reguli. *Ioan.* 4. Mulierem à fluxu ſanguinis *Matth.* 9.

Chriſti doctrina in variis parabolis elegantur ab eo propoſita: In parabola ſeminantis explicat effectum varium, verbis & gratię divinæ *Luc.* 8. In zizaniis exponit malitiam dęmonis, hęreticorum, & improborum hominum *Matth.* 13. In grano Synapis vim doctrinæ Evangelicæ. *Matth.* 13. In negotiatore emente pretioſam margaritam ſtudium regni cœleſtis præ rebus terrenis. *Matth.* 13. In ove perdita oſtenditur charitas Chriſti in quærendis & recipiendis peccatoribus *Lucę* 5. Eadem declaratur in filio prodigo. *Lucę* 5. Et in homine à latronibus ſauciato, & à Samaritano benigne curato.

Charitatem erga proximum in remittendis injuriis, explicat in ſervo qui debeat 100. talenta, *Matt.* 18. *Humilitatem & ſuperbiam* in Publicano & Phariſæo. *Luc.* 18. *Diligentiam* in exercitio bonorum operum commẽdat in operariis in vineam miſſis. *Matth.* 20. *Vocationem* variam ad gloriam regni cœleſtis aptè exponit in parabola de invitatis ad nuptias, & ad cœnam magnam. *Matth.* 22. *Lucę* 14. Et de decem virginibus, & quinque talentis. *Matth.* 25. *Lucę* 19.

Chriſti pro ſalute hominum paſſio, mors, & ſepultura. Matth. 27. Marc. 25. Luc. 23 Ioan. 22.

Chriſti reſurrectio à mortuis, & Apparitio varia. Matth. 28. *Eius glorioſa in cęlum Aſcenſio*, Marc. 16 Lucæ 24. Ioan. 13. *Chriſtus in cœlo noſter mediator & advocatus*. Ioan. 6 & 14.

VIDE EX BREVIARIO. Chriſtus *Agnus*, 13. Novemb. nocturno 2. l. 3. & 30. n 2. l. 2 & fer 3. Maii hebd. n. 1. l. 1. & 14. Sept. n 3. l. 4. *Angelus*. 20. Matr. n 2. l. 2. *Aquila*. Fer. 3. infra Dom. Aſcenſ. n. 2. *Avis*. Ibid. fer. 4. n. 2 l. 3. *Flos*. Dom. II. Adv. n. 2 l. 2. *Gallina*. Fer. 6. Dom. III. Quadr. l. 3. *Granum frumenti*. 1. Febr. n. 3. *Lux*. Sabb. Dom. IV. Quadr. *Mons* Dom. Palm. n. 3. l 2. Com. Doct. n. 3. l. 3. *Sella* die 6. infra Epiph. n. 3. l. 2. *Sol*. Octav. Aſcenſ. n. 3. l. 1. *Via*. Dom. Quinquag. n. 3. l. 3. *Vitis*. Com. plur. Mart. temp. Paſch. n. 3. *Caput Eccleſię*. Dom. IV Epiph fer. 3. n. 1. *Medicus*. Dom. infra Aſcenſ. n. 2. *Pater*. Sabb. ante Pentec. n 3 *Paraclitus*. Ibid *Paſcha noſtrum*. Dom. I. Epiph. fer. 3. l 2. *Propitiatio noſtra*. Feſt. Ioann. Evang. n. 1 l 3 *Dominus*. Dom. VIII. Pentec. n. 2. l. 3. *Rex*. Sabb. ante Dom. Palm. *Sacerdos*. Fer. 3. infra Corp. Chriſt. n. 2. l. 2. Virtutes ejus: *Charitas*. Octav. Innocent n. 2 l. 3. *Humilitas per quam noſtram ſuperbiam increpavit*. 12. Maii. *Iuſtitia, quam cum manſuetudine exercuit*. Dom. III. Quad. Sabb. l. 3. *Obedientia* Dom. infra Epiph. l. 3. *Oratio*. Fer 6. Pent. l. 1. 25. Aug. n. 3. *Paupertas* Com. non Pontif n. 3. l. 3. Paſſio ejus. *Nec ſolus Deus, nec ſolus homo pati potuiſſet*. Octav. Aſcenſ n. 3. l. 3. *In cruce extendens manus, contradicentes expectabat*. Fer. 5. Maii hebd. n. 2. l 3 *Vulneribus ſuis noſtra ſanare voluit* Fer. 3. Paſch. l. 2. & Dom. II. Paſch. n. 2 l. 3. *Extra portam paſſus eſt*. Dom 6. Epiph. Sabb. l. 3. *Neque attendebat à quibus. ſed pro quibus pateretur.* Dom. Paſch. fer. 2. l. 3. Reſurrectio. *Per hanc majorem gloriam acquiſivit*. Com. Evang. n. 3. l. 3. *Eſt ſpes noſtra.* Dom. infra Aſcenſ n. 2. l. 2. *Ejus Aſcenſio noſtra Glorificatio*. Dom. infra Aſcenſ. n. 2. l. 2. Majeſtas *in facie ejus occulta relucebat*. 21. Sept n. 3. l. 1. *Honor ei debitus*. Dom. II. Adv. n. 3. l. 1 *Imitandus*; 12. Aug. n. 3. l. 2. Figuræ ejus *Iacob* Dom. II Quadr. n. 2. l. 2. *Ionas*. Dom. I. Quadr fer. 4. *Salomon*. Dom. VIII. Pentec. n. 2. *David*. Dom. IV. Pentec. *Elias*. Ibid. lect. 2.

HÆ-

HÆRESES circa perſonam Chriſti V. ſupra *Tom. 1. pag. 206.* & circa ejus Incarnationem *Tom. 2. part. 1. pag. 82.*

CONFESSIO PECCATORUM.

P*Lacet Deo humilis peccati confeſſio.* Reprehenſus David à Nathan peccatum ſuum patenter & humiliter eſt cōfeſſus dicens, peccavi domino, & confeſtim veniam obtinuit. *2 Reg. 12.* Veniebat ac Ioannem omnis populus Iuda, Confitentes peccata ſua. *Matth. 3. Marc. 1.* In cujus figura dixit Chriſtus leproſis. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. *Luc. 17* Prædicante Paulo multi veniebant Confitentes peccata ſua. *Actor 9.*

Confeſſio peccatorum debet eſſe cum ſpe veniæ, & non cum deſperatione. Ideò confeſſio Cain Deo non placuit, nec ipſi profuit, quia cum deſperatione dixit; Major eſt iniquitas mea quam ut veniam erat. *Geneſ 4.* Iudas confeſſus eſt peccatum ſuum, dicens, Peccavi tradens ſanguinem juſtum &c. Sed ipſi non profuit, quia cum deſperatione fecit. *Matth. 26.*

Confeſſio peccatorũ debet eſſe cum propoſitio ulterius non peccandi. Ideò Pharaoni dicenti, Peccavi, non profuit illa confeſſio; quia non intẽdebat deſiſtere à peccato, & duritia cordi ſui. *Exod. 10.* Simile accidit Sauli, cum reprehenderet eum Samuel de inobedientia erga Deum. *1. Reg. 15* Sed quia David agnovit ſuum peccatũ cum intentione ulteriùs non peccandi, Dixit ei Nathan, Transtulit Dominus peccatum tuum. *2. Reg. 12.*

Confeſſionem inducit aliquando tribulatio & afflictio. Ideò dicit Pſalmiſta; Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà acceleraverunt, ſcilicet ad confeſſionem. *Pſal 15.* Afflicti Iſraelitæ per ſerpentes dixerunt Moyſi: peccavimus, quia locuti ſumus contra te. *Num. 21* Oppreſſi filii Iſrael à Philiſtæis & filiis Amō confeſſi ſunt, dicentes, peccavimus. *Iud. 10.*

Confiteri debent homines quantumcumque juſti, & ſe peccatores reputare. Exemplo Neemiæ dicentis; ergo & domus Patri mei peccavimus, iniquitatem fecimus. *Neem. 1.* Orans Daniel, qui erat vir perfectus dicebat, Peccavimus, iniquitatem fecimus. *Daniel 9* Sextus illorum ſeptem fratrum Machabæorum confeſſus eſt qui pro Domino ſuſtinebant Martyrium, vide Controverſias & Hæreſes de cōfeſſione *Tom. 1. pag 100. & pag. 189.* Hæc patimur quia peccavimus. *2. Machab. 7.*

Vide infra in Catecheſi cap. 4 de Sacrament. Pœnit Item in Reſol. Theol. Trip part. 3. cap. 1. &c.

VIDE EX BREVIARIO. Confeſſio. *Qui ejus effectus.* In Feſto Ioan. Fu. n. 1. l. 2. *Ad ſalutem neceſſaria*, Com. Dedic. n. 3. l. 3. *Initium bonorum* fer 2. Pentec. l. 3. & *vulnerum Animæ ruptio.* Dom. II. Quadr. fer. 5. Abſolutio *quantæ efficacia* Dom. I. Quad. Sabb. l. 2. *Non erubeſcendum confiteri.* Dom. IV. Aug. Sabb. l. 2, & fer. 2. Pent. lect. 3.

Sententiæ ſelecta &c. de Confeſſione Peccatorum.

NOtandum, in his non agi de ſola Confeſſione Sacramentali.

Confeſſio fit ad ſalutem *ad Rom. 10.*

Confitemini alterutrum peccata veſtra. *Iacobi 5.* Confitentes peccata ſua *Matth. 3.*

Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt *Ioann. 16.*

Si confitemur peccata noſtra, Deus fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. *Ioann. 1.*

Vade lavare ſepties in Iordane, & recipiet caro tua ſanitatem, & mundaberis. *4 Reg. 4*

Delictum meum cognitum tibi feci & iniuſtitiam non abſcondi. *Pſalm. 31.*

Confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino &c. *Pſalm. 31.*

Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit, ea miſericordiam conſequetur. *Pſalm. 28.*

Non confundaris confiteri peccata tua. *Eccleſ 4.*

Vade & oſtende te ſacerdoti, & offert munus tuum. *Matth. 8.*

PATRES. Quem pænitet, omnino pæniteat, & dolorem lacrimis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo pro Sacerdotes, proveniat judicium Dei per confeſſione. *Auguſtinus.*

Non operui ſed aperui, uti aperires; non cælavi ut tegeres, nam quando homo detegit, Deus tegit, cum homo cælat, Deus nudat, cum homo agnoſcit, Deus ignoſcit. *Auguſtinus.*

Qui vult confiteri peccata ſua, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare & ſolvere: ne cum negligens circa te extiterit, negligatur ab illo. *Auguſt.*

O homo quid times confiteri? illud quod per confeſſionem ſcio minus ſcio, quam illud quod neſcio: cur confiteri erubeſcis peccata tua? peccator ſum ſicut & tu: homo ſum, humani à me nihil eſt alienum. Confitere homo homini, homo peccator, homini peccatori:

Elige

Elige quod vis, ſi non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. *Auguſtinus in Pſalmos*.

Qui promereri vult quod expetit, debet malum confiteri quod fecit: valde enim facile eſt, ut peccatorem ſequiſque fateatur, cum nihil pro peccato ſuo patitur. *Gregorius 8. moralium*.

Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio peccatis veniam donat. Omnis ſpes in cōfeſſione conſiſtit, in confeſſione locus miſericordiæ eſt: nulla tam gravis eſt culpa, quæ per confeſſionem non habeat veniam. *S. Iſidorus*.

Quantum diſplicet Deo imprudentia peccatoris, tantum placet verecundia confitentis. *Bernardus*.

O Beata confeſſio, quæ æternum tollit opprobrium. *Caſſiodorus*.

Confeſſio aperit paradiſum, confeſſio ſpem ſalvandi tribuit: unde ſcriptura dicit, dicitur iniquitates tuas, ut juſtificeris. *Ambroſius*.

CONSILIVM BONVM.

C*onſilium Sapientum ſervandum eſt*. Ideò dicebat filio Tobias, Conſilium ſemper à ſapiente perquire. *Tobiæ 4.*

Qui non credit Conſiliis Sapientum perit: Sicut filii Iſrael, qui noluerunt credere Moyſi ſapienti & experto dicenti, non aſcendatis, ideò victi fuerunt, *Num.* 14. Roboam quia non tenuit Conſilium Seniorum ad clementiam, ſed conſilium juvenum ad jugum duriſſimum ſubditis imponendum, magna pars populi ab illo defecit, 3. *Reg.* 12. Daniel plenus ſapientia dedit bonum conſilium Nabuchodonoſor, ut peccata ſua eleemoſynis redimeret, ſed ipſe non credidit, ideò ad beſtias eſt translatus. *Daniel.* 4.

Conſiliis amicorum eſt credendum. Nam fidele conſilium dabat Achior Holoferni cum quo erat in èxercitu, ſed quia non credidit, occiſus fuit, *Iudith.* 5. Godolias qui non credidit Conſiliis Iohannam ut ſibi caverèr, mortem incurrit, *Ierem.* 41. Iudas cum paucis pugnaturus contra multos, noluit acquieſcere conſiliis amicorum, ut meliorem opportunitatem exſpectaret, ideò in prælio interiit. 2. *Macbab.* 9. Conſilia octo Euangelica ad beatitudinem obtinendam præbuit Chriſtus in monte. *Matthæo* 5.

Conſilium bonum *Simile* eſt optimæ Medicinæ, qua homines ad ſalutem perducuntur, & a morte conſervantur: conſilium verò perverſum ſimile veneno, aut peſti, qua homines inficiuntur & pereunt.

VIDE EX BREVIARIO. *Malè vivitur ſine bono conſilio* Dom. IV. Aug. n. 2. l. 2. *Malorum Conſilium diſperdet Deus* fer. 2. Pſal. 32. *Manente conſilio Domini in æternum.* Ibid. *Conſilia Euangelica, cuſtodiunt præcepta divina* in Communi Virginum nocturno 2. l. 2.

Sententiæ ſelectæ de bono Conſilio.

AVdi verba atque conſilia, & erit Dominus tecum. *Exodi* 18.

Gens abſque conſilio, & ſine prudentia, utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. *Deut.* 2.

Pete à Deo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. *Tobiæ* 4.

Cuſtodi conſilium, & cuſtodiet te. *Prov.* 2.

Cuſtodi legem meam, atque conſilium meum, & erit vita animæ tuæ. *Prov.* 3.

Conſiliū ſemper à Sapiēte perquire. *Tob.* 4.

Qui Sapiens eſt, audit conſilia. *Prov.* 12.

PATRES. Quid tibi prodeſt habere Sapientiam, ſi conſilium neges. *Ambroſius*.

Dare ſtulto conſilium charitatis eſt, dare Sapienti oſtentationis; dare verò tempore perverſitatis, ſapientiæ. *Ambroſius*.

Nullus fidelior tibi ad conſilium poteſt eſſe, quam qui non tua, ſed te diligit. *Greg.*

Omnia prius conſilio expetiri quam armis, Sapientem decet. *Terentius*.

Conſilium nobis Reſque, Locuſque dabunt. *Ovidius*.

CONSILIVM MALVM.

C*Conſilium malarum mulierum deteſtandum eſt*. Nam Eua malè conſulvit & perſuaſit viro, ut de ligni vetiti fructu manducaret; quod & fecit, ideoque amœniſſimum locum paradiſi perdidit, *Geneſ.* 2. Domina cui ſerviebat Ioſeph malè conſulebat eī, ut caſtitatem perderet, cui non acquievit, & factus eſt Dominus Ægypti, *Geneſ.* 39. Mulieres perſuaſionibus perverterunt cor Salomonis, ut adoraret idola, ut habetur, 3. *Reg.* 11. Nefandum cōſilium dedit Herodias filiæ, dicens, nihil aliud petas niſi caput Ioannis. *Matth.* 14. *Marc.* 6.

Conſilium malum aliquando dant ſubditi Principibus & Prælatis. Sic populus Iſrael malè conſulit Aaroni ut faceret iis vitulum aureum quem adorarent; quibus Aaron ſtultè credidit, & ſcandalum incurrit. *Exodi* 32.

Malum conſilium conſultori peſſimum. Sic Aman conſilium dedit ut ſuſpenderetur Mardochæus, & ideò ipſe ſuſpenſus fuit. *Eſther* 6. Achitophel videns ſuum cōſilium contemni laqueo ſe ſuſpendit. *Reg.* 17.

Tti-

Triplicem Similitudinem conſilii doloſi adducit ſapiens, *Eccleſ.* 29. Qui *foveam* fodit, incidit in eam, & qui ſtravit *lapidem* proximo ſuo offendet in eo, & qui *laqueum* alteri ponit peribit in illo.

Sententias plures hoc vide in Titulo præcedenti.

CONSOLATIO DIVINA.

CONſolatur Dominus *obedientes mandatis ſuis.* Ideò Abraham poſtquam exivit de terra ſua ad mandatum Domini Dominus conſolatus eſt eum diverſis apparitionibus: *Gen.* 12.15. & 37. Filiis Iſrael qui obedientes Deo exierunt de Aegypto ut ſacrificarent in deſerto, miſit Dominus conſolationes quando pluit eis in deſerto manna, &c. *Exodi* 16.

Conſolatur Dominus tribulatus poſt tempeſtatem tribulationis; Iuxta illud Pſalmi, ſecundùm multitudinem dolorum meorũ in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animã meam. Ideò fugiente Iacob à facie fratris ſui Deus eum multipliciter conſolatus eſt in ſomno. *Geneſ.* 28. Moyſi exulanti apparuit Dominus in deſerto Conſolans eum, quod non accidit ei in domo Pharaonis. *Exodi* 3. Luctum Iudæorum convertit Dominus in gaudium, quando per Eſtherem fuerunt à tanto periculo liberati. *Heſter.* 9.

Conſolatur Deus obſeſſos, carceri mancipatos, &c. Sic filios Iſrael obſeſſos ab Holoferne in Bethulia conſolatus eſt in victoria per manũ fœminæ Iudith. *Iud.* 10. & 13. Petrum incluſum in carcere Herodis conſolatus eſt per Angelum ſuum liberans eum *Act.* 12. Paulum & Sylam poſitos in carcere Dominus miſſo terræ motu conſolatus eſt frangens vincula & liberans eos, ut habetur. *Actorum* 16.

Conſolatur Dominus iuſtos in operibus bonis. Sic conſolatus eſt Tobiam & Saram liberando à dæmonio, qui viros eius occiderat, ut habetur *Tob.* 8. Danielem iuſtum bis poſitum in lacu leonum, Dominus conſolatus eſt per Angelum, Habacuc. *Daniel.* 6. & 14. Suſannam quæ adulterio nolebat conſentire, morte damnatam Dominus per Danielem liberavit. *Daniel.* 13. Implevit Dominus promiſſam cõſolationem, quando in Pentecoſte Apoſtolis Spiritum Sanctum miſit. *Actorum* 2.

Vide ſupra V. *Benignitas Dei*, & infra V. *Tentatio, Patientia*, &c.

Sententia alia de eadem.

COnſolamini, conſolamini popule meus. *Ieremiæ* 40.

Ergo convertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo. *Ieremiæ* 31.

Benedictus Deus, Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. 2. *Cor.* 1.

Aliæ ſententiæ infra V. Tentatio &c.

CONSTANTIA & FORTITVDO.

FOrtem, ſtrenuum, & audatem reddit hominẽ *puritas conſcientiæ.* Moyſes purus & innocens audacter & cõſtanter ſtetit coram Pharaone arguens eum. *Exodi* 5. *& ſeqq.* Gedeon fortiſſimus in trecentis viris maximum populum viriliter ſuperavit. Dixerat enim ei Angelus, Dominus tecum virorũ fortiſſime. *Iud.* 6. In illa fortitudine liberavit Iſrael. *Iudicũ* 8.

David fortiter ſuperavit leonẽ, & urſum, & Goliathum. 1. *Reg.* 17. Iudas Machabæus viriliter tranſivit Iordanem, & irruit in hoſtes ſuos. 1. *Machab.* 5. Eleazar audacter irruit in Elephantem & occidit, licet ipſe poſtea ſit mortuus. 1. *Mach.* 6. Machabæus & ſocii more Leonum irruentes in hoſtes occiderunt multitudinem inimicorum. 2 *Mach.* 11.

Fortitudo perfectiſſima eſt tolerantia adverſorum. Tali fortitudine toleraverunt fornacem 3. pueri dicentes Regi; Deus poteſt nos eripere de camino ignis. *Daniel.* 13. Stephanus plenus gratia & fortitudine, viriliter ſuſtinuit lapides; & ſic de aliis Martyribus.

Non debet homo dimittere opus bonum, licet contingat eum tribulationem incurrere. Nam Tobias remanſit in timore Domini, licet plaga cæcitatis eveniſſet ei, *Tob.* 2. Ridetur in Euangelio homo inconſtans qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare. *Luc.* 14.

Perſeverandum eſt in bono propoſito, nec reſpiciẽdum retrò poſt egreſſum de ſocietate malorum, ne accidat homini ſicut uxori Loth poſt egreſſum de Sodomis, quæ retrò aſpiciẽs, in ſtatuam ſalis eſt converſa. *Geneſ.* 19. Socii Danielis multùm conſtantes & perſeverantes fuerunt, ne ſtatuam quam erexerat Nabuchodonoſor adorarent. *Dan.* 3.

Eleazar multa tormenta cõſtanter ſuſtinuit ne ad impietatem declinaret. 2. *Machab.* 6. Chriſtus laudavit conſtantiam Io: Baptiſtæ, quod non ſimilis eſſet arundini, quæ facilè in omnem partem movetur. Salutem denique æternam conſtantiæ promittit, dicens; Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. V. infra *Fortitudo. Perſeverantia* & plures de illis Sententias Fortitudini proprias.

Vide ſentẽtias alias infra verbo, *Fortit.* &c.

COR-

CORREPTIO FRATERNA.

PErfectam Regulã dedit Dominus Petro, dicens: Si peccaverit in te frater tuus corripe eum &c. Si audierit te, lucratus es fratrẽ tuum. *Matth.* 18. Ioannes Baptiſta cum magno fervore corripiebat Phariſæos, quod eſſent progenies viperarum. *Matth.* 3. *Luc.* 3. Multa audacia & zelo arguebat Herodem, dicens. Nõ licet tibi habere uxorem fratris tui. *Matth.* 14 *Marc.* 6. Vnus de latronibus qui pẽdebat in cruce cum magno zelo alterum reprehendebat, dicens, neque tu times Deum &c *Luc.* 23. Stephanus in concilio Iudæorum ferventer & audacter increpavit eos quod eſſent duri corde, & Deo reſiſterent. *Act.* 7.

Corrigere debent Prælati ſubditos ſuos, & eos de vitio arguere. Sic Sacerdotes reſtiterũt Oziæ Regi volenti offerre incenſum, quod non erat ſui officii, dicentes; Non eſt tui officii adolere incenſum. 2. *Paralip.* 26. Sic reprehendit Eſdras filios tranſmigrationis, qui duxerunt contra legem filias alienigenarum. 1. *Eſd.* 9. & 10.

Item debent eos reprehendere de violatione Feſtorum. Sic arguebat Neemias portantes muneta Sabbatho, dicens: quæ eſt hæc res mala quam vos facitis & prophanatis diem Sabbathi, ut habetur. *Neem.* 14.

Item debent eos reprehendere de mendacio, & pravo exemplo, ſic Petrus Ananiam & Zaphiram. *Act.* 5. Sic Paulus Elymam magum durè reprehendit, qui nitebatur à fide avertere proconſulem. *Act.* 13. Et S. Petrus Simonem magum volentem emere Spiritum Sanctum. *Actorum* 8.

Item de peccato carnis: Sicut Apoſtolus graviter reprehendit Corinthios de fornicatione. 1. *Corinth.* 5.

Item de irreverentia circa Sacramenta: Sicut Paulus eoſdem arguit de irreverentia erga Euchariſtiam. 1. *Corinth.* 11.

VIDE EX BREVIARIO Correptio *Sapientis melior, quàm adulatio ſtultorum* Dom. II. Aug. fer. 5. l. 2. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris.* Dom. V. Aug. fer. 6. l. 2. *cum quis à Deo corripitur, non deficiat.* Dom. I. Aug. fer. 2. l. 5. *Correptio debet fieri ex amore proximi.* Do III. Quad fer. 2. l. 1. *Perverſi difficulter corriguntur.* Dom. II. Aug. n. l. 3. & Sabb. ibid. l. 2. *Nullius deſperanda,* fer. 5. Maii hebd. n. 2. l. 2. *Debet fieri in ſpiritu lenitatis,* 17. Sept. in Feſt. Stigm. n. 1. & Dom. VIII. Pentec. fer. 5. & *per dulcedinem charitatis.* Dom. III. Pent. n. 3. l. 2.

Vide *Exhortatio.*

Sententiæ ſelectæ de Correptione fraterna.

MElius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. *Eccleſ.* 7.

Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. *Matth.* 8.

Non ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. 1. *Cor.* 4.

In convivio vini non arguas proximum *Eccleſ.* 31.

Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. 2. *Timoth.* 4.

Plus profuit correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud ſtultum. *Prov.* 17.

Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus. *Eccleſ.* 10.

Argue ſapientem & diliget te. *Prov.* 9.

Qui abiicit diſciplinam deſpicit animam ſuam, qui autem acquieſcit increpationibus poſſeſſor eſt cordis. *Prov.* 15.

Virga atque correctio tribui ſapientiam. *Prov.* 29.

Si te audierit (corripientem) lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18.

PATRES. Correctio eſt, errorem innatum, vel conſuetudine factum, fræno rationis inhibere. *Aug.*

Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda ſunt, ut omnes timeant: qui ſecreto peccavit in Te, ſecretò corripe: nam ſi ſolus noſti, & eum vis coram aliis arguere, non es corrector, ſed proditor. *Auguſt.*

Foris terribilis perſonet increpatio: intus lenitatis teneatur dilectio. *Aug.*

Magis amat obiurgator ſanans, quàm adulator diſſimulans. *Aug.*

Peccatum unius quod cognitum non arguitur, multos contaminat. *Idem.*

Qui non corrigit, reſecanda committit; & facientis culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare. *Gregor.*

Non nunquam qui inter flagellorum duritiem remanent incorrecti, dulci ſunt admonitione mulcendi. *Gregor.*

Alterius pœnis, fit caſtigatio lenis.

SENT. POET. ET PHIL. Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus:

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur. *Ovid. metaph. lib.* 8. in mala exempla.

Qui quem vult ridet, non ſua facta videt. *Staniburſtius.*

Si culpare velis, culpabilis eſſe cavebis. *Idem.*

Amici vitia ſi feras, facias tua. *Seneca*.

Cum his verſare, qui te corrigant. *Idem*.

Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. *Seneca*.

Bonis nocet, qui malis parcit. *Idem*.

Nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus nec calcaribus concitari poteſt. *Seneca*.

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet. *Seneca Poeta*.

CVRIOSITAS.

C*Urioſi deſiderant ſemper noua ſcire, & illa ſcientia maiores apparere*. Ideò prima mulier, quæ deſideravit ſicut Deus ſcire bonum & malum, pomum curioſè aſpexit, & divinum præceptum contempſit. *Geneſ.* 3. Diſcipulorum curioſitatem ſcire volentium tempus ſecundi Adventus reprehendit Dominus dicens; Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta. *Act.* 1. Athenienſes, qui erant curioſi, non vacabant ſaluti, ſed ut ſemper nova ſcirent. *Act.* 17. Iudæi videntes miracula à Chriſto fieri, adhuc ſigna de cœlo curioſè quærebant. *Luc.* 11. Herodes curioſè deſiderabat videre Chriſtum, non ut crederet, ſed ut videret ab eo ſigna fieri. *Luc.* 23.

Curioſi debent admoneri à prudentibus ut utilia ſectentur & curioſitatem relinquant. Ideò prædicante Apoſtolo in Epheſo multi qui fuetût curioſa ſectati congeſſerunt libros, & combuſſerunt coram diſcipulis. *Act.* 19. Reprehendebat Apoſtolus quoſdam Theſſalonicenſes curioſè ambulantes, & nihil operantes. 2. *Theſſal.* 3. Adoleſcentiores viduas monet Apoſtolus eſſe vitandas, quæ ſunt frequenter vagæ & curioſè. 1. *ad Timoth.* 4.

Similes ſunt curioſi piſcibus & volucribus quæ per loca aliena & peregrina perpetuò vagantur, nec corpore aut mente ſecum habitant. *Aug. in Pſalmos*.

VIDE EX BREVIARIO: Curioſitas. *Altiora te ne quæſieris*. Dom. IV. Aug. fer. 5. *eſt enim curioſitas occupatio peſſima*. Dom. 2. Aug. n. 1. lect. 3.

Sententiæ ſelectæ de Curioſitate.

QVi inveſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis. *Proverb.* 12.

Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate. *Actorum* 1.

PATRES. Curioſum genus hominum ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum ad corrigendum ſuam. *Aug. lib. confeſſ.* 10.

Curioſus foras egreditur, & exterius omnia conſiderat. *Bernardus*.

Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda. *Proſper*.

PHILOS. POETÆ. Curioſus nemo eſt, qui non ſit malevolus. *Plautus*.

Non multum nocebit tibi iſta tranſire, quæ nec licet ſcire, nec prodeſt. *Seneca*.

Novit fœmineum genus omnia, novit & illud.

Iunonem duxit, quo pacto Iupiter olim. *Theodoricus*.

D.

DEIPARA.

DEiparæ laus imitatio deducenda eſt ab æſtimatione virtutum quæ in ea eluxerunt, ut eſt Humilitas, Amor Dei, Liberalitas, Oratio perpetua, Abſtinentia, Caſtitas, Compaſſio ſive miſericordia erga homines &c. Quæ omnia in hoc Apparatu invenies, & harum Virtutum exempla ſub ſuis Titulis, quæ in aliis quidem magna, in Deipara autem maxima fuiſſe oſtendes.

§. 2. Exponitur Deiparæ excellentia ex variis eius Figuris ex Scriptura deſumptis. *Geneſis c.* 3. Eſt ſecunda & melior Eva, & mater cunctorum viventium per gratiam, quæ ſerpentis caput contrivit.

Exodi 3. Eſt rubus ardens & incombuſtus, quia Chriſtnm ut ignem cœleſtem concepit, & virginitatis florem non amiſit.

Iudicum 6. Eſt vellus Gedeonis, quia ſola Deipara manſit nullo peccati imbre madefacta.

Numer. 17 Eſt virga Aaronis, quæ ſola floruit abſque germine, & Chriſtum peperit abſque ſemine.

Ezech. 44. Eſt Porta clauſa, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, in Chriſti nativitate, &c.

Comparatur etiam appoſitè cum Rebecca, cum Iuditha, cum Eſthere, cum Suſanna, & aliis mulieribus in Scriptura laudatis.

Item cum Arca Noe, quia per Deiparam à diluvio mortis æternæ ſalvatum eſt genus humanum. Vocatur etiam propter eximiam caſtitatem Hortus concluſus, Fons ſignatus.

Item ob Pulchritudinem dicitur Columba formoſa, lilium inter ſpinas, oliva fructifera, Roſa in Iericho. Propter Gloriam & potentiam dicitur etiam pulchra ut luna, electa ut ſol,

ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, & mulier amicta ſole, lignum vitæ in paradiſo Eccleſiæ. Tanquam mediatrix inter Deum & homines dicitur ſcala Iacob, per quam aſcendit oratio & deſcendit miſericordia, Ciuitas refugij & propitiatorium. Plures alij conceptus percurrendo Litanias Lauretanas facilè occurrunt, vt turris Dauidica, fœderis Arca, Ianua cæli, Stella matutina &c. Quæ prudens Concionator facilè Virgini applicabit, v. g. conſiderando proprietates Stellæ, & eas in dotibus Deiparę demonſtrãdo. Vide de cultu Deiparę & SS. contra Nouatores To. *1*. p. 109.

VIDE EX BREVIARIO. Figurę Deiparæ *Eua* 8. Sep. noct. 2 l. 2. *&* 9. eiuſd. n. 2. *&* 13 eiuſd. n. 2. *&* Offic. de B. V. in Sab. in Martio, Maij. Iu *Virgo Sacerdotalis Vellus Gedeonis*, 11. Sept. n. 2. l 3. *Porta orientalis*. ibid. *Mulier Apocalyptica* Vigil. Pentec. n. 2. l. 2. 11. Sept n. 2. *Mater Dei vera*. 20. Mart. n. 3. *Animata Arca Dei viuentis*. 14. Aug. n. 2. *Cælum animatum*. ibid. l. 2. *Thalamus Sponſi cæleſtis*. Dom. 19. Pentec. n. 3. l. 3. *Radix Ieſſe*. Dom. 2. Adu. n. 1. *&* 2 *Flos campi & lilium*. 8. Sept. n. 2. *Nouum quod fecit Domi us*. 11. Sep. n. 2. *Miraculum* 12. Sep. n. 2. l. 2. *Eccleſia decus*. ibid. l. 3. *Cauſa vitæ noſtræ* 13. Sept. num. 2. l 2. *Margarita pretioſa & lampas orbis*. 15. Sept. num. 2. *Templum indiſſolubile* ibid. *Mons ſublimis*. Offic. B. V. in Sabb. in Aug. *Speculum & forma omnium virtutum*, 8. Dec. nu. 2. 21. Nouembr. num. 2. l. 2. Dom. III. Adv. fer. 4. l. 2. *Exemplar Caſtitatis*. 12. Sept. num. 2. l. 1. *Humilitatis*. Dom. 3. Adv. fer. 4. l. 3. *Verecundia*. 21. Nov. n. 2. l. 1. Offic. B. V. in Sabb. in Dec. *Parſimonia, & Vigiliæ*. 21. Nov. n. 2. l. 2.

De virtutibus eius in communi *vide* 25. Mart. & in omnibus eius feſtivitatibus, & Offic. in Sabb. de Beata Virgine *Apparet ſuis cultoribus*. 5. Aug. n. 2. *Mediatrix noſtra* Offic. in Sabb in Octob. *Eius beneficia cœlum & terra experiuntur*. 15. Sep. n. 2. l. 2 *Patrocinium eius invocandum*. 9. Sepr n. 2. 3. & 12 eiuſd. nu. 2. l. 1. *Præſentia eius magnum bonum adfert*. 2. Iul. n. 3. l. 2. *Imago eius ſeruos alloquitur*. 17. Iul. feſt. Alexii. *Item dignitatem eius negantes*. 20 Mart. nu. 2. l. 3. *ſtellis coronata in cælis* 11. Sept. n. 2. l. 2. *quo cum corpore & anima aſſumpta eſt*. 18. Aug. n. 2. l. 2.

HAERESES circa Deiparam vide ſupra. *Tom*. 1. *pag*. 212. Verbo *Maria Virgo*. De *Cultu* Deiparæ *ibid pag* 109.

De *Myſterijs & Feſtis* Deiparæ, vide *infra* inter *Feſta* per Annum.

DETRACTIO, & CALVMNIA.

D*Etrahunt homines peſſimi viris bonis ſolùm ex malitia, falsa imponentes*. Sicut uxor Potipharis, cui inſerviebat Ioſeph, iniquè detraxit ei apud virum ſuum, imponens ei quod eam voluiſſet opprimere. *Geneſ* 29. Senes illi peſſimi Suſannam turpirer infamaverunt, crimen adulterii falsò imponentes. *Daniel* 13. Simon malè loquebatur de Onia proviſore & defenſore gentis. 2. *Macb*. 4. Falſi teſtes detraxerunt Stephano dicentes: Homo iſte non ceſſat loqui contra Deum. *Act*. 7.

Detractio vitiũ eſt invidiorum, qui alios infamant, vt eos infra ſe opprimant. Sic principes detraxerunt Davidi apud Achis, ut amoverent eum. 1. *Regum* 29. Satrapæ Darij invidentes fœlicitati Danielis, detraxerunt ei apud Darium, *Daniel* 6. Phariſæi invidentes Chriſto multoties detraxerunt ei, quia cum Publicanis converſabatur. *Matth*. 9. *Luc*. 5.

Detractores grauiter puniũtur à Deo in præſenti & in futuro ſæculo. Nam Maria ſoror Moyſis contra eum locuta eſt detrahendo ex modica occaſione, ſed citò eſt ſecuta lepræ pæna. *Nu*. 12. Filij Iſrael detraxerunt terræ promiſſionis, ſed in malum, quia nullus eorum intravit eã, ſed mortui ſunt ab hoſtibus & beſtijs conſumpti in deſerto. *Num*. 13. *&* 14 Etiam propter detractionem Chore & multi complices eius ſuerunt occiſi. *Num*. 16.

. *Detractio à ſuperbia & ambitione procedit* Sic Abſalon ambiens regnum patris, detrahebat ei, ſingulis dicens: Non eſt qui audiat te conſtitutus à Rege. 2. *Regum* 15. Aman ſuperbus, quia non adorabatur à Mardochæo detraxit omnibus Iudæis coram Rege, *Heſter* 3. Alcimus qui volebat fieri ſummus Sacerdotes detrahebat Iudæ coram Demetrio 1. *Machab* 7.

Detractores non debent audiri, nec verbis eorũ eſt adhibenda fides. Nam Siba ſervus Miphiboſeth nequiter detraxit Domino ſuo coram Davide, & David temere fidem adhibuit verbis eius, & ideò perverſum dedit iudicium, 2. *Regum* 16. Sapiens fuit Alexander Rex, qui viros peſtilentes qui venerunt adverſus Ionatham detrahentes ei, & interpellantes Regem aduersùs eum, nullatenùs audire voluit, 1. *Macb*. 10.

Detractor ſemper vertit bona in mala, vel tanquam mala intentione facta. Nam ſi ieiunas dicit te hypocritam, ſi comedis voracem ſi quieſcis pigrum, ſi rides inquietum, ſi ces

ces ſtultum, ſi loqueris, præſumptuoſum, ſi t. a pauperibus das vel erogas, dicit te eſſe vanum & glorioſum, ſi non erogas, avarum, ſi ſapiens es, ſuperbum, ſi religioſus, dicit te hypocritam. Ideò de Ioanne Baptiſta multum ieiunante dicebant quidam detractores, dæmonium habet; De Ieſu autem comedente dicebant: Ecce homo vorax, & potator vini. *Matth.* 11. Viſo miraculo de cœco nato detraxerunt Chriſto Phariſæi, dicentes, Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt, & maledixerunt ei. *Ioan* 9. Eiecto dæmonio & loquente muto quidam detrahentes Chriſto miraculum pervetterunt, dicentes, in Belzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia, *Luc* 11. *Matth* 12.

Comparat Scriptura detractionem cum Morſu ſerpentis, & gladio acuto. Serpens qui non edito ſibilo, mordet, detractori per omnia ſimiles eſt, *Eccli.* 10. Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Detractores ſimiles ſunt Canibus, qui contra omnes prætereuntes latrant, & nemini parcunt.

Sicut porticus Olympiæ acceptam vocem per conſonantiam ſepties remittebat, ita detractores & contumelioſi uno verbulo offenſi ſexcenta convitia ingeminant. *Plinius.*

VIDE EX BREVIARIO. Detractio *nocet velut gladius acutus*. fer. 4 Pſ. 56. & 63. ad Matut. *Ad eam obſur deſcendunt.* fer. 2. Pſ. 37 &, fer. 3. Pſ. 38. *Qui detrahit proximo detrahit legi.* Iac. 4. fer. 6. Dom 4. Paſch. l. 3. *Hinc David detrahentem proximo perſequebatur.* Pſ. 100. in Sabb. *& varia mala tali optabat.* Pſ. 108 ibid.

Sententiæ ſelecta &c. de Detractione.

SEpulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. *Pſal.* 13.

Lingua eorum gladius acutus. *Pſal* 56.

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpẽtes *Pſ.* 139.

Beati eſtis cum maledixerunt vobis homines &c. *Matth.* 5.

Lingua inquietum malum eſt, plena veneno mortifero. *Iacob.* 3.

Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minus habet, qui occultè detrahit. *Eccleſ.* 10.

Detractores Deo ſunt odibiles. *Rom.* 1.

Nec rapaces, nec maledici, regnum Dei poſſidebunt. 1. *Corinth* 6.

Quid detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem detrahit legi, & iudicat legem. *Iacobi* 4.

Abominatio hominum detractor. *Prov.* 24.

Bilinguis ſerpens habetur, atque mortalis, eo quod diaboli miniſter aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. *Auguſt.*

Detractor & auditor diabolum portat alius in aere, alius in lingua. *Bernard.*

Quiſquis amat dictis abſentem rodere vitam.

Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi. *Aug.* menſæ ſuæ inſcripſit.

Difficilem oportet habere aurem ad crimina. *Seneca.*

Ex lingua ſtulta veniunt incommoda multa.

Dico prudentes homines non multa loquentes.

DISCORDIA.

D*Iſcordia multoties oritur ex invidia etiã inter fratres.* Patet in prima diſcordia inter Cain & Abel, quam movit ex invidia Cain, quia munera Abel Deo placebat. *Geneſ.* 4. Occiſo à David Philiſtæo & auditis cantantibus, *Saul percuſſit mille, & David decem millia*, Saul invidia motus, quia minùs dederat ſibi, perſecutus eſt David. 1. *Reg.* 18.

Diſcordiæ fiunt aliquando ex avaritia. Nam propter multam ſubſtantiam quam habebat Abraham & Loth, facta eſt diſcordia & rixa inter eorum Paſtores, *Gen.* 13. Quia Iacob decepit Eſau in hæreditate & benedictione paterna facta eſt diſcordia inter eos. *Geneſ.* 27. Propter avaritiam & tenacitatem Nabal facta eſt diſcordia cum Davide, ſed per liberalitatem Abigail uxoris fuit ſapienter ſedata, *Reg.* 1. *c.* 25.

Diſcordiæ oriuntur multoties ex ſuperbia & ambitione. Hinc orta eſt diſcordia inter Abſalon & David, 2. *Reg.* 15. Propter ſuperbiam, & duram Reſponſionem quam Roboam fecit populo, diviſum eſt eius Regnum, 3. *Reg.* 12. Contentio inter diſcipulos facta eſt, quis eorũ eſſet maior, quę per humilitatẽ ſedata fuit *Luc* 22.

Diſcordiæ fiũt frequenter propter mulieres, & luxuriam. Occaſione Dinæ quam Sichem oppreſſit, facta eſt diſcordia, & ſecuta ſunt homicidia, *Geneſ.* 33. Quia Thamar violata eſt ab Amon fratres eius, facta eſt diſcordia inter fratres, ex qua frater iuſſit interfici fratrem, 2. *Reg.* 12 & 13. Propter uxorem Samſonis alteri traditam diſſenſio facta eſt cum Philiſtæis *Iudicum* 15.

Diſcordiæ oritur aliquãdo ex vitio gulæ. Sicut accidit de filiis Iſrael: qui iurgati ſunt contra Moyſen ductorem eorum, propter defectum cibi & potus. *Exodi* 16. & 17. Iterùm filiis Iſrael recuſantes manna cibum cœleſtem, rixa-

rixati ſunt contra Moyſen petentes carnes. *Num.21.*

2. *Diſcordes & rixantes debent Prælati & Maiores corrigere:* Sicut Moyſes corripuit rixantes Hebræos contra invicem *Exodi 2.* Mulieres rixantes propter infantem vivum, Salomon cum vera juſtitia prudenter ſedavit, 1. *Reg.3.* Contentionem diſcipulorum, quis eſſet major, Chriſtus ſedavit, de ſua humilitate exemplum præbens, *Luc.22.*

Sicut inflando, ex Scintilla unica excitatur incendium, ita ex modica rixa magnæ diſcordiæ oriuntur. *Nazian.*

Sicut Mare, quod ex ſe tranquillum eſt, ventorum vi agitari & turbari videmus, ſic populus in pace tranquillus, turbulentorum hominum vocibus concitari ſolet.

Quemadmodum ſingula Haſtilia ſeorſim ſeparata facilè franguntur, coniuncta verò frangi nequeunt, ſic cives inter ſe diſſidentes facilè ſuperantur, concordes verò inſuperabiles manent, *Plutarchus.* Vide *Pax, Concordia.*

VIDE EX BREVIARIO. *Contentiones aboleantur à Chriſtianis.* Dom.1. Epiph.n.1. & *ſciſſurà.* fer.5. Maii hebd. Bellum *trahit ex malis concupiſcentiis originem* fer Dom.4. Paſch. *Malum pridem uſitatum.* Dom. Quinquag. fer. 3. l.2. Com. plur. Mart. n.3 l.1. *Non à quovis geri debet aut poteſt.* Dom.2. Octob. fer. 4. *Deus per hoc maximè punit peccata* Dom.5. Nouemb. n. 1. & fer.3. ibid. *propterea dicitur vocare fortes in ira ſua* Dom.2. Adu. fer.2. l.1. *In hoc plerumque nulli parcitur,* ibid fer. 6. *ſed omnia vaſtantur.* Dom. 5. Nouemb. n. 1. & Dom 4. fer.3. *etiam templa.* Dom.1. Octob. Sabb. l.2. *Exactiones inſuper extorquentur.* Dom. 2. Adu. fer.3. l.2. Ante *eius congreſſum auxilium à Deo (magna cum fiducia) petendum.* Dom.2. Octob. Sabb. l. 2.) 14. Sept. n. 2. *qui iuſtè bellantes protegit.* Dom. 5. Octob. fer.6 l.1. *Bellum tunc iuſtum, quando pro gloria Dei ſuſcipitur.* Dom. 1. Octob. Sabb. l. 3. *quamvis etiam ex aliis motivis geri poſſit.* Dom. 3. Octob. num. 2. Quamdiu *durat bellum? donec placuerint viæ hominum Domino.* Dom. 1. Aug. Sabb. l.2.

Sententiæ ſelectæ de Diſcordia.

HOmo perverſus ſuſcitat rixas, & verboſus ſeparat Principes. *Prov.6.*

Qui provocat iras producit diſcordias:

Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi *Eccleſ. 4.*

Omne regnum in ſe diviſū deſolabitur: Et omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit: *Matth. 12. & Lucæ 11.*

Non eſt diſſentionis Deus ſed pacis. 1. *Cor. 14.*

Si invicem mordetis, & commedetis, videte, ne ab invicem conſummamini *Gal.5.*

PATRES. Diſſentiones nunquam debent amari. *Auguſtinus.*

Diſcordia nemo benedicit Dominum. *Auguſtinus.*

Perverſos ipſos unitas corroborat dum cōcordant, & tanto magis incorrigibiles quanto magis unanimes fecit. *Gregor.*

PHILOS. POETAE. En quo diſcordia cives perduxit miſeros? en queis conſevimus agros. *Virg.* eclog. 1.

Diſcordia demens.

Intravit cælos ſuperoſque ab bella coegit. *Virgilius.*

Si cupias pacem, linguam compeſce loquacem. *Staniurtius.*

Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia res maxime dilabuntur. *Saluſtius.*

DVRITIA CORDIS.

DVri & obſtinati in malo per verba, & prædicationes non emolliuntur: Sunt enim ſicut duri lapides, ſuper quos ſi cadet aqua interiùs non moleſcunt. Sic Heli filios verbo corripuit, ſed non profuit, ideòque interierunt, ut habetur 1. *Reg 2.* Nabal fuit ita durus, ut ad dulcia verba nuntiorum David flecti non potuerit, 1. *Reg. 25.* Iudas ita fuit durus, ut oſculo Chriſti emolliri non potuerit. in Evang.

Duri manent obſtinati quātumcunque viderint ſigna & miracula fieri. Sic induratum fuit cor Pharaonis, qui ad nulla ſigna quæ Moyſes de mandato Domini faciebat, emolliebatur ad credendum Domino. *Exodi. 6.18. & 19* Iudæi qui apprehenderunt Ieſum fuerunt duriſſimi, qui neque per ſanationem auriculæ, neque per alia ſigna moti fuerunt, *Lucæ 22. Ioan. 18.*

Duri & obſtinati non ſolum non quieſcunt, ſed etiam ſi reprehenduntur peiores fiunt. Sic tam durus fuit Cain correptus admonitione Domini, vt fratrem occiderit, *Geneſ. 4.* Obſtinati Iudæi Zacharia increpante & admonente, eum crudeliter occiderunt, 2. *Paralip. 24.* Stephanum increpantem Iudæos de eorum duritia, ipſi eum impiè lapidaverunt, *Act. 7.* Vide *Auaritia;* & è contra *Pœnitentia, Obedientia, Liberalitas.*

VIDE EX BREVIARIO. *Obſtinatio vitium eſt maximè Iudæorum.* Feſt. Epiph. n. 3.

Eius cauſa etiam alijs eſt neglectus Verbi Dei, Dom. 3. Pent ec. n. 2. l. 3. *& inſpirationis internæ*. Dom. 3. Sep. Sabb. l. 3.

Vide ſupra *Avaritia, Pænitentia, Obedientia, &c.* cum Sententijs ſelectis.

E.

EBRIETAS.

Ebrietas & gula in tentatione obtinet primum locum. Prima tentatio filiorum Iſrael fuit de potu, ſecunda de cibo, *Exodi* 17. & 18. Volens diabolus Salvatorem tentare, priùs ipſum gula, quam alio vitio agreſsus eſt, *Matth.* 4.

Ebrietas vitiū luxuria nutrit. Hinc eſt quod Loth qui in Sodomis bonus fuit, inebriatus cum proprijs filiabus peccavit, & duplicem inceſtum commiſit *Geneſis* 19. Sicut enim pinguia facilius flammam concipiunt, ita ebrioſi flammam libidinis.

Ebrietas hominem dementat. Nam Noe qui erat vir perfectus, inebriatus ſic dementatus eſt, ut ſine verecundia denudatus iaceret; *Geneſ.* 9. Fatuus & demens factus eſt Eſau, qui propter lentis edulium vendidit primogenituram fratri ſuo, *Geneſ.* 25. Propter veſaniam in epulis dives Epulo in ſiti & flammis cruciatur, *Luca* 16.

Crapula vitiū in Clericus & religioſis eſt maximè deteſtabile. Ideò dixit Dominus ad Aaron; Vinum & omne quod inebriat non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis tabernaculum. *Leuit.* 10. *Numer.* 16.

Crapula & ebrietas multoties cauſa vel occaſio eſt mortis. Vndè Philiſthæis epulantibus & lætantibus domus cecidit ſuper eos *Iudic.* 16. Amon in convivio temulentus, fuit ab Abſalone occiſus, 2. *Reg.* 13. Comedit Ionathas modicum mellis contra præceptum patris, & fuit condemnatus ad mortem; ſed populus ipſum liberavit 1. *Reg.* 14 Benedab Rex Syriæ temulentus per Principum provinciarum pueros ad mortem fugatus eſt, 3. *Reg.* 20. Filiis Iob veſcentibus & bibētibus vinum, domus cecidit, & eos opreſſit, *Iob.* 1. Propter ebrietatem Holofernis Iudith habuit opportunitatem eum occidendi, *Iudith.* 12. Reuersùs Aman à convivio lætus, ſtatim fuit cum duabus filiabus & cum decē filijs occiſus, *Heſter.* 9. Fecit Ptolomæus convivium Simoni, & eum cū duobus filijs interfecit. 1. *Machab. vlt.* In convivio natalis Herodis innocens Baptiſta propter veritatem impiè decollatus fuit, vt habetur *Marc.* 6. *Matth.* 14.

En quibus *S. Chryſoſt.* comparat ebrioſos: Homo, inquit, ebrius eſt mortuus animatus, dæmon voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium. *Homil.* 1. *ad pop. Antioch.*

Ebrioſus ſimilis eſt Anſeri, qui amat ſemper os in liquido habere, clamare, & otiari; ſed ſicut Anſer in fine deplumatur, & ad ignem aſſatur, ita ebrioſus tandem omnibus bonis deplumatur à creditoribus, & poſteà in inferno aſsatur à dæmonibus.

Ebrioſi ſunt ſicut paludes, in quibus tantùm generantur ranæ, & ſerpentes, & noxia animalia, ita & inebrioſis otium, & luxuria, & inſania, & omnia vitiorum genera aluntur.

VIDE EX BREVIARIO. Ebrietas, *huic acclamatur vel* Dom. 3. Adu. fer. 2 *Eius varia mala.* Dom. 1. Adu. n. 2. Dom. 4. Sep. n. 2. Dom. Sexag. fer. 5. l 2. Dom. 4. Sep. n 2. *Peſſimum eſt, quod etiam Regno Dei priuet.* Dom. 1. Epiph. fer. 4. *hinc Propheta prædicit, quod ebrij vlulabunt.* Dom. 4. Nouemb. fer. 3. *Cauenda ergo, maximè Eccleſiaſticis.* Dom. 1. Adu. n. 2. *& deteſtanda,* Dom. 1. Pent. fer. 3. *vtique cùm diabolus illa delectetur.* Dom. 3. Nou. n. l. 3 *& legem diuinam per ieiunium acceptam* Moyſes, caſsaverit. Dom. 4 Quadr. n. 2 *non cogendum ad potum.* 5. Sept. n. 1 l. 3. Vide *Gula*.

Sententia ſelecta &c. de Ebrietate.

Sicut ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda arguet inebrietate potatum. *Eccleſiaſt.* 3.

Non in comeſsationibus & inebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, ſed induimini Ieſum Chriſtum. *Apoſt. ad Rom.* 13.

Neque ebrioſi, neque maledici, regnum Dei poſſidebunt. 1. *Corinth* 6.

Regnum Dei non eſt eſca aut potus, ſed pax & gaudium in Spiritu S. *Ibidem.*

Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor. *Ioſea* 4.

Nolite inebriare vino in quo eſt luxuria. *ad Theſal.* 5.

Operarius ebrioſus non locupletabitur. *Eccleſ.* 19.

Nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas. *Prouerb.* 31.

PATRES. Ebrietas eſt flagitiorum omniū mater, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragiū caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo mo-

morum, dedecus vitæ, animæ corruptela. *Auguſt. ad ſacras Virgine.*

Vinum potatum moderatè, eſt medicamentum, plus iuſto ſumptum venenum eſſe cognoſcitur. *Auguſt.*

Valde turpe eſt, vt quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino qui non vincitur ferro. *Idem.*

Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenum, ſuave peccatum. *Idem*

Ebrioſus quem abſorbet vinum, abſorbetur à vino, abominatur à Deo, deſpicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, deſtituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hominibus. *Idem lib. de pænitent.*

Noe ad unius horæ ebrietatem nudavit femora ſua, quæ per ſexcentos annos contexerat *Hieronymus.*

Vbicumque ſaturitas & ebrietas ibi libido dominatur. *Hieron. Epiſt. ad Tit.*

Ebrietas in laico crimen eſt, in ſacerdote ſacrilegium: quia alter animâ ſuam necat vino, alter ſpiritum ſanctitatis extinguit *Petrus Rauennas.*

PHILOS. ET POETAE. Ebrius atque ſatur, nunquam bene philoſophatur.

Multum merum pauca cogit ſapere. *Menandez.*

Sine Cerere & Baccho friget Venus. *Terentius.*

Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas. *Ovid.*

Ebrio nemo ſecretum ſermonem committat. *Seneca.*

Refertur Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum chariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto ſac nore mori voluit. *Seneca.*

Abſentem lædit qui cum ebrio litigat. *Idem*: quia ebrius ſibi præſens non eſt.

ECCLESIA.

Eccleſia cū ſollicitudine et feruore debet à fidelibus ædificari. Ideò feruentior fuit Salamõ in ædificatione templi, quam domus ſuæ; quia templum in ſeptem annis, domum verò in duodecim perfecit, 3. *Reg.* 3. Magnam curam habuit Dominus de ædificatione Eccleſiæ, quando præcepit Cyro ut ædificaret ei domum in Hieruſalem, quod priùs prædixerat per Eſaiam, *Eſaiæ* 2. *et* 1. *Eſd.* 3.

Eccleſia ædificata debet ſolemniter et cū gaudio conſecrari. Ideò magnâ ſolemnitatem fecit Salomon in dedicatione templi, 3. *Reg.* 8.

Eccleſiā debet homo intrare mundus à peccato. In cuius figura dixit Dominus Moyſi; faciès labrum æneum ad lavandum, & miſſa aqua lavabant Aaron & filii eius manus ſuas & pedes cùm ingreſſuri erunt tabernaculum. Per *manus* ſignantur operationes, per *pedes* affectiones, *Exodi* 30. Non licebat niſi paucis & mundis intrare templum & tangere vaſa eius, *Numer.* 4. Sæpè mundavit Dominus templum eiiciens vendentes, & ementes, & menſas, & boves, & columbas, quæ templum reddebant immundum. *Matth.* 21 *Lucæ* 19.

Inſtruendi ſunt tam pueri quam provecti, vt Eccleſiam viſitent. Exemplo Chriſti, qui die 40. à natiuitate voluit ad templum deferri; & quodennis in templo in medio Doctorum, fuit à Matre inuentus, *Lucæ* 2. Petrus & Ioannes aſcenderunt in templū ad horam orationis nonam; & tunc claudum Petrus ſanauit, *Act.* 3. Eunuchus Candacis Reginæ AEthiopium veniebat in Hieruſalem ad viſitandum templum, *Act.* 8. Vide infra, *Fides.*

Quam firmiter oporteat credere veræ Eccleſiæ, vide exempla in *Catecheſi* infra de Symbolo cap. 1.

ARGVMENTA octo pro Eccleſia Romana, & cōtra Sectarios &c. vide ſupra in Controuerſia Tom. 1. cap. 3. &c.

VIDE EX BREVIARIO: Eccleſia *Columna & firmamentum veritatis.* Dom. 5. Epiphan. fer. 2. l. 3. *Sanctorum varietate ornatur.* 1. Nouemb. num. 2. *habetque ſtatus diverſos.* Dom. 6. Epiphan. n. 3. l. 3. *Comparatur Sagenæ.* Dom. 5. Epiphan. n. 3. l. 3. *Vinea* Dom. Sep. n. 3. *Luca* Octau. Aſcenſ. n. 3. *Ipſi B. Virgini.* Sabb ante Pentec. n. 3. *Coruis* Dom. 9. n. 2. l. 3. *Regno Dei.* Dom. 19. n. 3. & Com. Virg. n. 3. *Puſillo gregi* 2. Com. non Pontif. n. 3 *Decem Virginibus.* Communi Virg. *Agno.* Com. Virg. N. 2. *Fundamentum eius eſt Petra* 18. Ian. n. 3. l. 2. *licet prematur non opprimitur.* Sabb. infra Dom. Quinquag. *potius augetur.* 3. Iul. n. l. 1. *Cura eius Petro comiſſa.* Dom. 2. Paſch. n. 2. *ſuper quem ædificata.* 18. Ian. N. 3. *Romana omnium Eccleſiarum primatum tenet.* 16. Ian. N. 2. l. 3. *Cuius Epiſcopus univerſalis etiam Eccleſiæ Epiſcopus* 12. Mart. n. 2 l. 2. Dedicatio *Eccleſiarum iam olim conſueta.* Dom. 2. Octob. fer. 2. *eius origo modus, & tempus celebrand.* Octau. Dedic. n. 2. *Dedicatio templi materialis, eſt figura ſpiritualis in nobis.* Commune Dedic. N. 2 & fer. 6. n. 2. Templa *principaliter ad Dei honorem* (*in quibus ſingulariter habitare vult.* Dom. 8. Pentec. n. 1 *)conſtruuntur die* 6. Dedic. n. 2. l. 3 *& ad Verbum Dei prædicandum, Sacramenta adminiſtranda, Miſſamque celebrandum.* 2. Aug. *Conſecratio eorum* 9. Nou. n. 2. *et* 18. n. 2. l. 2.

item eorundem Dedicatio 5. Aug. n. 2 l. 3. Vide ſupra hic. *Templa ædificare Deo gratum.* Dom. 7. Sab. l 3. Dom. 5. Nou. fer. 5 l. 2. 5 Aug. n. 2. *atque laudabile* die 6. Dedic. n. 2 *quamuis propter peccata populi radē deinde DEVS abominetur* Dom. 8. n. 1. l. 2. *Templa etiam Angeli ædificarunt*. 8. Maii n. 2. l. 3. 23. Nouemb n. 2. l. 3. *poſſunt etiam ex ædibus profanis fieri*. 6. Ian n. 2. l. 2. *Frequentanda* Dom. 2. Pentec. fer. 2. *& negligentes puniendi.* Dom. 5. Nouemb. fer. 5. l 2. *Venerāda propter SS. Reliquias* 18. Nouemb. n. 2. die 6. Dedic. n. 2. l. 3. *ſæcularia in his non tractanda*. Dom. 1. Quad. fer. 2. *Augenda muneribus & donis* 8. Octob. n. 2 l. 3. 18. Nouemb. n. 2. l. 3. *Spoliatores eorum non erunt impunes.* Dom. 4. Octob. fer. 4. *Deſtructa reſtauranda.* Dom. 2. Octob. num. 1. *Prophanata reconcilianda*, 27. Maii lect. 2.

Sententia ſacra &c. de Eccleſia.

EGo dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, *Matth.* 26.

Fundamentum (Eccleſiæ) aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus 1. *Corinth.* 3.

Hæc tibi ſcribo, fili, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conſervari, quæ eſt Eccleſia &c. *Tim.* 3.

Eccleſia columna eſt & firmamentum veritatis. *Paulus Apoſt.*

PATRES Adhuc habet Eccleſia, quo creſcat, donec impleantur, dominabitur à mari uſque ad mare. *Auguſt ſuper Matth.*

Eccleſia velut Lilium inter ſpinas, malis & bonis eſt permiſta. *Idem Auguſt.*

Hoc habet proprium Eccleſia, dum perſequitur floret, dum opprimitur creſcit, dum contemnitur proficit; dum læditur vincit; dum arguitur intelligit; tunc ſtat quum ſuperari videtur, *S. Hilarius*.

Sancta Eccleſia conſiſtit unitate fidelium, ſicut corpus unitate membrorum. *Gregorius.*

Proditorem ſe eſſe noverit, quicumque eſt ille qui vitia quęlibet in hanc domū conatur inducere, & templum Dei ſpeluncam vult facere dæmonum. *Bern.*

Sponſa, id eſt, Eccleſia Chriſti nihil ſibi glorioſius putat, quam Chriſti portare opprobrium. *Bernardus*.

EXHORTATIO.

E*Xhortatio retrahit à peccato.* Sicut exhortati Abigail Davidem a peccato homicidii retraxit, 3. *Reg.* 25. Quamdiu vixit Sacerdos Ioiada, tamdiu Ioas probus fuit, ſed eo mortuo factus eſt peſſimus, 4 *Reg.* 12. Ad exhortationem Neemiæ Vſurarii reddiderunt uſuras & ulteriùs non acceperunt, *Neem.* 5. Baptiſta exhortante populum, multi baptizabantur confitentes peccata ſua, *Matth* 3.

Exhortatio bona cōfortat in tribulatione. Ideò Tobias adibat omnes in captivitate poſitos exhortans eos ut habetur *Tobiæ*. 1. Tribulato Iob venerunt amici eius ad confortandum eum. *Iob.* 2. Primum ſeptem fratrum Machabæorum, cùm in ſartagine torqueretur, cæteri cum matre hortabantur, ut pro lege fortiter moreretur ut habetur 2 *Machabæorum* 7.

Exhortatio bonę parentum filios facit probos. Sicut parentes uxori Tobiæ monuerunt eam honorare ſoceros, maritum diligere, & gubernare domum, ſeipſam irreprehenſibilem exhibere, *Tobiæ* 18. Moriturus Mathatias filios efficaciter hortatus eſt ad agendum viriliter pro lege Domini, quod ipſi optimè ſervaverunt 1. *Macch.* 2

Vide infra, *Filiorum educatio*

Exhortatio bona excitat alios ad virtutē. Sicut Iudith ſua exhortatione, animavit cives Bethuliæ ad viriliter reſiſtendum Holiferni, & placandum Deum, *Iudith* 8. Iudas Machabæus hortabatur & animabat populum ſermonibus bonis, 1. *Machab.* 3. & 4. & 2 8 10. Paulus & Barnabas hortabantur fratres & animabant ut permaneret in fide, *Actorum* 14.

Exhortationes Dei nomine debent Prædicatores libere & libēter præſtare. Propterea dixit Dominus, *Eſ.* 1. Clama ne ceſſes, quaſi tubà exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.

Ioannes Baptiſta prædicando monuit Herodem de inceſtu, & Chriſtus Iudæos de incredulitate, etiamſi ideò ſe morituros præviderent.

Exhortatione opportuna peccatores & infideles ad Deū convertuntur. Sicut prædicatio Ionæ convertit Niniviras, qui propter peccata ſubuerti debebant, *Ionæ.* 3. Petrus in Pentecoſte ſic prædicavit ut circiter tria millia hominum converterit ad fidem, *Act.* 2. Iterum ad prædicationem Petri tot crediderunt, ut factus ſit numerus credentium quinque millia, *Act.* 4. Prædicantibus Paulo & Barnaba Iconiis crediderunt multi Iudæi, & Græci, *Act.* 14.

VIDE EX BREVIARIO. Prædicatio *Verbi Dei prǫmittenda ut ſequatur Chriſtus.* Commune Euang. n. 3. l. 2. *Prædicatores Verbi Dei debent magna libertate id facere* 30. Sept. n. 3. l. 2. 14. Octob. n 3. l. 2. *Charitate tamen bene ſe munire*

de-

debent, Commun. Euang. n. 3. l. 2. *& dicta bono exemplo confirmare*, fer. 3. 1 2. Matt. n. 3. l. 2.

Vide ſupra, *Conſilium bonum*, *Correptio &c.* cum Sententiis ſelectis.

EVCHARISTIA.

IN hoc Sacramento verè Deus *memoriam fecit mirabilium ſuorum*. Res mira, ſolo Dei verbo Cœli formari ſunt, magis mirũ Chriſtũ ſolo verbo è cœlo in terras adduci. Solo verbo dixit Deus, *Fiat lux*, & facta eſt lux; *fiat firmamentum*, & factum eſt firmamentum: Solo verbo juſſit Ioſue Solem ſtare & ſtetit. Sed magis mirandum Chriſtum Filium Dei, Solē juſtitiæ, cœli terræque Dominum, ſolo verbo, *Hoc eſt corpus meum*, è cœlo deſcendere, ſub panis & vini ſpeciebus collocari; & hominibus in alimentum præberi.

Myſterium huius Sacramenti variis *Figuris* in Scriptura adumbratur, & explicatur, *Exodi* 12. Deus iubet offerri & manducari *Agnum Paſchalem*, in Euchariſtia manducatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Exodi 16. Deus in deſerto filios Iſrael pavit *manna cœleſti* per 40. annos, Deus in deſerto huius vitæ paſcit Chriſtianos Sacra Euchariſtia, ut non deficiant in via patriæ cœleſtis, & in alimentum vitæ æternæ, ut apertè dicitur *Ioannis* 6. *Non ſicut manducaverũt Patres veſtri manna in deſerto & mortui ſunt, qui manducat hunc panem vivet in æternum*.

Exodi 40. Offerebatur Domino *Panis propoſitionis*, qui ſolùm a puris & ſanctificatis ſumi poterat, ita ad hoc Sacramentum nemo debet niſi purus accedere, alias ut ait *Apoſt. Iudicium ſibi manducat & bibit non dijudicans Corpus Domini*.

Geneſis 14. Melchiſedech in gratiarũ actionem pro victoria per Abrahamum obtenta *Obtulit panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*; ſic panis Euchariſticus offeretur Deo in Sacrificium pro victoria obtenta vel obtinenda contra carnem, mundum, & dæmonē.

Ad Communionem Euchariſtiæ accedens debet priùs *ſordes peccatorum* per pœnitentiam aut Confeſſionem abluere. Sic enim Chriſtus ante inſtitutionem Euchariſtiæ diſcipulorum *pedes lavit*, *Ioan.* 13. Et Apoſtolus monet *ad Corinth.* 11. *v.* 27. *Probet autem ſeipſum homo & ſic de pane illo edat & de calice bibat*, id eſt, examinet ſe an ſit dignus tanto Sacramento. Narratur *Matth.* 27. Ioſeph ab Arimathia acceptum Chriſti jam defuncti corpus involviſſe in ſyndone munda, & collocaſſe in monumento novo, quantò magis oportet Chriſti viventis corpus in animam mundam ſuſcipere, & cum nova affectu charitatis.

Huius Sacramenti inſtitutio, fructus, & effectus tribus potiſſimum locis in Scriptura exprimuntur. *Ioan* 6 *v.* 48. *Ego ſum panis vitæ &c.* fusè *Matth.* 26. *v.* 17. de ultima cœna. Et 1. *ad Corinth.* 11. ubi exponitur inſtitutio, & diſpoſitio requiſita ad Euchariſtiam.

De hoc Sacramento contra Hæreticos vide tradita in Controverſiis *Tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 3. de Euchariſtia.

Varia Exempla vide infra in Catecheſi cap. 4. de Euchariſtia & Sacrificio Miſſæ.

VIDE EX BREVIARIO. Euchariſtia *eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti*, feſt. Corp. Chriſti n. 1. & fer. 3. infra Octav. n. 2. l. 1. & 3. Maii l. 2. & 2 Aug. & Octav. eiuſd. Corp. Chriſti n 2. *Illo nihil pretioſius*. Feſt. eiuſdem n. 2. *nihil mirabilius*, ibid. *nihil ſalubrius* ibidem l. 2. *Miraculorum omnium maximum*, ibid. *De hac nihil carnale ſapiendum*, fer. 6. eiuſdem n 3. l. 2. & fer. 2. infra Dom. eiuſdem n. 2. *Conficitur verbis Chriſti*, fer. 2. ibidem n. 1. l. 1. & fer. 4. ibidem n. 2. *ſub una ſpecie exhibita*. 7. Decem. num. 2. l. 3. 2. Aug. l. 2. *Cuius frequentatio cœpit non longè poſt Pentecoſten*. fer. 6. infra Corp. Chriſti n. 2. l. 2. *ſumenda ab omnibus*, 22. April. n. 2. *ſed Baptizatis*, 3. Maii n. 3. l. *à morituris*, 7. Dec. n. 3. 27. Ian. n. 2. l. 3. *ſed non niſi à bene diſpoſitis*, feſt. Corp. Chriſti n. 1. l 3. *& mundis*, ibidem n. 3 l. 2. 12. Aug. n. 3. *Exhortatio ad Communicaturos*, Dom. infra Octau. Corp. Chriſti n. 2. l. 2. & fer. 2. ibidem n. 2. lect. *Pœna indignè communicantium non parva*, ibidē. l. 2. *Communio unit nos Chriſto*. Sabb. intra Octau. Corp. Chriſti n. 2 & fer. 4 eiuſdem n. 3. l. 2. & octau. n 2. & 3. *etiam corporaliter Vitam conſeruat* 30 Ap. n. 2. l. 1 *morbos pellit, ſævientesque membrorum noſtrorum legem ſedat*, Octau. Corp. Chr. n 3. l. 3. *hoſteſque corporales fugat*, 12. Aug. num. 3. l. 3. Reuerentiam *illi exhibendam Angeli docent*, Dom. infra Corp. Chriſti n. 2. l. 2.

Sententiæ ſacræ de Euchariſtia.

FIGVRÆ EVCHARISTIÆ. Panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. *Sap.* 16.

Manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum. *Neh* 9.

Anima polluta, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis. *Lev.* 7.

Leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, non

veſcetur de his quę ſanctificata ſunt mihi donec ſanetur, *Lev.* 22.

PATRES. Accipe quotidie, quod quotidie tibi profit, ſic vive ut quotidie merearis accipere, *Auguſt.*

De totius mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo igitur Chriſti qui potuit ex nihilo facere, quod non erat: non poteſt ea quæ ſunt, mutare in illud quod non ſunt? Non enim minus eſt novas rebus dare formas, quam mutare naturas. *Ambroſ.*

Liquet, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt: Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe partus ex Virgine. *Ambroſ. ibid.*

Qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus: medicina eſt cęleſte & venerabile Sacramentũ. *Idem ibid.*

Chriſtus tangi poteſt, ſed affectu, non manu, voto non oculo, fide non ſenſibus: tanges manu fidei, deſiderii digito, devotionis amplexu, oculo mentis, *Bernardus*.

E.

FIDES IN DEVM, FIDVCIA.

F*Idem magnam habentes in Scripturis frequentiſſimè commendantur*. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, *Gen.* 15. Moyſen ex magna fide commẽdat Apoſtolus: Fides Moyſes magnus effectus eſt, *ad Heb.* 11. Mariam Virginem ob magnam fidem commendat Elizabeth, dicens: Beata es, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino, *Luc.* 1. Commendat Salvator fidem Centurionis, dicens, non inveni tantam fidem in Iſrael, *Matth.* 8. Credentes Dominus dicit Beatos, Beati qui non viderunt & crediderunt, *Ioa.* 20.

Fides aliquando acquiritur ex miraculis. Ideò poſtquam filii Iſrael tranſierunt mare rubrum miraculosè diviſum, & viderunt Pharaonem ſubmerſum, timuerunt Deum, & crediderunt Deo, *Exodi* 14. Magi videntes Stellam in Nativitate Chriſti miraculosè refulgentem, novam in Chriſtum fidem receperunt, firmiter credentes ipſum eſſe Deum, *Matth.* 2. Viſo miraculo de claudo ſanato per Petrum & Ioannem factus eſt numerus credentium quinque millia, *Act.* 4.

Fidei attribuitur victoria: Sancti per fidẽ vicerunt regna, *Heb.* 11. Hæc eſt victoria quæ vincit mundũ fide noſtra. Ideò dixit Ionathas cum magna fide armigero ſuo, non eſt Deo difficile ſalvare in multis vel paucis qui poſtea victoriam obtinuit, 1. *Reg.* 14. Cum magna fide dixit David ad Goliath: Tu venis ad me cum gladio, haſta, & clypeo: Ego autem ad te venio in nomine Domini; & ſic de eo triumphavit, 1. *Reg.* 18. Magna fide dixit Aza: Domine non eſt apud te ulla diſtantia utrum in paucis auxiliaris, an in pluribus, & bellando victoriam habuit, 2. *Paralip.* 14. Iudas Machabæus idem dicens, de hoſtibus triumphavit, 1. *Machab.* 3.

Fides ſæpius operatur miracula. Ideò Chriſtus dixit, ſi habueritis tantam fidem, ſicut granum ſinapis, & dixeritis huic monti tolle & mitte te in mare, fiet ei, *Matth* 21. *Marc.* 11. Signa autem eos qui in me credent, hęc ſequentur, in Nomine meo dœmonia eiicient &c. *Marc. ult.*

Fides ſæpè confert ſalutem animæ & corporis. Ideò mulier patiens fluxum ſanguinis ait intra ſe: Si tetigero fimbriam veſtimenti eius ſalva ero, & ſanata eſt, *Matth.* 9. Magna fuit Magdalenæ fides, propter quam dixit ei Chriſtus, Fides tua te ſalvam fecit, *Luc.* 7.

Ex fide ſanavit Chriſtus cęcum dicens, reſpice, fide tua te ſalvum fecit. Beneficia ex fide accepta enarrat Apoſtolus plurimis Patrum exemplis, *ad Heb.* 11.

Fidem modicam habentes à Deo nihil reprehenduntur, & puniuntur. Ideò Zacharia verbis Angeli fidem non adhibente, eum taciturnitate percuſſit, dicens, Non poteris loqui quouſque hæc fient, pro eo quod non credidiſti, *Luc.* 20. Reprehendit Salvator Petrum, dicẽs Modicæ fidei quare dubitaſti, *Matt.* 14. Thomam etiam non credentem Dominus arguit, dicens: Noli eſſe incredulus ſed fidelis, *Ioann.* 20.

Homo confidens in Domino comparatur in Scriptura, *Ierem.* 17. cum arbore plantata juxta aquas, quæ immittit radices ſuas, & non timebit, cum venerit æſtus, ſcilicet tentationum aut iniuriarum, quia ſpes illius in Domino firmiſſimè radicata eſt.

Sicut ſpes futuri emolumenti omnes Artifices alit, & ad labores animat, ita ad arduum virtutis ſtudium excitare debet ſpes gloriæ & regni æterni.

Sicut nautæ in gravibus procellis jacta anchora navim ſecuram & tranquillam faciunt, ſic ſpes & fiducia in Deo debet eſſe anchora qua homo Chriſtianus in omni periculo intrepidus efficitur.

ARGVMENTA & Sententias pro viva Fide erga Deum, & in veram unicamq; Chriſti Eccleſiam &c. vide *Tom. I. in Controv. c.* 1. 2. 3.

Exem-

Exempla plura de Fide, vide infra in Catecheſi cap. 1.

VIDE EX BREVIARIO. Non cuiuis ſpiritui credendum. Dom. infra Aſcenſ. fer. 3. *Fides in miraculis olim probata*. Dom. 8. Sabb. *etiam hodie miris Dei operibus*. Dom. in Alb. n. 3. l. 2. *& ſignis*. Sabb. infra Aſcenſ. poſt Octau nu. 3. *probatur etiam per fidelium patientiam*. Dom. 4. Paſch. num. 1. *Fides ſi non ſit ficta*. Dom. 5. Epiph. l. 2. n. 1. *reputabitur ad iuſtitiam*. Feſt. Circumciſ. n. 2. l. 2. *ſine operibus nulla eſt*; fer. 2. Pentec. *adeòque mortua*. Dom. 4. Paſch. fer. 4. *ad fidem veram opera requiruntur*. Dom. 5. Epiphan. fer. 6 l. 3. & fer 6. intra Aſcenſ. n. 1. l. 3. 8. Auguſt. n. 3. l 2. *credit, qui moribus nō contradicit*, Sabb. infra Aſcenſ. n. 2. 8. Aug. n. 3. l. 2. *ſed operando exercet*, 21. Decemb. n. 3. l. 3. *Vera fidei effectus illuminare ſicut lucerna*, 11. Nouēb. n. 3. *montes transferre*, 17. eiuſdem n. 3. l. 2. *Vitam dare*. Dom. 3. Epiph. fer. 2. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Dom. 4. Epiph fer. 6. l. 2. *per eam cognoſcimur à Deo*, Commun. Euang. n. 2 *quam qui non habet, eſt in regno diaboli*, Dom 2. Quadr. n. 3. l. 3. *propter quā Martyres tanta paſſi ſunt*. Sab. infra Aſcenſ. n. 2. l. 1.

FILIORVM EDVCATIO.

F*ilij inſtruendi ſūt, & erudiendi in Lege Domini*. Præcepit Dominus filiis Iſrael, ut docerent filios magnalia quæ fecerat eis, ut eum magis honorarent, ut habetur *Deut.* 10. Sollicitus erat Iob de filiis ſuis, ne forte Deum offenderent, ideò pro eis quotidie Sacrificium offerebat, *Iob.* 1. Mater ſeptem fratrum ſtrenuè inſtruebat eos, in his quæ fidem & Deum ſpectabant, 2. *Machab.* 7.

Filij corrigendi, & increpandi ſūt de vitijs quæ committunt. Sic Iacob increpabat Ioſeph filium ſuum revelantem ſomnia, ne ſuperbia & ambitione videretur Patri, Matri, & fratribus dominari. *Geneſ.* 33. Quia Heli malè corripuit filios ſuos ipſi cum eo graviter ſunt puniti; 1. *Reg.* 4. Adonias quia non fuit correptus à patre volens ſuperbè regnare, fuit à fratre occiſus. 3. *Reg.* 2.

Parentes debent filios, & filias bonis moribus inſtruere. Sicut Dauid appropinquans ad mortem inſtruxit filium ſuum Salamonem de bono regni regimine, 1. *Paralip.* 28 & *Reg.* 2. Tobias optimis monitis inſtituit filium ſuum ab infantia, *Tobiæ* 1. & poſteà in iuventute, *Tobiæ* 4. poſteà in morte, ut habetur *Tobiæ vlt.* Parentes Saræ monuerunt eam in omnibus ſeipſam irreprehenſibilē exhibere, *Tobiæ* 18. Quia Parentes Suſannæ fuerunt iuſti, & optimè eam erudierunt, ipſa noluit adulterio conſentire; *Danielis*.

Similes ſunt pueri molli Ceræ, quibus parentes inſtar ſigilli quam libet formam, ſive Angeli, ſiue dæmonis, imprimere poſſunt.

VIDE EX BREVIARIO. Filii *ſeu liberi à Deo aliquando impetrantur*. Dom. 1. Pent. fer. 3. l. 2. 2. Apr. n. 2. 7. Maii n. 2 *Filius ſapiens lætificat Patrem: ſtultus contriſtat Matrem*; Do. 1. Aug. fer. 5. Com. Pontif. n. 2 l. 1. *non ſemper ſequuntur ſuos, etiam ſanctos parentes*, fer. 6. Do. 4. Adu. n 3. *Parentum monita audiant*; Dom. 4. Aug. fer. *& eos honorent*, ibid. l. 2. *atq; obediat*, Dom. 4. Epiphan. fer. 4. l. 2. Dom. 3. eiuſd. Sabb. *nec correctionem eorum ſpernāt*; Dom. 1. Aug. n. 1. l. 2. *multo minus in contumelia eorum glorientur*; Dom. 4. Aug. fer. 4. l. 3. *Liberorum ſeu filiorum copia, eſt plerumque ſigū benedictionis divinæ*. Pſalm. 127 fer. 4. Veſp.

Sententiæ ſacræ de Fil. Educatione.

COnfuſio patris eſt filius indiſciplinatus; *Eccleſ.* 22.

Lacta filium & paventem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te, *Eccleſ.* 30.

Non des filio poteſtatem in juventute, & ne deſpicias cogitationes illius, *Eccleſ.* 30.

Melius eſt ut filii te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum, *Idem c.* 33.

Qui parcit virgæ odit filium ſuum, *Sap.*

Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire &c. *Sap.* 38.

Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ, & deſpicit eam: *Prov.* 10. & 15.

PHIL. POETÆ. Ætas parentum pejor avis, tulit.

Nos nequiores, mox daturos:
Progeniem vitioſiorem. *Horat.*
Qui non aſſueſci virtuti, dum iuveneſcit;
A vitiis neſcit deſiſtere, quando ſeneſcit.
Vt flos, ut ventus, tranſibit noſtra juventus.

FORTITVDO.

F*Ortem et audacem reddit hominem puritas cōſcientiæ*. Moyſes purus & innocens audacter & conſtanter ſtetit coram Pharaone arguens eum. *Exodi* 5. Iudith quia puram & bonam intentionem habebat, Holoferne ſtrenuè interfecit, *Iudit.* 12 & 13. Gedeon fortiſſimus in trecentis viris maximū populum viriliter ſuperauit. Dixerat enim ei Angelus, Dominus tecum virorū fortiſſime, *Iudic.* 6. Et poſt hoc in illa fortitudine liberauit Iſrael, *Iud.* 8.

Vnus

Vnus formidoloſus diſſipat, unus fortis roborat totum exercitum. Ideò dicit Gedeon; qui formidoloſus eſt, revertatur. *Iud.7.* Davit fortiter ſuperavit leonem, & urſum in eremo, & Goliath 1.*Reg* 17. Iudas Machabæus viriliter tranſivit Iordanem & irruit in hoſtes ſuos, 1.*Machab.*5. Eleazar audacter irruit in elephantem, & occidit, licet videret ſe caſu elephantis opprimendum, 1. *Machab.*6. Machabæus & ſocii more leonum irruentes in hoſtes occiderunt multitudinem inimicorum, 2.*Machab* 11.

Fortitudo perfectiſſima eſt tolerantia rerum adverſarum. Vnde teſte Philoſopho; fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Tali fortitudine toleraverunt fornacem 3 pueri dicentes Regi, Deus poteſt nos eripere de camino ignis, *Dan.3*. Stephanus plenus gratia & fortitudine viriliter ſuſtinuit lapides: & ſic de aliis Martyribus.

Fortes comparantur altis & firmiſſimis Rupibus, quas nullæ maris procellæ, nullæ res adverſæ commovere valent. Item Turri munitiſſimæ, quæ nullis telorum ictibus expugnari poteſt.

VIDE EX BREVIARIO. Fortitudo *quorundam inſignis*. Dom.1.Oct.n.2.*quæ in adverſis maximè probatur*, Dom.3. ibidem n.2. *eſt clavis ad cælum*, 2.Novemb.n.2.l.2 *Martyrum magnanimitas in tormentis, & fortitudo; Non tantum viri, ſed & fœminæ, imo pueri teneræque Virgines, imperterriti uſque ad effuſionem ſanguinis decertarunt*. Sab. infra Aſcenſ.n.2. *gratias egerunt*, 14.Maii l.1 18 Aug.n.3. l. *hymnos decantarunt*, 25.Iun l.2.& 18. eiuſdem 9. Novemb. n.3.l.3. *lictores oſculati pacem comprecantes*, 25.Iul.n.2.l. 3 *velut ad epulas*. 18 Iun. *vel ad thalamum accurrerunt*, 2.Ian.n.2.l.3. *tormenta flores reputant*. 11. Aug.n.3.l.3 *beſtias alliciunt*, 1.Febr.n.2.l.2. *tyrannis inſultant*. Dom.5.Octob.fer.2.10.Aug. n 1 *ſimulacra conſpuunt*, 30.Aug. *inſtrumenta ſalutant*, 30.Nov.n.2.l.2 *ultrò in tormenta ruunt*, 9 Febr. 23.Sept.n.3. l.3 *tormenta non ſenſerunt*, 17.Aug. n.2. l.2. *ſpectaculum Angelis & hominibus*, Comm.Apoſt. n. 1. l.2. *Eorum miracula, & virtutes magicis artibus attributa*, 11.Aug.n.3.l. 3.& 30 ejuſdem 19.Sept.n.2.l.2.27. eiuſd. n.2. l.2. *Martyrium potiùs vitam dat, quam eripit*, 22. eiuſdem n.3. l.3. *dum creſcit pugna, creſcit & pugnantium gloria*, 1.Nov.n.2.l.1. *non temere ciſa injiciendum*, 2.Maii n.3.l 3. *Martyres crudelitate primum perterriti, ſed dein animoſiores effecti*, 26. April.n.2.l.2.& 28 20.Ian. n 2. l.2.

Vide *Conſtantia, Patientia, Perſeverantia*.

Sententiæ ſelectæ &c. de Fortitudine.

EXpecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. *Pſal.*26.

Fortitudo mea & laus mea Dominus. *Exodi* 15

Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ. *Pſal.*67.

Omnia poſſum in eo qui me confortat. *Philipp.*4.

Si Deus pro nobis quis contra nos? *ad Romanos* 8.

Melior eſt ſapientia quam vires; & vir prudens quam fortis *Sapient.*6.

PATRES Hæc eſt vera fortitudo, quæ naturæ uſum, & ſexus infirmitatem, mentis devotione tranſgreditur. *Auguſt.*

Ille ſolus vir fortis debet judicari, qui temperans eſt, moderatus; & iuſtus. *Lactant.*

Fortitudo atque conſtantia via regia eſt, à qua declinat ad dexteram qui temerarius eſt & pertinax, ad ſiniſtram qui formidoloſus eſt & pavidus *Hieronym.*

Iuſti & fortis viri eſt nec adverſis frangi nec proſperis ſublevari ſed in utroque eſſe moderatum. *Hieron.*

Stultus ut luna mutatur, ſapiens enim non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis, non triſtibus mergitur: ubi enim ſapientia, ibi virtus eſt, ibi conſtantia ibi & fortitudo. *Ambroſ.*

Iuſtorum fortitudo eſt carnē vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare. *Gregor.*

Virum fortem miniæ probant. *Aug.*

PHILOS. POETÆ Caſibus adverſis fracta qui mente recumbit.

Fortuna neſcit proſperiore frui. *Martial.*

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit Mœnia.

Haud eſt virile, terga fortuna dare. *Seneca.*

Superanda omnis fortuna ferendo eſt. *Virgilius.*

Audaces fortuna juvat, timidoſque repellit. *Idem.*

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam.

Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt. *Martialis.*

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.
Qua tua te fortuna ſinet *Virg. Æn lib.*6.

Au-

Audêtes Deus ipſe iuvat. *Ovidius Metamorphoſeos lib.* 10.

Tantum proficies, quantû tibi vim intuleris. *Axioma S. Ignatii*.

Magnanimi eſt rebus proſperis non inſoleſcere, neque adverſis deiici. *Cic.*

Dulcia non meruit qui non guſtavit amara.

Neceſſitas etiam timidos fortes facit. *Sal.*

Adagium omnium Antiquorum commune, Suſtine, & Abſtine: Facile autem animus fortiter *ſuſtinet*, dû corpus à vitiis *abſtinet*.

G.

GLORIA CAELESTIS.

G*Loria æternę magnitudo*. Illam exponit Apoſtolus 1. *Cor*. 2. *v*. 9. Oculus nô vidit, nec audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.

Pro gloria cæleſti calamitates toleranda. Quia, inquit Apoſtolus, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, *ad Rom*. 8. *v* 18. Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ operetur, 2. *Cor*. 4. 17. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorû Dei, *ad Rom*. 5. *Ad gloriam illam Dei* omnia purè referenda ſuis ſemper inculcat, *S. Ignatius*.

Omnis qui reliquerit domû, vel fratres &c. centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit, *Matth*. 14. Lazarus pauper in ſinu Abrahæ, id eſt, in ſtatu gloriæ, vidit à longe divitem in tormentis.

Beati carebunt omni miſeria Dicitur enim *Apoc*. 21. *v*. 4. Abſterget Deum omnem lachrymam ab oculis eorum, neque erit luctus, neque dolor erit ultra. Ideò clamat Propheta, ò Iſrael quam magna eſt domus Dei, & ignes locus poſſeſſionis eius, *Baruch*. 3. *v*. 24.

Comparat ſæpe Scriptura cęleſtem gloriam cum Ieruſalem, civitate ſancta, & ornata auro, ſaphyro, ſmaragdo &c. ut *Apocal*. 21. *v*. 2. 18. *&* 21.

Vide ſupra *Beatitudo*, & infra in Catecheſi alia Exempla *cap. ultimo*: Et in *Tom. II. par*. 1. de Beatitudine, & viſione Dei Dogmata Theologica.

VIDE EX BREVIARIO. Beatitudo *non conſiſtit in ſola oculorum viſione*, Dom. 12. n. 3 *nec in voluptatibus corporalibus*, 2 Commun. Apoſt. n. 3. l. 3 *Nec in numero annorum*, ibid. *eius ſpeciem Chriſtus propoſuit*, 6. Aug. n 3 l. 3. *quæ periucundè deſcribitur*, 2. Nouemb. n. l. 3. & 4. eiuſdem n. 2. *Habes veiò ſuam diverſitatem*, 5 Eiuſd. *propter retributionem variorum laborum*, 8. eiuſdem n. 2 l. 5. *Cuius cõtēplatio meriso Martyres confortavit* ibidem, *gaudia eius ineffabilia*, ibidem n. 2 l. 5. & n. l. 1 *quæ non ſine labore acquiruntur*, ibidem & 14. Nouemb n 2. l. 3. Pſalm. 23. fer. 2. ad prim. *eſt portus trāquillitatis cæleſtis*, Com. non Pont. nu. 3 *Beatus eſt qui multis virtutibus ornatus eſt*, Pſal. 1. Dom. Offic.

Sententiæ ſupra de Beatitudine.

GRATITVDO ERGA DEVM.

G*Rates ſunt agendæ generaliter pro multitudine beneficiorum quæ à Deo recepimus*: Ideò Iacob à Deo abundanter ditatus gratias agebat Domino, dicens: Domine memor ſum omnium &c. *Geneſ*. 32. Audiens David multa beneficia ſibi promiſſa, gratias humiliter egit, 2. *Reg*. 7. Daniel pro multis beneficiis quæ à Deo acceperat, benedixit Dominum dicens: Sit nomen Domini benedictum, *Dan*. 2. Paulus Apoſtolus gratias agebat pro beneficiis fratribus collatis, & omnes homines ad agêdas gratias inducebat, dicens; ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, *ad Epheſ* 5. *& prima ad Theſſal*. 5.

Gratię reddendę ſűt Deo ſingulariter pro liberatione à periculis. Ideò voluit Dominus ut liberatio filiorum Iſrael de ſervitute Pharaonis nunquam recederet ab eorum memoria, dicens: Erit quaſi ſignum in manu tua, *Exod*. 13. Poſtquam filii Iſrael liberati ſunt tranſitu mari rubro dixerunt; cantemus Domino glorioſè, *Exodi* 15. Tres pueri benedicebant Deum, de ignis incendio liberati: *Danielis* 3.

Gratiæ reddendæ ſunt Deo pro triumphis & victorijs: Ideò poſt mirabilem victoriam filii Iſrael obtulerunt Domino dona, *Num*. 31. Similiter poſt victoriam de Sara, Barach, & Debora Domino gratias cecinerunt, *Iud* 4. Habita victoria, & mundato templo per Iudam Machabæum benedixerunt in cœlum, 1. *Machab*. 4.

Gratiæ referendæ ſunt Domino pro bonorũ filiorum impetratione: Poſt Conceptionem Filii Dei in ſe, Beata Maria Virgo laudavit Dominum, dicens: Magnificat anima mea Dominum &c. *Lucæ* 1. Nato Ioanne Zacharias laudavit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, *Lucæ* 1.

Gratias debet homo agere pro ſanitate à Deo recepta: Nam cum Tobias recuperaſset viſum, ipſe & uxor eius, & Nati glorificabant Deum, *Tobiæ* 11. Turbæ videntes Paralyticum curatum à Domino, glorificabant Dominum, qui dedit talem poteſtatem, *Matt*. 9. *Marc*, 2. Vnus

de

de decem leproſis curatus reuerſus eſt cũ magna voce magnificans Dominum, *Luc.*22.

Homo gratus *Similis* eſt Terræ Bonæ & fæcundæ, quæ ex Dei donis tanquã ſemine, gratitudinis fructum copioſum Domino reddit.

VIDE EX BREVIARIO. Gratitudo *erga Deum* Dom.3.Sept.fer.5 l.1 *Tobiæ, Iudith*, Domin.4.Sept.Sabb.

Vide infra *Ingratitudo*.

GRATITVDO ERGA HOMINES.

GRatus debet eſſe homo ei qui eum iuvit, vel à periculo liberavit: Sic gratus fuit Abrahæ Rex Sodomorum, qui eum & populum ſuum à captivitate liberavit, offerens ei omnia ſpolia, *Geneſ.* 14. Benè remuneratus eſt Ioſue Raab, conſervando totam eius familiam, quia exploratores eius ab hoſtibus liberavit, *Ioſue*.6. Cum Gedeon liberaſſet populum, gratus populus dixit: Dominare tu nobis, *Iud.* 8. Tobias gratus fuit Raphaeli qui liberaverat eum à cœcitate, uxorem à dæmonio, & filium à devoratione piſcis, offerens ei multa munera, quia hominem credebat eſſe, *Tob.* 12. Naaman liberatus à lepra, multa dona obtulit Heliſęo, licet ipſe renueret, 4. *Regum* 5. Helias vt gratus eſſet propter beneficia recepta à vidua, eius filium à morte reſuſcitavit, 3. *Regum* 17. Heliſæus benè remuneratus eſt mulierem Sunamitem, apud quam tranſire & habitare conſueverat, impetrans ei filium, & ſuſcitans mortuum, 4. *Reg.*4.

VIDE EX BREVIARIO. *Gratitudo erga homines*, Dom.Sept.fer.6.

Sententiæ de hac gratitudine.

MEliora meretur ſuſcipere qui probatur ſuſcepta beneficia à corde non amovere. *Caſſiodorus* ... Grates perſolvere dignas.

Non opis eſt noſtræ, tibi præmia numen ab alto.

Digna dabit tanti meriti, non immemor unquam, *Virgilius AEneidos* 1.

Bis eſt gratum, quod ultro oblatum, *Sen.*

Bis non ſpondebis, quod mox præſtare valebis.

Gratia debetur pro munere, ſi cito detur.

Sed ſi tardetur non gratum munus habetur.

Dat bene dat multum, qui dat cum munere vultum.

Beneficia dare qui neſcit, iniuſte petit. *Seneca*.

Benificia plura recipit, qui ſcit reddere. *Seneca*.

Gratiarum actio eſt alterius beneficii poſtulatio. *Cic.*

G V L A.

GVla ab initio mundi ſemper hominibus grauiter nocuit: Primos parentes Adamum & Euam in Paradiſo gula perdidit, dum fructum vetitum comederunt quamvis alimentum licitum ipſis in copia ſuppeteret: *De omni ligno Paradiſi veſcimur*: Geneſis c.3. Eſau ex inordinato appetitu erga lentem ſiue pulmentum, vendidit ſua primogenita Iacobo fratri. Quãto peius pro eſca vetita ex gula animam dæmoni divendere, *Geneſis c.*15. Populus Iſraeliticus cui non deerat manna, & alimentum neceſſarium, inhiabat tamen ad ollas carnium quas habebat in AEgypto, & ideò à Deo graviter punitus fuit: *Num.c.*15 Dum Philiſtæi ſecurè epularentur, & indulgerent genio, per Sampſonem ruina domus oppreſſi fuerunt, & in ſua gula ſepulti, *Iudic.cap.* 16. Quoniam Heli ſacerdotes permiſit filiis ſuis contra morem carnes crudas populo extorquere, vt illas ſibi lautius prepararent, uno die uterque filius occiſus eſt, & ipſe Helli collapſus cervices fregit, 1. *Regum c.*2.

Dæmon grauis homines ad gulam tentat. Ideò Iob pro filiis epulantibus conſurgens diluculo ſacrificium offerebat per ſingulos dies ne filii per epulas iugulam & alia peccata prolaberentur, *Iob* 11. Prima tentatio qua diabolus Chriſtum in deſerto aggreſſus eſt, ad gulam pertinebat, Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant, *Luc.*4.

Illuſtre eſt exemplum gulæ graviter punitæ in Divite Epulone, *qui epulabatur quotidie ſplendide*, ſed ſicut ipſe in vita ſepultus erat in ſuis epulis & deliciis, ſic poſt mortem ſepultus eſt in inferno, & fruſtra quærebat unã guttam aquæ pro refrigerio ſuæ linguę guloſę quæ inter flammas cruciabatur, *Luc.* 16.

Epulæ multum impediunt orationem, & pietatem: Hoc ipſi diſcipuli poſt cœnam ſopore gravati non poterant in horto cum Chriſto orare, & à Chriſto increpantur, *Non potuiſtis vna ora vigilare mecum, Matth.* 16. Etenim gula & crapula inſtar fumi, aut nebulæ denſiſſimæ, qua homo oppletus non poteſt lucẽ diuinam videre, aut oculos mentis ad cælum & res cæleſtes elevare, ut notat S. Baſilius *hom* 1. *de ieiunio*.

Guloſi *Similes* ſunt Porcis, qui toto die ventrem replent, & in triclinio tanquam in hara verſantur, aras & templa, & pietatem nihil curant. Sunt etiam guloſi inſtar Muſcarum, quæ

quæ cadaveribus inhærent, & de uno cadavere ad aliud volitant. Sunt etiam ſicut Sepulchra quæ foris apparent ſpecioſa, ſed intus repleta ſunt cadaveribus animalium quæ devorant.

Gulæ deditus habet cor in ventre, inſtar piſcis qui græcè diciturOnos, ideſt, aſinus quem Ariſtotiles dicit ſolum ex omnibus animantibus cor ſuum in ventre habere.

Homo qui epulis inhiat ſolet eſſe ſimilis *Militi ignauo*, qui horret audire ſonitum tympani aut tubæ ad bellum evocantis, ſicut neque ille poteſt audire ſermonem de abſtinentia aut ieiunio, & maximè in Quadrageſima.

Sed remedium optimum gulæ eſt, quærere guſtum & oblectationem in rebus divinis, & animam illis explere, habent enim in ſe epulæ ſpirituales & carnales inſtar bilancis, quantum una pars elevatur tantum altera deprimitur.

Vide *Ebrietas*.

Sententiæ ſelectæ &c. de Gula.

VAE vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, *Luc.* 6.

Attendite vobis ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, *Luc.* 21.

Non in comeſsationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentionibus& emulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, *Rom.* 13.

Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorũ qui terrena ſapiũt, *ad Philipp.* 3.

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

PATRES. Cor habet in ventre guloſos, laſcivus in libidine, cupidus in lucro, *Hier.*

Gula in numera vitiorum agmina ad animę conflictum producit, *S Greg.*

Gula Paradiſum clauſit, primogenituram vendidit: ſuſpendit piſtorem, decollavit Baptiſtam: Nabuzardan Princeps coquorum templum incendit, & Ieruſalem totam evertit: Baltazar manum contra ſe ſcribenrem aſpexit in convivio, & eadem nocte interfectus, eſt à Chaldeis. *Innocentius.*

Nunquam poterit ardentis concupiſcentię ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ refrenare nequiverjt, *Idem.*

PHILOS. ET POETAE. Aprũ amat & mullos, & ſumen, & oſtrea: non te.

Tam bene ſi cænem, noſter amicus eris, *Martialis*.

Ieiunius raro ſtomachus vulgaria temnit, *Horatius.*

Strangulat in menſis plures gula, quam necat enſis.

Eſtque hoc axioma antiquum: Plures occidit gula quam gladius.

Quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, quid quid ferrarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus, quære nunc cur ſubito moriamur? quia mortibus vivimus. *Seneca*.

Ventri obedientes, animalium numero computantur, non hominum. *Idem Seneca*.

Vna ſylva pluribus elephãtibus ſufficit, homo verò paſcitur vix terra & mari. *Idem.*

Venter præcepta non audit: poſcit & appellat, non eſt tamen moleſtus creditur: parvo contentus, ſi das illi quod debes, non quod potes. *Idem.*

Vitium ventris & gutturis, non ſolum minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert. *Cicero.*

H.

HOMICIDIVM.

HOmicidium procedit aliquando ex inuidia. Caìn morus invidia fratrem ſuum occidit, *Geneſ.* 4. Tanta erat cupiditas Saulis ad occidendum Davidem propter iuvidiam, ut occiderit Abimelech, & alios Sacerdotes, cum mulieribus, & parvulis, 1. *Reg.* 22. Iudæi occiderunt Saluatoré ſolum moti invidia, ſciebat enim Pilatus quod propter invidiam tradidiſſent eum. *Matth.* 27.

Homicidia aliquando committuntur propter ſuperbiam & ambitionem: ſicut Abimelech occidit ſeptuaginta fratres ſuos, ut ipſe ſolus dominatum obtineret, *Iudic* 9 Zambri occidit Elam Dominum ſuum temulentum, ut regnaret poſt eum, 3. *Reg.* 16. Athalia tanta libidine exarſit dominandi ut omne ſemenRe gium interfecerit, 4 *Reg* 11

Homicidiũ valde Deo diſplicet, & grauiter punit. Nam homicidium Caìn punivit acerbè dicens, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me, Geneſ.* 4. Deus noluit ut David qui ſanguiné innoxium effuderat: ſed potius Salamon templum ſibi ædificaret, 3. *Reg.* 7. Quia Ioas fecit Zachariam iniuſtè occidi, gravirer fuit punitus à Domino, neque in ſepulchro Regio conditus fuit, 2. *Paral.* 24.

De Homicidio vide Quæſt. Theologicas ſupra *Tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 5.

VIDE EX BREVIARIO. Homicidium *eſt graue peccatum*, Dom. Sept. fer. 5. Dom. Sexag. fer. 4. L. 3. Dom 5. Pentec. Sabb.

Vide, *Inimicitia*, *Inuidia*.

Sen-

Sententia aliæ &c. de Homicidio.

OMnis qui odit fratrem ſuū homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æterna n in ſe manentem, *Ioan.3.*

Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, *Gen 9.*

Qui percuſſerit hominem volens occidere; morte moriatur, *Exod.21.*

Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur, *Exod.21.*

Qui percuſſerit hominem & occiderit, morte moriatur, *Levit.24.*

Si quis ferro percuſſerit, & mortuus fuerit, qui percuſſerit reus erit homicidii, & ipſe morietur, *Ierem.35.*

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, *Matth.27.*

PATRES &c. Ille gladium accipit, qui nulla ſuperiori, ac legitima poteſtate vel jubente, vel concedente, in ſanguinem alicuius armatur, *Auguſt.*

Periculoſe decipiuntur, qui æſtimant eos tantum homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum conſilium, & fraudem & hortationem homines extinguuntur. *Auguſt.*

ADAG. Homo homini Lupus, *i.* vitæ inimicus & inſidiator.

HONOR PARENTVM.

H*Onorare debet homo parentes eis exhibendo reverentiam*: Sic Salomon honoravit Berſabee matrem ſuam, & ſurrexit de ſolio ſuo in eius occurſum & poſuit eam ſuper ſedem ſuam, 3. *Reg.2.* Tobias juſtus inter alia quæ dedit filio documenta, & hoc fuit, Honorem matri ſuæ, *Tobiæ* 4.

Honorare debet homo patrem, & matrem, in præceptis omnibus obſequendo: Ideo filii Heli, quia non obedierunt Patri, ut deſiſterent à rapina in Sacrificiis, divinam ſententiam graviſſimè incurrerunt, 1. *Reg.2.* Ionathas quia non obedivit præcepto patris, comedendo modicum mellis, mortis ſententiam incurrit, 1. *Reg.14.* Puer Ieſus aſcendens in Nazareth cum parentibus, erat ſubditus illis, *Lucæ 2.* Et moriens matrem Ioanni dilecto diſcipulo commendavit, *Ioan.19.*

Honorare debemus parentes propter premium, & pœnam conſequentem: Vnde ait Dominus: Honora patrem & matrem, ut ſis longævus ſuper terram. & ſequitur: Qui maledixerit patri vel matri, ſit ille maledictus, & morte moriatur, *Exodi* 10 & 11. Quia Sem & Iaphet patrem denudatum honoraverunt, ideò benedictionem acceperunt, Quia verò Cham patrem non honoravit, ſed deriſit, eius maledictionem incurrit, *Geneſ.9.* Filio Ruben inceſtuoſo dixit Iacob: Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, *Geneſ.49.* Abſalon impiè perſecutus eſt patrem ſuum, ideò fuit morte peſſima interemptus, 2. *Reg* 18.

VIDE EX BREVIARIO. Honorandi Parétes *ore & opere* Dom.3. Quad.fer.4.l.2 Dom.4. Aug.fer.4.l.3 *cum filios laudabiles habent, ipſi laudabiliores ſunt*, 24 Iun.per totum, *eorum negligentia erga filios caſtigatur*, Dom 1 Pent.fer.4. 6.& Sabb. *Moneant diligenter filios dum vivunt*, Domin.1.Sept.nu.1.lect.2 *etiam morituri*, Do. 8 Pentec.fer.Dom.1.Octob fer.5. *Qui honorat Parentes, multis bonis replebitur*, Domin.4.Auguſt. fer.

Sententia &c. de Honore Parentum.

AVdi patrem tuū, qui te genuit, & ne contemnas cum ſenuerit mater tua *Prov.23.*

Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in tua virtute &c *Eccleſ.3.*

Qui timet Dominum honorat parentes, & quaſi Dominus ſerviet his, qui ſe genuerunt, *Eccleſ.3.*

Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne oblivíſcaris, & retribue illis, quomodo & illi tibi: Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, *Eccleſ.7.*

Filii, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt Domino, *Coloſſ.7.* & 5.

Et qui maledixerit patri vel matri morte moriatur, *Matth.* 5.

Qui honorat patrem ſuum vita vivet longiore, *Eccleſ.3.*

Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem morte moriatur; qui maledixerit patri ſuo aut matri, morte moriatur, *Exod.21.*

PATRES, PHILOS. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt Creator, *Auguſt.*

Preces parentum adverſus filios ſæpe audiuntur, *Plato.*

Matres plus diligunt filios, quam patres, quia certiores ſunt de eis, *Ariſt.*

Qui dubiat utrum oporteat Deos venerari, aut parentes honorare, non indiget ratione, ſed pœna, *Ariſt.*

Nemo patricidæ ſupplicio miſericordia commovetur, *Seneca.*

HOS-

HOSPITALITAS.

D*EVS multum commendat erga peregrinos hoſpitalitatem, Deuteronom. c.*10. Deus amat peregrinum; & dat ei victum & veſtitum, ergo & vos peregrinos amate, quia & vos advenæ fuiſtis, Chriſtus teſtatur ſeipſum in ſuis diſcipulis hoſpitio recipi, *Luc.*10. Qui vos recipit me recipit, Paulus Apoſtolus impensè commendat hoſpitalitalem, *ad Hebr. cap.* 13. Hoſpitalitatem nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus, Inter opera miſericordiæ recenſentur etiam hoſpites eſurientes paſcere, recipere, & eorum pedes lavare.

Hoſpitalitatem ſæpe remuneratur Deus etiã in hac vita. Loth in ſpecie peregrinorum Angelos hoſpitio recepit, neceſſaria miniſtravit, & ab iniuriis defendere voluit. Et ideo Deus illum per eoſdem peregrinos liberavit ab incendio Sodomæ & Gomorrhæ, *Gen. cap.* 19. Abraham etiam in ſpecie peregrini Angelos ſuſcipere meruit, *Geneſ. cap.* 18. Elias hoſpitio benignè exceptus, mulieris filium apud quam hoſpitabatur à morte ſuſcitavit, *Reg. cap.* 17. Eliſeus etiam dum tranſiret ſæpius a muliere Sunamitæ hoſpitio exceptus, grandi ſane mercede filium illi à Deo impetravit, quem poſtea mortuũ ſuſcitavit, 4. *Reg. cap.* 4. Martha & Magdalena Chriſtum cum diſcipulis hoſpitio excipientes, meruerunt ut earum frater Lazarus qui iacebat quatriduanus in ſepulchro ad vitam excitaretur, *Luc.* 10. Zachæus qui Chriſtum & diſcipulos in domum ſuam gaudens recepit, meruit ex publico peccatore fieri filius Abrahæ, & amicus Dei, *Luc.*19.

Vide *Miſericordia, & Liberalitas.*

Sententiæ ſelecta, &c. de Hoſpitalitate.

FRange eſurienti panẽ tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, *Eſaia* 58.

Qui accipit ſi quẽ miſero (dicit Chriſtus) me accipit: qui autẽ me accipit, accipit eum qui miſit me, *Ioan* 13.

Hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc quidam placuerunt, etiam Angelis hoſpitio receptis, *Hebr.* 1.

PATRES. Diſce Chriſtiane, ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, ne forte cui domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit Deus, *Auguſt.*

Qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui ſuſcipit peregrinantem, *Chryſoſt.*

POETAE PROFANI. Turpius eiicitur quã non admittitur hoſpes, *Ovid. triſt.* 5. *eleg.* 7.

Vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus, *Ovid.*

SACRI. Quando eris in menſa, primum de paupere penſa.

Oſtia cur claudis, dum vocem pauperis audis?

Fac quod Chriſtus amat, dum pauper ad oſtia clamat:

Tunc bene pandetur, cum Chriſtus adeſſe videtur:

Si des, ipſe dabit, ſi non des, ipſe negabit:

HVMILITAS.

C*Vm humilitate debẽt homines aliis reſpõdere:* Quia iuxta Sapientis ſententiam; Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Iacob fratri Eſau humiliter reſpondebat, ideò compeſcuit iram eius, *Gen.*33. Si Roboã humiliter reſpondiſſet, nequaquam decem partes populi perdiſſet, 3. *Reg.*12. Quia mulier Chananæa reſpondit humiliter verbis Chriſti, quæ aſpera videbantur aſſerens ſe eſſe quaſi Catellum qui comedit de micis menſæ Domini, ſanitatem integram filiæ procuravit, *Matth.*15.

Iuxta Salvatoris ſententiam, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. In cuius figura Saul qui quærebat aſinas, fuit à Domino ſuper regnum Iſrael exaltatus, 1. *Regum* 1. Petrus humiliter dixit Chriſto. Exi à me, quia peccator ſum ego; & poſteà officium Apoſtolatus ipſi Dominus benignè commiſit *Luc.*5. Optimam regulã humilitatis oſtendit Salvator, dicens: Cum invitatis pueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco, *Luc.*14.

Humiles debẽt eſſe homines ne in factis ſuis quærant ventum vanæ gloriæ. Nam Chriſtus publica ſua miracula prohibebat dici, uti pater in leproſo mundo, *Matth.*8. Et de duobus cæcis liberatis, *Matth* 9. Et de ſurdo & mutuo ſanato, *Marc.*7 Et ſimiliter de transfiguratione, *Matth.*17. Ad fugiendam iactantiam & vanã gloriam, de bonis quæ agimus, multum valet exemplum de ſuperbo Phariſæo, & de humili Publicano, *Luc* 18.

Humilitas meretur Indulgentiam peccatorum. Achab nequiſſimus impones ſibi pænam debitam pro peccatis humiliatus eſt, & Deus ipſi pænam temperavit, *Reg.* 21. Roboam & Principes eius humiliati sũt, & Dominus mutavit ſententiam per Prophetam ſuum, 1. *Paralip.* 12. Ezechias humiliatus eſt: idcircò non venit ira Dei in diebus eius, 2. *Paralip.* 19. Nabuchodonoſor humiliatus recognovit ſtatum

ſuum,

ſuum, & reductus eſt ad ſtatum priſtinũ, *Daniel* 4. Quia viri Ninivitæ humiliati ſunt, non eſt eorum civitas ſubverſa, *Ioan.* 3. Magdalena quia ad pedes Chriſti humiliter acceſſit peccatorum veniam impetravit, *Luc.* 7.

Humilitatis exemplum à Chriſto accipiendum eſt Humilis fuit in ſtatu Nativitatis, vitæ, & mortis. In Nativitate concipi voluit in civitate ignobili Nazareth, *Ioan.* 1. Item de humili matre, *Luc.* 1. Collocari in humili præſepio, *Luc.* 2. Quomodo humiliter vixit, humiliter docuit, plena ſunt omnia Evangelia. De morte autem, fuit veſtibus ſpoliatus, in carne vulneratus, inſipiens reputatus, à diſcipulis derelictus, hoſtibus traditus, flagellis cæſus, ſpinis per ludibrium coronatus, & inter duos latrones crucifixus.

Sicut quo profundius eſt in terra *Fundamentum* domus, aut *Radices* arboris, eo altius Domus, & arbor aſcendet ad cęlum, ita fit in iis qui ſe profundè humiliant.

Sicut *Rami* arboris quantò plures fructus habent, tantò magis ſe incurvant ad terram, ita faciunt humiles multis virtutibus prǫditi.

Sicut *Aurum* & gemmę in arca abſconduntur ne abripiantur, ita optima virtutum cuſtos eſt humilitas.

VIDE EX BREVIARIO. Humilitas *facit membrum Chriſti.* Dom. 3. Adv. n. l. 1. juſtificat. Dom. 4. n. 3. l. 3. *Debet eſſe fundamentum noſtræ fabricæ.* 4 Octob. n. l. 2. *Humilia reſpicit Deus.* Pſal. 112. Dom. Veſp. & Dom. inf. Aſcenſ. n. 2. l. 2. *humilitatem ſingulariter requirit,* 24 Feb. n. 3. *præferenda opibus,* 5. Feb. n. 2. l. 1. *meritò diſcenda,* 15. Ian. n. 3.

Vide *Superbia*.

Sententiæ ſelectæ &c. de Humilitate.

QVi ſe humiliat exaltabitur, *Matth.* 23.

Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, *Matth.* 11.

Quicumque humiliavit ſe ſicut parvulus iſte, hic maior vocabitur in regno cœlorum, *Matth. ibid.*

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, *Luc.* 1.

Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo &c. *Philip.* 2.

Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, ſcil. Deiparæ.

Gloriam præcedit humilitas. *Prov.* 15.

Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis, 1. *Pet.* 5.

Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos, *Eſaia* 66.

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, *Apoſtol.*

Excelſa eſt patria, humilis eſt via: ergo qui quærit patriam quid recuſat viam, *Aug.*

Multi humilitatis umbram, veritatem pauci ſectantur. *Hieronym.*

Virum humilem patientia oſtendit, *Hieron.*

Virginitate placuit Maria, humilitate concepit, *Bernard.*

Eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus in oculis Dei: tanto enim eris apud Deum pretioſior, quanto fueris in oculis tuis deſpectior. *Iſidor.*

Contemnit laudem virtus, licet uſque ſequatur.

Vide infra, *Superbia*.

HYPOCRISIS.

H*Ypocritæ & ſimulatores intēdunt ſemper aliquam aliis deceptionem inferre.* Sicut Amnon ſimulavit ſe languere, ut ſororem ſuam Thamar deciperet, & opprimeret, quod & fecit, 2. *Reg* 13. Giezi ſimulavit Dominum ſuũ veſtibus indigeri, ut Naaman deciperet, & ipſe acciperet veſtimenta, 4. *Reg.* 5 Phariſæi placida verba Salvatori dicebant, volentes eum capere in ſermone, *Matth.* 22. *Marc.* 12.

Hypocritæ cavent ſibi à peccatis minoribus maiora non curantes. De quibus dicit Dominus, *excolantes culicem, & degluti entes camelum, Matth.* 23. Phariſæi noluerunt intrare in Paraſceve Pilati Prætorium, ut non contaminarentur, & dicebant, ſibi non licere interficere quemquam; Chriſtum tamen innocentem eadem die occidere non dubitarunt, *Ioan.* 19.

Hypocritas punit Dominus maledictionibus, & flagellis. Nam uxori Ieroboam quæ de viri conſilio, mutato habitu, ſe aliam ſimulavit, Achias Propheta Domini mandato multas maledictiones, & flagella, ſimul cum nece filii, nũnciavit, 3. *Reg.* 14 Cum Scriptura divina generaliter impium deteſtetur, tamen ſingulariter hypocritis comminatur, dicens; Væ vobis hypocritæ, *Matth.* 26. Manifeſtè Hypocriſim Ananiæ & Saphiræ Petrus acriter increpavit, & morte punivit, *Act.* 5. Elymam magum Paulus graviter de hypocriſi increpavit, *Act.* 13.

Chriſtus comparat hypocritas *ſepulchris dealba-*

albatis: quæ foris apparent pulchra & candida, intus plena ſunt tantùm oſſibus mortuorum ſpurcitia, & fœtore *Matth.c.23.*

S. Chryſoſtomus Hom. 30. Simulatorem comparat *Meretrici*, quæ ad decipiendum, vultum deformem fictis coloribus depingit. Et S.Theophil. comparat *Hiſtrioni* qui ſemper perſonam mutat, & nunquam ſerio agit.

VIDE EX BREVIARIO. Hypochriſis *veritate fraudat*, 26.Iun.n.3. *fermento comparatur*, 9. Octob.n.3.l.3. *Deum, quem fictè quærit nunquam inueniet*, die 2.Epiph.n.4. *eo periculoſior, quod ſub nomine ſeruitutis Dei decipit*, fer.4.Ciner.& fer. 6.ibidem. *in negotio ſalutis declinanda*, Dom.5. Octob.n.1.

Vide *Mendacium, Iſtantia*, v. *Superbia*.

Sententiæ ſelectæ &c. de Hypocriſi.

INnocens contra hypocritam ſuſcitabitur in iudicio, *Iob.*17.

Cum facies eleemoſinam, noli ante te tuba canere, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus, *Matth.6.*

Cum oratis non eritis ſicut hypocritæ, amen dico vobis receperunt mercedem ſuam, *Matth.6.*

Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo, *Matth.7.*

Non quæro hominibus placere, ſi hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem, *ad Galat.*1.

Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus, *Matth.*23.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi hyocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, &c. *Matth.*23.

Veſtimenti induti ſunt ovium, & intus ſunt lupi rapaces

Vos eſtis qui juſtificatis vos corã hominibus, Deum autem novit corda veſtra, *Luc.*16.

Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, 2.*ad Corinth.*11.

PATRES. Simulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt & ſimulatio, *Aug.*

Levius eſt in alium aperte peccare, quam ſimulare & fingere ſanctitatem, *Hier.*

Væ peccatori terram ingredienti duabus viis, &c. *Sap.*

Vult hypocrita ſcire divina eloquia, nec tamen facere, vult doctè loqui, nec tamen ita vivere, *Reginaldus.*

Omnis hypocrita corpus per abſtinentiam afficit, ſed tamen per amorem gloriæ mundo vivit, *Idem.*

Hypocritæ volunt eſſe humiles ſine deſpectu, bene veſtiti ſine ſollicitudine, *Bern.*

PHILOS. POETAE. Eſt facies teſtis, quales intrinſecus eſtis.

Vix placet ambobus, qui vult ſervire duobus.

Qui fingit ſe amicum & non eſt, peior eſt eo, qui facit falſam monetam, *Ariſt.*

Compendiaria eſt via ad gloriam, ut qualis quiſque haberi vult talis ſit, *Cicer.*

Simulatio in omne re vitioſa, tollit enim iudicium viri, idque adulterat, tum amicitiæ repugnat.

Malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus, *Laertius.*

I.

INFERNUS, DAMNATIO.

A*Nimæ impiorum ſepeliuntur in inferno.* Sic Chriſtus dicit de Epulone divite & avaro: mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno, &c. *Lucæ* 16.v.22. Et alio loco monet: Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.

Ignis inferni in æternum durabit. Quia Chriſtus in iudicio reprobis dicet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, *Matth* 25.v.41. Et poſtea additur. Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.

Homines ex delitiis tranſeunt ad pænas inferni. Via peccatorum complanatur lapidibus, & in fine illorum inferni, & tenebræ, & pœna, *Eccl.*11.v.10. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, *Iob.* 21.v.13. Quantum glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum, *Apocal.* 18.v.7.

In inferno erit ignis, luctus & tenebræ, & vermis conſcientiæ. Ideò interrogat Propheta peccatores; Quis poterit habitare cum igne devorante, aut quis habitabit cum ardoribus ſempiternis? *Eſaiæ* 30.v.14. Et Chriſtus dicit de obſtinatis Iudæis: Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium, *Matth.* 8. Et iterum, monet melius eſſe luſcum, vel claudum introire in regnum Dei, quam duos oculos, vel duos pedes, habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, *Marc.*9 v.47.

Comparat S. Chyſoſt. Infernum cum *Carcere* ex ferro ardenti, undè nullus unquã dabi-

tur egreſſus. Alii cum *Stagno* profundiſſimo ex ardenti ſulphure & pice, unde nullus datur aſcenſus. Alii cum *Exilio* longinquo, ex quo nullus dabitur in patriam regreſſus. Contra omnem peccandi tentationem ſemper cogitanda eſt hæc ſententia. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.

VIDE EX BREVIARIO. *Certa damnatio*. Dom.D Pentecoſt.num.3.l.3 *Ejus pœna æterna*, Dom.1.Quadr.fer.2.l.3 *In tentationibus carnis meditanda*, Dom.5.num.2.

Sententia ſelecta &c. de Inferno.

INfernus & perditio nunquam replentur, ſimiliter oculi hominum inſatiabiles. *Proverb*.3.& 7.

Ignis nunquam dicit ſufficit.*Prov*.30.

PARTES. Horrẽdo modo miſeris eſt mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, ſed nullatenus pavorem fugat, flamma comburit, ſed nequaquam tenebras excutit.*Gregor*.

Quiſquis ad toleranda inferni mala deſcendit, nequaquam ad lucem ulterius redibit: quia nequaquam ultra miſericordia parentis liberat quos ſemel in locis pœnalibus juſtitia judicantis damnat. *Gregor*.

Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit.*Idem*.

In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, verbis immortalis, fætor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cedentium, horrida viſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum. *Gregorius*.

POETÆ. Quod quiſque fecit patitur, auctorem ſcelus.

Repetit, ſuoque premitur exemplos nocens. *Seneca Poeta*.

Facilis deſcenſus averni,

Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,

Hoc opus, hic labor eſt. *Virgil*.

INGRATITUDO.

INgrati ſunt homines Deo, *ipſius beneficia oblivioni tradentes*. Sic filii Iſrael educti à Domino de ſervitute Ægypti, fecerunt vitulum aureum, adorantes eundem, ut habetur *Exodi* 32. Citò etiam obliti ſunt bneficiorum Dei, quando faſtidiebant manna, & murmurabant, *Num*. 21. Reprehendit Angelus Iudæos ingratos, divina beneficia recolendo. *Iud*. 2. Sublimavit Deus Ieroboan ſuper decem tribus, & ille avertit populum à cultu Dei, *Reg*. 12. Ingratus fuit Iudas Chriſto qui potuit tot beneficia pro 30.argenteis illum inimicis tradidit, *Matth*.27.v.3.

Ingrati ſunt aliquando homines erga eos qui ſibi fideliter ſerviunt. Sic ingratus fuit Præpoſitus pincernarum adverſus Ioſeph, qui ſuccedentibus proſperis ſui interpretis eſt oblitus, *Geneſ*.40. Laban multoties voluit fallere Iacob, ſibi fideliter ſervientem, *Geneſis* 29. Multa ſervitia receperat à Davide Saul, & tamen eum occidere ſæpius nitebatur, 1. *Regum*. 18. Valdè ingratus fuit David Vriæ ſibi fideliſſimo, cui ti adidit litteras mortis, 2 *Reg*. 11.

Homo ingratus *Similis* eſt *Serpenti*, qui illum à quo fovetur veneno inficit.

Ingratitudo eſt quaſi *Ventus urens*, qui exſiccat fontem gratiæ divinæ, ne plura beneficia profundat.

Ingrati ſunt ſicut peſſimi *Debitores*, qui quo plus debent, eo minus ſolvunt.

Vide *Gratitudo*.

Sententiæ &c. de Ingratitudine.

PATRES Quanto majora beneficia ſunt hominibus conſtituta, tanto graviora peccantibus judicia *Chryſoſtom*.

Ingratitudo eſt hoſtis gratiæ, inimica ſalutis: quoniam nihil ita diſplicet Deo, quemadmodum ingratitudo *Bernard*.

Quid eo miſerius cui beneficia exeidunt, hærent iniuriæ.*Seneca*.

Perverſi cordis eſt, occaſiones ingratitudinis inveſtigare *Bernard*.

Improbus eſt homo qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit. *Plato*.

Pertuſum vas eſt ingratus homuncio, ſemper.

Omne quod infundis, perfluit in nihilum.

Adagium.Paſce canes, & mordebunt te.

INIMICITIA.

INimici *quærunt bona corrumpere*. Sicut diabolus, qui dormientibus hominibus ſuperſeminavit zizania, ut corrumperet triticum, *Matth*.13.

Inimicitia ſurgit ex invidia. Nam invidentes fratres Ioſepho quod à patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui, *Geneſ*.37. Ægyptii oderant filios Iſrael, quia creverunt & multiplicati ſunt, & affligebat eos, *Exodi* 1. Videns

Saul,

Saul, quod David prudenter ageret, & populus eum diligeret, factus eſt eius inimicus, 1. *Reg.*18.

VIDE EX BREVIARIO. Hoſtis (*per quem Deus punire ſolet*) *propter inſolentiam etiam punietur*. Dom.2. Adv. fer.3. & 16. eiuſdem fer.4. & Dom.3. Adv. fer. 5. Dom.4. eiuſdem fer. 6. Etiam *hoſti ſervanda fides*. Dom. 3. Auguſti num.2. l. 2. *Occultus aliquando plus nocet quam apertus*. Dom 5. Quadr. num. 2. l. 3. *Filius iræ idem eſt, ac gehenna*, Dom. 4. Quadr. fer.4. *Ira viri, juſtitiam Dei non operatur*, Domin.4. Paſc. fer.2. Odium, *ſuſcitat plerumque rixas*. Dom.1.Aug.fer.5.l.3. *In via Domini contrarios, ſuo modo odiſſe licet*. Com.un.Mart.n.3.l.3. *& peccatoribus ex bono zelo indignari*. Dom.3. Pent. n.3. *Diabolum unicum ſerio odiſſe licet*, fer.3. Maii hebd. Dom. n.2. l.2. *Non verò inimicum; poteſt enim eſſe ut ſit frater tuus*, ibid.

Vide *Invidia, Diſcordia, Odium*.

Sententiæ &c. de Inimicitia.

AB inimicis tuis ſeparare. *Eccleſ.* 6.

In labiis ſuis inculcat inimicus, & in corde tuo inſidiatur, ut ſubvertat in foveam. *Eccleſ* 12.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, *Eccleſ.*6.

Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum & vade prius reconciliari fratri tuo, & tum veniens, offers munus tuum, *Matth.*5.

S.Greg. Fruſtra exteriores inimicos vincimus ſi interioribus parcimus.

Graviſſimum inimicitiæ genus eſt, eſſe corde adverſarios, & lingua ſimulare devotos, *Caſſiod.*

Boetius. Nulla peſtis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus.

Ovid. In fraudulentum inimicum Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit, (ſcilicet)

Cum pecore infirmo quæ ſolet eſſe lupus.

IRACVNDIA.

VIde ſupra *Inimicitia*.

Ira eſt homini maximè noxia in corpore, & ſpiritu, & illius remedia.

Vitum ſtultum interficit iracundia, *Iob.*5.

Fatuus ſtatim indicat iram ſuam. *Prover.*12.

Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignationem facilis eſt, erit ad peccandum proclivior, *Prov.*15. & 29.

Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectutem adducunt. *Eccleſ.*30.

Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignē, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. *Prov.*26.

Grave eſt ſaxum, & onerosa arena, ſed ira ſtulti utroque gravior. *Prov.*27.

Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem, *Prov.*15.

Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat, *Prov.* 26.

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, *Prov.*22.

Ego dico vobis, quoniam omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, *Matth.*5.

Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, *Apoſt. ad Rom.*12.

Ira malorū, & invidorum maxime declinanda eſt. Sic Cain iratus contra fratrē Abel eo quod munera illius magis eſſent Deo accepta, illum fraudulenter foras deduxit, & occidit, *Gen.*4.

Saul audiens Davidem præ ſe decantari, & laudari, ira concitatus eum amplius ferre non potuit, 1.*Reg.*18.

PATRES, PHILOS. POETÆ. Ira inveterata odium eſt: ira feſtuca eſt, odium trabs: homines quotidie iraſcuntur filiis, non tamen oderunt filios, *Auguſt.*

Divina bonitas ideo iraſcitur in hoc ſeculo, ne iraſcatur in futuro, & miſericorditer temporalem exhibet ſeveritatem, ne æternam ultionem inferat, *Auguſt.*

Rectè illud laudatur *Archita* Tarentini, qui cum villico iratus, jam te inquit, occiderem, niſi iratus eſſem, *Hieron.*

Ira ſæpe etiam innocentes ad crimen adducit, quia dum juſto amplius iraſcimur & volumus aliena coercere peccata graviora committimus, *Ambroſ.*

Melior eſt qui vincit iram, quam qui capit civitatem, *Caſſiod.*

Ovid. Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat,

Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis. *Ovid. ad Caſ.*

Ira, furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret.

Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catenis. *Horat.*

Cum ſpirat ira ſanguinem, neſcit regi. *Seneca Poeta.*

Amantium iræ amoris redintegratiò eſt. *Terentius.*

Furor, iraque mentem præcipitat. *Virgil. Æneid. lib.*2.

Quaslibet infirmas, adiuvat ira manus. *Ovidius*.

Adagium. Qui non novit diſſimulare, non novit regnare.

Odium magis rationi obtemperat, quam ira. *Ariſtot.*

Iraſci in quibus non oportet, inſipientis eſt, *Ariſtot. Valer. &c.*

Maximum remedium iræ, eſt dilatio, *Seneca*.

INTENTIO BONA, AUT MALA.

EX *intentione opus judicatur*. Iudas dixit, peccavi, nec tamen veniam meruit, quia erat intentio eius depravata. *Matth.* 27. David dixit, peccavi, & Deus ille pepercit, quia rectam intentionem habuit, 2. *Reg.* 12. Ex turbis quidam ſequebantur Chriſtum, ut eum nequiter obſervarent, & hi graviter peccaverunt, ut habetur *Luc.* 14. Quidam ut de panibus eius ſaturarentur, & hi nec merebantur, nec peccabant, *Ioan.* 6. Alii ut audirent verba eius, & inde ædificarentur, & hi multùm merebantur, *Lucæ* 5.

Intentio & voluntas pro facto ſæpe reputatur. Nam commendavit Dominus bonam voluntatem Davidis de ædificando templo, licet ipſe noluerit ut ædificaretur per eum, 2. *Reg.* 7.

Intentio ſæpè diſſimilis eſt operi externo. Nam David miſit ad Vriam ut veniret, & quieſceret, non propter eius quietem, ſed ut ſuum peccatum celaret, 2. *Regum* 11. Ornavit ſe Iudith, uti ſolent ſe ornare laſcivæ mulieres, ſed ille ornatus non ex libidine, ſed ex maxima virtute patriam defendendi proceſſit, *Iudith* 11. Herodis intentio erat Chriſtum occidere, ſed eam ſub adorationis pallio abſcondit, *Matth.* 2. Sic orationem, jejunium, eleemoſynam præcepit Dominus fieri, non intentione placendi hominibus, ſed placendi Deo, qui in abſcondito videt, & juxta intentionem remuneratur operantem, *Matth.* 6.

Intentio bona ſimilis eſt Auro, quod omnia quibus applicatur ſplendeſcere facit. Comparatur etiam virgæ Midæ, quæ dicebatur omnia quæ tangebat in aurum convertere.

Intentio mala ſimilis eſt Vermi, qui fructû operum noſtrorum rodit & corrumpit.

VIDE EX BREVIARIO. *Per hanc ſoli Deo placere debemus*, 5. Commun. Virg. n. 3. l. 2. *ſit ergo occulta*, fer. 4 Cin. l. 1.

Vide *Aſtutia*, *Adulatio*, *Hipocriſis*, cum Sententiis.

INVIDIA.

INvidia *occaſio eſt ſpiritualis, & corporalis mortis*. Nam, ut ſcribit Sapiens, invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Cain motus invidia Abel fratrem ſuum occidit; quia eius munera & non ſua Dominus accepit, *Geneſ.* 4.

Non miſeris ſed poſitis in divitiis, & honoribus invidetur. Nam quia Dominus benedixerat Iſaac, & multiplicatus eſt, ideo invidebant ei Palæſtini, *Gen.* 26. Propter honorem quem dabant Davidi canentes, Saul percuſſit mille, & David decem millia, invidere cæpit Saul, & perſequebatur Davidem, 2. *Reg.* 18. Videntes Satrapæ & Principes quod Daniel eos honoribus ſuperabat, quærebant occaſionem contra eum, ut dicitur *Daniel.* 6. Principes Sacerdotum audientes à pueris Chriſtum honorari, Oſanna filio David, & videntes miracula, ſunt contra Chriſtum per invidiam indignati, *Matth.* 21. *Luc.* 19. Audientes Phariſæi Lazarum ſuſcitatum, & videntes turbam ſequentem Chriſtum, invidentes contra eum collegerunt Concilium, *Ioan.* 11.

Invidi non parcunt etiam propinquis. Nam Rachel Lyæ ſorori ſuæ invidebat propter fœcunditatem, *Gen.* 30. Fratres Ioſeph invidebant ei videntes quod a patre plus amaretur, *Gen.* 37. Frater filii prodigi videns fratrem ſuum cum honore receptum indignabatur ei, & noluit intrare, *Luc.* 15.

Sicut in Sole ambulantes comitatur umbra, ſic homines virtute illuſtres ſequitur invidia.

Sicut vermis qui naſcitur in ligno, ipſum lignum corrodit; ſic invidia ipſum invidum conſumit, *Chryſ.*

Invidi ſimiles ſunt peſſimis Canibus, qui non deſinunt contra omnes latrare. Similes etiam ſunt Vulturibus, qui amant cum fœtidis cadaveribus, id eſt, cum hominum vitiis occupari, *Baſil. Homil. de invid.*

VIDE EX BREVIARIO. Invidia. *Hanc Deus aſpernatur*, Dom. 3. Quadr. fer. 2. l. 1. *ſibi nocet*, Dom. 2. Aug. fer. n. *etiam cum ſuo incommodo cavenda*, ibid. Aemulatio *parit invidiam*, Dom. 4. Pent. fer. 4. l. 2.

Vide *Inimicitia*, *Amor proximi*.

Sententia &c. de Invidia.

AN oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum? *Matth.* 20.

Non

Non in contentione & æmulatione, *ad Roman.* 13.

Vir qui feſtinat Domino ditari, & aliis invidet, ignorat, quod egeſtas ſuperveniet ei. *Proverb.* 28.

Deponentes igitur omnem malitiam, & invidias & omne opus pravum, *Iacobi* 3.

Sicut modo geniti infantes, rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite &c. *Petri* 2.

PATRES. Invide quid ſuſpiras? proptiumne malum, an alienum bonum? *Baſil.*

Vt ærugo ferrum, ſic invidia quem neſcit, animum conſumit, *Baſil.*

Invidia peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem inimiciſſimum convertit, *Chryſoſt.*

Fuge invidiam, quæ non ſolum alienos, verum multo magis, eum quem poſſederit, lacerare conſuevit, *Ambroſ.*

Invidia eſt filia ſuperbiæ: ſed iſta mater ſuperbia neſcit eſſe ſterilis: ubi fuerit, continuo parit: ſuffoca matrem, & non erit filia, *Auguſtinus*.

Tolle invidia, & tuum eſt quod habeo; tolle invidiam, & meum eſt quod habes, *Idem*.

O invidia, quæ ſibi ſemper eſt inimica: nam qui invidet, ſibi quidem ignominiam facit, alli autem cui invidet, gloriam parit, *Chryſoſtom.*

PHILOS. POETÆ. Numquam melius torquebis invidos, quam virtuti & gloriæ ſerviendo, *Seneca*.

Invidus ſeipſum tamquam oſtem offendit, *Democritus*.

Nulli magis nocet invidus quam ſibi.

Similis invidet ſimili: & figulus figulum odit, *Ariſtoteles*.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro.

Vicinumque pecus, grandius uber habet. *Ovidius*.

Invidus alterius rebus marceſcit opimis, *Horatius*.

Dum canis os rodit, ſocium quem diligit, odit.

IVDICIVM IVSTVM.

I*Vdex debet cauſam prius diligenter examinare ut rectè cognoſcat, quam ſententiam ferre debeat*, Ideò dicitur, cauſam quam neſciebam diligenter inveſtigabam, *Iob.* 29. Deus quem nil latere poteſt, ut de hoc Iudicibus exemplum demonſtrare, deſcendit videre civitatem quam ædificarunt filii Adam, antequam eos puniret diviſione linguarum in Babylonia, *Geneſ.* 11. Noluit Dominus de Sodomitis

judicare antequam diceret: Deſcendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverunt, *Geneſ.* 19. Salomon ſubtiliter & diligenter inveſtigavit cauſam duarum mulierum, quæ de infante contendebant, & ſic juſtum judicium protulit, ut patet, 3. *Reg.* 3. Diligenter & diſtinctè examinavit Daniel duos ſenes de falſo crimine in Suſannam, *Daniel* 13. Noluit Feſtus Præſes ſubitò Paulum judicare; ſed dixit; Non eſt Romanis conſuetudo aliquem judicare antequam accuſatus fuerit, & detur locus defendendi ad obiecta crimina, *Actorum* 25.

Iudex ut rectè judicet, conſulere debet Conſilium divinum, pariter & humanum. Sic Moyſes Conſilio Ietaro acquievit, ut Dei populum ſalubriter judicaret, *Exodi* 28 Ob hanc causâ conſtituit Moyſes majores judices, & minores, ut ſimul haberent Conſilium, *Exodi* 18.

Sicut *Bilanx* ſive ſtatera, ut ſi bona & juſta, non debet ex ſe magis in unam partem quam in alteram pendere, ita judex æquus non debet ex ſuo affectu uni parti præ altera favere, ſed debet ſequi pondus rationis.

Sicut qui ad *Metam jaculatur* non debet ſupra vel infra ſed directè ad ſcopum collimare, ſic qui vult eſſe juſtus debet omnino contendere ut cauſam veritatem & juſtitiam attingat.

VIDE EX BREVIARIO. Index *debet eſſe virtute potens*. Dom. Aug fer. 2 l. 2. *& patres, maxime erga pupillos*. Dom. 4. Aug. ſer. 6. *Sedulo ſtudendum, ne in hoc cauſa pauperum negligantur*, 2. Aug. n 2. l. 3.

Vide etiam de *Iudicio juſto*, Sententias &c. poſt Titulum ſequentem.

IVDICIVM INIQVVM.

I*Vdex tunc iniquè judicat, quando ſignis & relationibus citò credit*. Dominus Ioſephi nimis citò credit verbis conjugis, Ioſeph falsò accuſantis, & ipſum ſine examine carceri mancipavit, *Geneſ.* 39.

Iudicat iniuſtè qui per avaritiã incorruptus pervertit judicium. Sic dicitur de filiis Samuelis. Declinaverunt poſt avaritiam, & perverterunt judicium, *Reg.* 8. Iniuſtè protulit David ſententiam in Miphiboſeth propter munera quæ dedit ei Siba, 2. *Reg.* 15 De judicibus malis dici poteſt quod de judicibus & Principibus Iſrael: Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, aurum, ſequuntur, ut dicitur; *Eſaiæ* 1.

Iudicat non rectè, qui judicat cum ira & furore. Sic Nabuchodonoſor male judicavit quando

in furore & ira præcepit ut omnes Sapientes Babylonis interficerentur, quia ejus ſomnium ignorabat, *Daniel* 2. Herodes iniquè judicium protulit quando juratus occidit omnes pueros qui erant in Hieruſalem & omnibus finibus ejus, *Matth.* 2.

Iudex non rectè judicat quando amore vel timore à via veritatis deviat. Licet Darius Rex Perſarum ſciret Danielem innocentem, tamen ad petitionem Satraparum fecit eum mitti in lacum leonum, ut ibi à leonibus devoraretur, *Daniel* 6. Ad unius ſaltatricis petitionem juſſit Herodes Ioannem juſtiſſimum decollari, *Matthæi* 14. *Marci* 6. Iniquum judicium dedit Pilatus, qui ad petitionem Iudæorum: volens ei placere, Barrabam ſeditioſum dimiſit, & Ieſum innocentem tradidit morti, *Matth.* 27.

Sicut oculo reſpicienti per vitrum rubrum omnia videntur eſſe rubicunda, etſi ſint maximè candida; ſic erga alium habet animum malè affectum, judicat ejus opera peſſima, etſi in ſe ſint optima & æquiſſima, habet enim ſuum judicium, quod eſt mentis perſpicilium, odio, aut invidia aut alia paſſionem infectum.

Sicut aliqui laborant vitio oculorum, quo fit ut res vicinas vix videant, objecta verò remota ipſis maximè appareant, ſic aliqui ad ſua vitia non reſpiciunt, ſed in aliorum operibus improbandis pluſquam lyncei eſſe volunt. Quos etiam Chriſtus pulcra comparatione perſtringit: Vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras; *Matth.* 7.

VIDE EX BREVIARIO, *Iudicium impiorum eſt fallax*. Com. non Pontif. n. 1. *Recidit communiter in ſuum Iudicem*, Feſt. Silveſt. n. 1. *Et plerumque quando alios judicamus, nos ipſos condemnamus*, Dom. 6. Pentec. n. 1. & Feſt. Silveſt. n. 1.

Vide *Inimicitia, Invidia*.

Sententiæ de Iudicio juſto &c.

ÆQuum judicium ſit inter vos, ſive peregrinus, ſive civis peccaverit: quia ego ſum Dominus Deus veſter. *Exod.* 24.

Non pervertes judicium advenæ & pupilli: nec auferes pignoris loco viduę veſtimentum. *Deut.* 24.

Cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum, *Proverb.* 28.

Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & pervertunt cauſas iſtorum. *Deut.* 16.

Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos *Eſaia* 10.

In judicando eſto pupillis miſericors, ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altiſſimi obediens, & miſerebitur tui &c *Eccleſ.* 4.

Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam & venite & arguite me dicit Dominus. *Eſaia* 1.

Maledictus qui pervertit iudicium advenæ, pupulli, & viduæ *Deut.* 27.

Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum, *Proverb.* 17.

PATRES PHILOS. &c. Feci judicium & juſtitiam, in judicio non contempſi pauperem non oppreſſi viduam in perſonam, divites non recepi, in omnibus operibus miſericordiam reſervavi. *Aug. in Pſ.* 118.

Gravius lacerantur pauperes à pravis judicibus, quam à cruentiſſimis hoſtibus. *Iſidor.*

Seneca. Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera.
AEquum licet ſtatuerit, haud æquus eſt.

Iudicis officium eſt, ut res, ita tempora rerū.
Quærere, quæſito tempore totus eris. *Ovid.*
Dicā ſi potero, male verū examinat omnis.
Corruptus iudex. *Horatius*.

Tu es judex, ne quid accuſandus ſis vide. *Terentius*.

Accuſare non licet, & ſimul judicare. *Menander*.

Amor & odium, & proprium commodum, ſæpè faciunt judicem non cognoſcere verum. *Ariſtoteles*.

Et ſapientia judicis in hoc ut non ſolum quid poſſit, ſed etiam quid debeat pondere. *Cicero*.

Ad pænitendum properat, qui cito judicat. In judicando criminoſa eſt celeritas. *Sen.*

De *Iudicis, Advocati*, & *Teſtib* obligatione ad reſtituendum &c. Vide ſupra *Tom. II. part.* 2. *Tract.* 5 *Cap. ultimo*.

IURAMENTUM.

Iurare poſſunt homines licitè ad ſervandum promiſſa. Sic Abraham juravit Abimelech quod non noceret ei, *Geneſ.* 21. Pepigit fœdus amicitiæ Ionathas cum David, & juraverunt ambo, 1. *Reg.* 20

Faciant aliqui temerè juramentum perverſum obſervandum. Sic temere jurabat David deſtruere Nabal, & omnia quæ habebat, *Reg.* 25. Simile juramentum fecit Iezabel, quod occide-

cideret Heliam Propheram, *3.Reg.* 19. Nabuchodonoſor juravit per thronum ſuum quod vindicaret ſe de filiis Iſrael, *Iud.* 1. Male juravit & peſſimè ſervavit juramentum Herodes, dare ſaltatricis quicquid volebat, & conceſſit et caput Ioanni Baptiſtæ, *Marc.* 6. *Matth.* 14.

Sicut in judiciis hominum non licet perſonam Regis in teſtem adducere, utpote majorem illis qui citant & inducunt, quanto minus licebit temerè, & irreverenter Deum in teſtem advocare.

Sicut qui habet veſtem valdè pretioſam non vult ea abuti quotidie illam geſtando, ſic maximus eſt abuſus per conſuetudinem jurandi pretioſum Dei nomen quotidie in ore habere.

Vide *Blaſphemiæ*.

Sententiæ de Iuramento &c.

NOn aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum &c. *Exodi* 20.

Et per nomen externorum Deorum non jurabitis. *Exodi* 23.

Non uſurpabis nomen Dei tui fruſtra, quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit. *Deut.* 5.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, & nō diſcendet à domo illius plaga: *Eccleſ.* 23.

Ante omnia autem fratres mei nolite jurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, ut non ſub judicio dedicaris. *Iacobi* 5.

Nemo eſt qui frequenter jurat, qui aliquando ne perierit. *Chryſoſt.*

Ah miſer! & ſi quis primo periuria celat:
Sera tamen tacitis, pœna venit pedibus. *Tibullus*.

Non bene conducti vendunt periuria teſtes. *Ovid.*

IVSTITIA DIVINA & HVMANA.

I*Vſtitia exigit ut malis retribuatur eadem menſura quam ipſi aliis retribuerunt*. Adonibozeth juſtè amputatæ ſunt manuum ſummitates, ſicut ipſe amputaverat ſeptuaginta Regibus, ut habetur, *Iud.* 1. Agag qui ſine liberis fecerat mulieres, remanſit ſine liberis mater ejus, 1. *Reg.* 15. Superbus Aman ſuſpenſus eſt in eodem patibulo, quod paraverat Mardochæo, *Heſt.* 7. Hoſtes Iudæorum eodem die occiſi ſunt, quo ipſi Iudæos occidere decreverant, *Heſt.* 9. Viri qui Danielem fecerunt mitti in lacum leonum, miſſi ſunt in eundem & devorati ſunt, *Daniel* 14. Duo ſenes qui voluerunt injuſtè occidere Suſannam, à populo interfecti ſunt, *Daniel* 13. In eodem loco in quo Andronicus occiderat Oniam, fecit eum Enuchus occidi, 2. *Machab.* 4. Iaſon qui multos interfectos & inſepultos abiicerat, inſepultus ipſe abiectus eſt, 2. *Machab.* 5. Antiochus blaſphemus & homicida, peſſimo ulcere interfectus eſt, 2. *Machab.* 9. A ſervo nequam qui noluit conſervo dimittere, repetit Dominus debitum jam dimiſſum, *Matth* 18.

Sicut præſente ſole maculæ etiam minimæ apparent, ſic coram juſtitia & judicio divino omnia hominum peccata quantumvis oculta deteguntur.

Sicut per ventum paleæ à tritico ſeparantur, ſic juſtitia divina in extremo judicio ſeparabit malos de medio juſtorum, & mittet eos in caminum ignis, *Matth.* 13.

VIDE EX BREVIARIO. *Iudicium Dei eſt pondus & ſtatera*. Dom. Aug. l. 3. Sabb. & *ſecundum veritatem*. Feſt. Sylveſt. n. 1. *Iudicia Dei non ſcrutanda*. Octob. S. Ioan Evan. n. 3 l. 2. *Sed potius timenda*, die 2. Epiph n. 2. l. 3. & 6. ibidem n. 2. l. 3. *Quamvis punitionis divinæ cauſa non ſemper ſciatur*. Dom. 4. Pentec. fer. 6. l. 2. *tamen ut plurimum propter peccata fit*, Dom. 4. Nov. fer. 2. *cum impio aliquando etiam juſtus involvitur*. Dom. 2. Nov. n. 1. l 1 *Deus in punitione non aufert omnem miſericordiam*, Dom. 5. Pentec fer. 5. l. 3. Pſ. 88. fer. 6. & Cant. ad laudes ibid.

Sententiæ &c. de Iuſtitia.

DIco vobis quia niſi abundaverit juſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Matth.* 5.

Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda. *Pſal.* 28.

Et annuntiabunt celi juſtitiam ejus. *Pſal.* 21.

Omnis qui facit juſtitiam, ex Deo natus eſt. *Ioann.* 2.

Septies de die cadet juſtus, & reſurget. *Proverb.* 24.

Benedictio Domini ſuper caput juſti. *Proverb.* 10.

Fructus juſti ſignum vitæ. *Proverb.* 30.

In memoria æterna erit juſtus. *Pſal.* 111.

Nomen eorum vivet in generatione & generationem. *Eccleſ.* 44.

PATRES &c. Hæc eſt perfecta juſtitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. *Auguſt.*

Iuſtitia, magis aliis quam ſibi prodeſt, & uti-

litates ſuas negligit, communia emolumenta præponens *Ambroſ.*

Iuſtitia non novit patrem, non novit matrem, veritatem novit, perſonam non accipit, Deum imitatur. *Caſſiodor.*

Iuſtitia utilibus rectum præponere ſua ſuadet. *Claudian.*

Iuſtum & tenacem propoſiti virum.
Si fractus illabatur orbis.
Impavidum ferient ruinæ. *Horat.*

Dat veniam Corvis, vexat Cenſura columbas, ideſt innocentes.

L

LIBERALITAS.

Liberalitatis exempla nobis præbuit Chriſtus: Nam relinquenti temporalia promiſit æterna. Centuplum in præſenti, & vitæ æternæ gloriam tribuens in futuro, *Matth* 19. Non debet liberalis procraſtinare beneficia: Sicut Chriſtus non dixit latroni, cras mecum eris in Paradiſo, ſed hodie, *Luc.*23.

Maior virtus reputatur liberalitas erga pauperes, quam divites. Iob liberalis fuit ad pauperes qui ait; Cor viduæ conſolatus ſum, Pater eram pauperum, *Iob.*29. Liberaliter magi Chriſto pauperi pannis involuto in præſepio ſtabuli reclinato, munera obtulerunt. *Matthæi* 2. Salvator liberaliter pavit pauperem turbam, quia non habebat quod manducaret, ut habetur *Matth.*13. *Marc.*8. Multum largus erat Zachæus, qui dicebat, dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quem defraudavi reddo quadruplum, *Luc.* 19. In Evangelio valdè liberalis fuit ille Rex qui nuptias fecit filio ſuo, & miſit vocare invitatos ad nuptias, donec menſæ diſcumbentium implerentur, *Matth.* 22.

Liberalitas debet eſſe reciproca. Regina Saba multa attulit Salomoni, & Salomon dedit ei omnia quæ petiit, 3.*Regum* 10. Iulius liberaliter recepit Paulum & ſocios eius, & Paulus uxorem eius ægram reſtituit ſanitati, *Act.*27. Quia viri Sochot & Phanuel non fuerunt liberales Gedeoni, ab eo graviter ſunt puniti, *Iudic* 8. Nabal in maximo, propter tenacitatem ſuam, fuit periculo, niſi largitas Abigail ſuppleviſſet, 1.*Reg.* 25.

Similis eſt homo liberalis uberrimo Fonti, qui ſuas aquas ſibi non ſervat, ſed eas aliis profluere & prodeſſe permittit: è contra avarus eſt inſtar ſtagni in quo aquæ ſemper manent, & putreſcunt.

Sicut Sol circuit orbem ut lucem ſuam diffundat, & homines lætificet, nec tamen per hoc obſcuratur; ſic homo liberalis quærit occaſionem aliis benefaciendi, & omnes eius aſpectu lætantur.

Sicut vas plenum & vas vacuum, ſi pulſentur, optimum concentum præbent, ita optimè convenit inter divitem benignum, & pauperem vacuum & egenum.

VIDE EX BREVIARIO: Liberalitas *non habet gratiam, ſi iniuriam perſeverat*. Dedic. die 1.n.3.l. 2. Eleemoſyna *habet Deum inſpectorem.* Dom.6. Aug.fer.5.l.3. *Omnibus dictum eſt ? Oculos à pauperes non avertas*. Dom.4. Aug.fer. 6. l.3: *Sic danda, ut abſtinentia ieiunantis, ſic refectio pauperis*. Dom.3. Adv. n.2.l.3. *idque ex compaſſiva charitate.* Dom.3.Sept.fer.6.l.3. *peccata redimit*. Dom. Novemb. fer.4.l.3. *Sicut ignem aqua extinguit*. Dom.4. Aug fer.5. l.3. *non facit pauperem*, 2.Com.non Pontif.n.3.l.2. *horrea replet*. Dom.1.Aug.fer.2.l.2. *multis bonis in vita beat*. Pſ.40.fer.3. *& æternis poſt mortem*, 2.Com.non Pontif.n.3 l.3. *liberalis Regis Hungariæ manus poſt mortem incorrupta*. 20.Aug.n 3. l.3.22.Novemb.n. 3.l.3. Exempla *liberalis Eleemoſinæ*, 17.Ian.n.& 30.eiuſdem n.2.26. Iun.11. Aug.n.3.l.3.16.Septemb.n.2.l.3.21.Oct.l.1.22. Novemb.n.2.l.3.

Vide *Avaritia*, *Hoſpitalitas*.

Sententiæ ſelecta &c. de Liberalitate.

Divitiæ addunt amicos plurimos. *Prov.*19. ſcilicet liberaliter expenſæ.

Hilarem datorem diligit Deus, 2.*Cor.*6.

Date & dabitur vobis, *Evang.*1.

Neſciat ſiniſtra quid faciat dextera tua. *Matth.*6.

PATRES, PHIL. POETÆ. Liberalitas eſt motus quidam animi, faciens & approbans liberas largitiones ſine ſpe retributionis. *Auguſtinus*.

Modus liberalitatis tenendus eſt, ut quod benefacis quotidie facere poſſis. *Ambroſ.*

Non ſolum quæritur quantum, ſed de quanto, & quo animo detur. *Idem.*

In ipſa liberalitate modus adhibendus eſt rerum & perſonarum: rerum ut nô omnia uni, ſed ſingulis quædam præſtentur, ut pluribus prodeſſe poſſimus..... perſonarum, ut primum iuſtis, dein peccatoribus. *Gregor.*

Nunquam eſt vacua manus à munere, ſi arca cordis repleta eſt bona voluntate. *Idem.*

Martial. Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis.

Quas dederis, ſolus ſemper habebis opes.

Colli-

Collige theſaurum, qui gemmas vincit & aurum,

Tollere quem nequeunt fures, nec rodere mures.

Gazas congeſtas præcellit mentis honeſtas, ſcil. liberalitas.

Cicero. Liberalitate nihil eſt naturæ hominis accomodatius.

Melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocatur. *Cicero.*

Vnum bene poſitum beneficium, multorum amiſſorum ſolvit damna *Seneca*.

Bis eſt gratum, ſi quod opus eſt ultro offeras. *Seneca*.

Bis dat, qui cito dat *Idem*.

L V X V R I A.

LVxuria cauſa vel occaſio eſt homicidiorum. Nam propter violationem Dynæ habitatores civitatis Sichen ſunt occiſi, *Geneſ.* 34. Amon propter violationem ſororis ſuæ Thamar, ab Abſalone in convivio fuit occiſus, 2. *Regum.* 13. David pulchritudine Berſabee captus, cum adulterio homicidium perpetravit, 2. *Reg.* 11. Propter luxuriam Herodis & Herodiadis fuit Ioannes Baptiſta decollatus, *Matth.* 6. *Marc.* 14.

Luxuria deiicit potentes. Sic deiecit Sampſonem Dalila, *Iud.* 16. *Decipit prudentes.* Sic decepit Salamonem per mulieres, quibus adhæſit, 3. *Regū* 11. *Diminuit viribus pollentes*, ſic diminuit Holofernē capite & vita, propter Iudith quam concupivit, *Iud.* 12. & 13.

Deſtruit ætate ſeneſcentes. Sic deſtruxit duos ſenes propter Suſannam, eius pulchritudinem aſpicientes, *Dan.* 3.

Luxuriam ſequuntur graves pœnæ. Nam cauſa diluvii videtur fuiſſe luxuria, quia omnis caro corruperat viam ſuam, dixit Deus ad Noe: delebo hominem, *Geneſis* 6. Quia in animam quæ libidini vacat, habent poteſtatem dæmones, petierunt dæmonia intrare in porcos, id eſt luxurioſos, *Matth.* 8. Duo ſenes luxurioſi volentes Suſannam opprimere, à populo ſunt lapidati, *Dan.* 13. Mulier in adulterio deprehenſa iubetur à Moyſe lapidari, *Levit.* 20. Sodoma & Gomorra ob libidinem deleta ſunt.

Sicut filius prodigus vivendo luxurioſè diſſipavit ſubſtantiam ſuam, & inter porcos veſci & vivere debuit, *Luca* 18. Sic alii per luxuriā diſſipant & perdunt patrimonium regni cœleſtis, & digni ſunt ut potiùs inter immundos porcos, quam inter homines vivant.

S. Benedictus ut luxuriæ tentationes ſuperaret in vepribus ſe tamdiu volutavit, donec voluptatis ſenſus dolore opprimeretur, ut narratur in Brev. die 21. Martii lect. 4.

Sicut nemo niſi inſanus vellet haurire venenum mortiferum, etſi modico melle condiatur, ita inſanum eſt luxuriæ peccato animā perdere, propter modicam & momentaneam voluptatem quæ in ea continetur.

Sicut qui in ardenti febri laborant, præ ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi non ſentiunt, ſic libidinoſi veræ virtutis guſtum non percipiunt, *Cic. Phil.* 2.

Vt favus diſtillans labia meretricis, noviſſima autem eius amat quaſi abſynthium, *Proverb.* 5.

Sicut duobus modis ignis extinguitur; ſubtrahendo ligna, vel inſpergendo aquam; ſic flamma luxuriæ ſuffocari debet ſubtrahendo carnis incentiva, vel certè infundendo aquam lachrymarum.

VIDE EX BREVIARIO. Luxuria. *Hanc etiam mortuorum caſti oculi averſantur*, 29. Aug. l. 2. Adulterium *eſt iniquitas maxima*, Dom. 2. Sept fer. 4. *lapidatione olim puniebatur*, Sabb Dom. 3. Quad. l. 2 *de facto privatione regni Dei*, Dom. 1. Epiph. fer. 4. l. 2. Dom. 3. Epiph. fer. Fornicatio *fugienda*, Dom. 1. Epiph. fer. 3. & fer. 4. ibidem l. 3. Dom. 4. Epiph. fer. 6. l. 1. *imò, nec nominetur in vobis*, Dom. 3. Epiph. fer. 6. l. 1. *Fornicatores regnum Dei non poſſidebunt*, Dom. 1 Epiph. fer. 4. l. 2. *Qui etiam ſingulariter iudicabuntur*, Dom. 4 Epiph. Sabb. lib. 1. *Item, molles regnum Dei non conſequentur*, Dom. 1. Epiph. fer. 4. l. 2.

Vide *Caſtitas*.

Sententiæ &c. de Luxuria.

PATRES, &c. Luxuria eſt inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem ſubſtantiam (ſcilicet corporis, & animi.) *Auguſt.*

Sævus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam quietum patitur affectum, nocte ferret, die anhelat. *Ambroſius*.

Dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. *Auguſt.*

Qui luxuriatur, vivens mortuus eſt. *Hieron.*

O ignis infernalis luxuria! cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintillæ prava colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna. *Idem Hieronymus*.

Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorū, ingluvie ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otii ſoporiſque reſolutione: trahitur æquis æque duobus, proſperitate vitæ, & rerū a bun-

abundantia: & qui his præſident duo, ignaviæ torpor, & inſida ſecuritas. *Bernardus*.

O extrema libidinis turpitudo! quæ non ſolum mentem effeminat, ſed corpus enervat, non ſolum maculat animam, ſed fœdat perſonam. *Beda*

Ovidius. Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.

Florentes, quondam luxus quot vicerat urbes.

Quippe nec ira Deum tantum, nec fela, nec hoſtes.

Quantum ſola noces animo illapſa voluptas. *Silvius*.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. *Ovidius*.

Libidinoſa, intemperanſque adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. *Cicero*.

Viros triumphales, victores gentium, luxuria vicit. *Macrobius*.

Sine Cerere, & Baccho friget Venus. *Terent*.

M.

MATRIMONIUM.

Debet uxor eſſe ſocia, non domina, nec ancilla. Ad quod deſignandum Dominus formavit Evam de coſta viri, quæ eſt in medio, non de capite, nec de pede, ut eam diligat ſicut cor ſuum, *Gen*. 2.

Matrimonio juncti debent habere unitatem. Vir enim unam ſolam debent habere, & è converſo: ideò dixit Deus, Erunt duo in carne una, *Gen*. 2.

Honeſtiſſima cauſa ducendi uxorem: Eſt illa quam expoſuit Angelus dicens: Accipies uxorem cum timore Dei, & amore filiorum magis quàm amore libidinis, ut habetur *Tob*. 6. Propter hac cauſam novi coniugati priùs deberent vacare orationi, quam operi coniugalis ſicut Tobias, qui prima nocte, ſecunda, & tertia, docuit uxorem orare antequam coniungerentur, *Tob*. 8.

Matrimonium in novo teſtamento, & veteri Deus multipliciter honoravit Nam ordinem matrimonialem in Paradiſo conſtituit, quando mulierem homini ſociavit, *Gen*. 2. Deſtruente Domino mundum per aquas diluvii, ſolos Matrimonio coniunctos ſalvavit, ſcilicet Noë, & uxorem eius, & tres filios eius cum uxoribus eorundem, *Gen*. 7. Matrimonialibus nuptiis Chriſtus cum matre, & diſcipulis voluit intereſſe, & ibi primum manifeſtum miraculum operari, ut ipſum Matrimonium honoraret, *Ioannes* 2. Cœleſte, & ſpirituale convivium, matrimonialibus nuptiis, à Domino aſſimilatur, *Lucæ* 14

Sicut corpus nihil poteſt operari abſq; anima, nec anima ſine corporis adiutorio, ſic ut res familiæ rectè gerantur, vir & uxor inter ſe concordia habere debent.

Sicut meritò ſuſpectus eſt de morbo qui multum agit cum medicis, ſic infirma judicatur fidelitas viri aut uxoris, ſi minimum affectat conſortium cum perſonis alienis.

HÆRESES de Nuptiis, vide *Tom*. 2. *pag*. 253. de Sacram. Matrimonii. *Tom*. 2. *pag*. 335. *tract*. 5.

VIDE EX BREVIARIO. Matrimonium *eſt indiſſolubile*. Virg. Epiph. n. 1. & Dom... Epiphan. fer. 5. l. 3. 5. Febr. n. 3. l. 1. *adeoque non ſolvendum*. 2. Commun. Virg. n. 3. *Divortium eſt à diabolo*. Dom. 1. Epiph. n. 3. l. 1. *Matrimonium à Chriſto ad Sacramenti dignitatem elevatum*, Dom. 2. Epiph. n. 3. l. 2. *etiam inter virgines eſſe poteſt*, 8. Decemb. n. 3. l. 2. 14. Iul. n. 3. l. 3. *magnum eſt eius debitum, ſeu obligatio*, Dom. 1. Epiph. fer. 5. Nuptiæ *Chriſtiani comparantur nuptialibus ſervis*, Com. non Pontif. n. 3. l. 3., *& Chriſtus habet ſuas nuptias*, Dom. 19. n. 3. *& virgines ipſa*, Dom. 2. Epiph. n. 3. l. 3.

Sententiæ &c. de Matrimonio.

Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum maſculum, & fœminam creavit eos. *Gen*. 1.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Matth*. 19.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicarores enim & adulteros judicabit Deus. *Hebræos* 13.

Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. 1. *Cor*. 7.

Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro. *Ibidem*.

Trade filiam & grande opus feceris, & homini ſenſato ad illam. *Eccleſ*. 7.

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſunt, ſicut Domino. *Eccleſ*. 5.

Viri diligire uxores veſtras, ſicut Dominus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradit pro ea. *Ibidem*.

Viri debent diligere uxores ſuas ut propria corpora, qui ſuam uxorem diligit ſeipſum diligit. *Eccleſ*. 5.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cau-

cauſa, fecit eam mæchari, & qui dimiſſam duxerit mæchatur, *Matth.5. Luc.16.*

Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionē. *1.Corinth.7.*

Propter hoc relinquet homo. ...Sacramentum hoc magnū eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Eccleſ.5.*

PATRES &c. Deus maſculum & fœminam propagandi generis cauſa nuptiari caſtitate coniunxit, & ſecundas nuptias (poſt mortem) quæ in unoquoque teſtamento permittuntur licitas eſſe monſtravit. *Aug.*

Nemo melius ſcire poteſt, quid ſit uxor vel mulier, illo qui eam paſſus eſt. *Hieron.*

Si tu abſtines ſine uxoris voluntate, tribues ei fornicandi licentiā, & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ. *Aug.*

Hanc maximè duc in uxorem quæ prope te habitat. 1 tibi nota.

Non bene inæquales veniunt ad aratra iuvenci.

Si qua voles apte nubere nube pari. *Ovid.*

Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege eſt. *Martialis.*

Vxorem quare locupletem ducere noli m:

Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Qui capit uxorem, capit abſque quiete laborem:

Vxorem duxi, ſed quantum poſtea luxi.

MENDACIUM.

MEndaces iniqui quærunt decipere audientes. Sic primum mendacium fuit à diabolo prolatum, ſcilicet: Nequaquam moriemini, ut hominem decipiendo traheret ad peccatū, quod, & fecit, *Gen.3.* Gabaonitæ callidè cogitantes, Ioſue mendacio voluerunt decipere, ſed ille bono uſus Conſilio pactū initum non fregit, ſed eos ut metuerant in ſervitutem redegit, *Ioſue 9.* Proditoriè Triphon mentitus eſt Simoni, quando argentū & obſides pro Ionathæ liberatione recepit, qui poſtea Ionatham & filios eius interfecit, *1.Machab.13.*

Mendaces ſunt peſſimi teſtes falſi. Sic duo falſi teſtes producti cōtra Naboth iniuſtè lapidari fecerunt, eum blaſphemaſſe Deum mendaciter aſſerentes, *3.Regum 21.* Contra Suſannam falſum teſtimoniū protulerunt duo iniqui ſenes, & falſi iudices, *Daniel 13.* Duo falſi teſtes qui locuti ſunt contra Stephanum, iniuſtè eum lapidari fecerunt, uti patet, *Act.7.*

Os illius qui mentitur occidit animam, & aliquando corpus. Sicut Ananias, & Saphira excuſantes ſe mendaciter corā Petro, diræ mortis ſententiam incurrerunt, *Act.5.* Chriſtus ſæpè exprobravit Phariſæi mendacia, ut *Ioan. 8. v. 44.* Vos ex patre diabolo eſtis: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Propter quod, inquit Apoſtolus, Deponentes mendacium, Loquimini veritatem unuſquiſque ad proximum ſuum.

Mendaces ſimiles ſunt Noctis, & tenebris, quæ ortā veritatis luce ſtatim diſparent. Item Latronibus qui libenter in tenebris ambulant. Denique ſimiles ſunt Araneis quæ magno labore retia effingunt vt muſcas capiant, ſed facillimè rumpuntur.

VIDE EX BREVIARIO. *Os quod mentitur occidit animam*, Dom 3. Aug. n.1. l.3. *ideò fugiendum*, Dom. 5. Aug. fer.2 l.3. *mendax eſt, qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſervat*, Dom. intra Aſcenſ. n.1. l 3.

Vide *Aſtutia*, *Adulatio*.

Sententiæ &c. de Mendacio.

NOn mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum, *Levit.19.*

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra, *Ephef.4.*

Verbum mendax iuſtus deteſtabitur, *Proverb.13.*

Vanitatem & verbum mendacii longè fac à me, *Proverb.30.*

Lingua fallax non amat veritatem, *Proverb.17.*

Qui quod novit loquitur, iudex iuſtitiæ eſt: qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus, *Proverb.12.*

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, Sepulchrum patens eſt guttur eorum, &c. *Pſalm.5.*

Melior eſt pauper iuſtus, quam vir mendax. *Proverb 19.*

Os autem quod mentitur, occidit animam, *Sapient.1.*

PATRES &c. Intereſt quemadmodum verbum procedat ex animo: ream linguam non facit, niſi rea mens *Auguſtinus.*

Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, ſic diabolus lapſus, genuit quaſi filium mendacium, *Auguſtinus.*

Mendacia ſi non habent quem decipiant, ipſa ſibi mentiuntur, ait *Pſalmiſtius.*

Non nunquam peius eſt, mendaciū meditari quam loqui, non loqui plerunque præcipitationis eſt, meditari verò ſtudioſa pravitatis *Gregorius.*

Qui eſt multiloquax, idem ſæpiſſimè eſt mendax. Quia, vt *Sapiens* ait, in multiloquio-

quio non deerit peccatum.

Mendax hoc lucratur, ut cum vera dixerit, ei non credatur, *Ariſtoteles.*

MORS.

MOrtis *ſententiam homo pro peccato incurrit*. Invidia enim diaboli mors introivit orbem terrarum, *Sapient*. 2. Non ſolùm ſecundùm corpus, ſed & ſecundùm animã homo moritur certo modo per peccatum. Nam dictum fuit homini à Deo: quacumque hora comederitis, id eſt mandatum tranſgreſſi fueritis, moriemini, *Geneſ*. 2.

Mors bona, & in ſtatum bono homini appetenda eſt. Tobias iuſtus deſiderabat mortem, dicens: Præcipe in pace deponi ſpiritum meum, *Tobiæ* 3. Apoſtoli ſic ſunt poſt adventũ Spiritus Sancti confirmati, ut mortem & verbera non timerent, *Act*. 5. Deſiderabat Paulus mortem cum dicebat: Non ſolùm ligari, ſed & mori, *Act*. 21. Et cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: *ad Philip*. 5. Martinus multum deſiderabat ex hac vita migrare: in Breviar. die 11. Novemb. lect. 6. S. Laurentius dolebat quod Sixtus ſe ad mortem præcederet, in Breviario. 10. Aug. lect. 4. die 3. infra eius Octavam.

Mortem deſiderant homines, cum graves ſuſtinent dolores, ut ab iis citiùs eruantur. Sic Elias ſedens ſub Iunipero, quem perſequebatur Iezabel, petit ut moreretur, 3. *Reg*. 19. Poſt contumeliam ab ancilla receptam Sara dixit, Peto Domine, ut de vinculo improperii huius eripias me, *Tob*. 3.

Chriſtianus debet pro iuſtitia mortẽ libenter ſuſtinere. Sic Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem Crucis duriſſimam, *Matth*. 27. Poſt Chriſtũ pro fide, & iuſtitia lapidatus eſt Stephanus, & mortem libenter ſubierunt Martyres innumeri, de quibus in Breviario.

Mors omnibus certa. Nam ſicut omnia flumina currunt ad mare à quo profluxerunt ita omnes homines tendunt ad mortẽ, & ad terram ex qua formati ſunt.

Hora autem mortis incertiſſima. Hinc Chriſtus adventum mortis comparat nocturno furi: Et iubet nos vigilare, quia neſcimus diem neque horam.

VIDE EX BREVIARIO. *Pro fide, & iuſtitia lapidatus eſt Stephanus, & mortem ſubierunt libenter Martyres innumeri*, videndi eorum dies. *Impiis cum morte videntur fœdus iniiſſe*, Dom 3. Adv. fer. 2. l. 3. *Mors peccatorum peſſima*, Pſal. 33. fer. 2. *Hæc à Chriſto eſt deſtructa*, Dom. 5. Epiph. fer. 3 l. 3. *Mors corporis comparatur ſomno*, 22. Novemb. n. 3. l 3. *non adeò timenda*, 27. Ian. n. 3. l. 3. *Sanctorum mors pretioſa in conſpectu Domini*, Pſalm. 116. fer. 2. Veſp *eos cœlos parturit*, 24. Iun. n. 2. l. 1. *Mors aliquando optari poteſt; præſertim quando meliùs eſt mori, quàm enormia mala videre*, Dom. 1. Sept. fer. 4. Dom. 1. Octob. Sab. l. 3. & 21. Iul. l. 1 Commun. non Pontif. n. 1. *Mors eligenda potius, quàm Deum offendere*, 11. Auguſt. n. 3. l. 1. Præparatio, *ſeria præmittenda; cum etiam ſanctis ſic terribilis*, Dom. 2. n. 3. l. 3. *& à dæmone tum maximè homines tentetur*, 11. Novembr. n. 2. l. 3. *Hinc meritò admonentur: Ante obitum operare iuſtitiam*, Dom. 5. Auguſt. fer. 5. l. *virtutis operatio eſt ad mortem diſpoſitio*, Dom. 5. Auguſt. n. 2. Morituri, *eos, quos ſua cura habuerunt, piè adhortentur ad perfectionem Chriſtianam*, 17. Ian. n. 2. l. 3. *ad charitatem mutuam*, 18. Aug. n. 2. l. 3. *ad pietatem*, ibid. *Crucis ſigno ſe muniant*, 27. Ian. n. 2. l. 3. *cælum intueantur*, 11. Nouemb. n. 2. l. 3. *inimicis maximè condonent*, Octav. Steph. n. 1.

Vide *Timor Domini*.

Sententiæ &c. de Morte.

SI morti ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum illo, *Rom*. 8.

Anima peccaverit ipſa morietur, *Ezech*. 18.

Peccatum quod conſummatũ fuerit generat mortem, *Iacob*. 1.

Dimitte mortuos ſepelire mortuos, *Matt*. 8.

Stipendium peccati mors, *Rom*. 6.

Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur, 2. *Reg* 14.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes iuſtificarentur, 1. *Cor*. 15.

Stimulus autem mortis peccatum eſt, *Ibid*.

Vigilate quia neſcitis diem neque horam, *Euang*.

Melior eſt mors quã vita amara: & requies æterna quam languor perſeverans, *Eccl*. 90.

Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, *Sap*. 4.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur, *Apocal*. 14.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes, *Prou*. 11.

Verè enim mors peccatorum peſſima:

Neſcis qua hora mors veniet: ſemper vigila, ut quod neſcis quando veniet, paratum te inveniat quum venerit, *Auguſt*.

Timor de futura morte mentem neceſſariò concutit, & quaſi clavis carnis omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigit, *Auguſt*.

Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies: ſero parantur remedia, quum mortis imminent pericula, *Idem*.

Non

Non poteſt male mori qui bene vixerit: & vix bene moritur qui male vixit, *Idem.*

Nudi omnes naſcimur, nudi morimur, nulla diſtinctio inter cadavera mortuorum, niſi fortè quia gravius fetent divitum corpora, luxuria diſtenta, *Ambr.*

Quid in rebus humanis certius eſt morte? quid incertius hora mortis invenitur, *Bernard.*

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremũ.
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora, *Horatius.*

Pervigili cura, ſemper meditare futura.
Exigua foſſa, claudentur pellis & oſſa.
Dic homo quid ſperes, qui mundo totus adhæres?
Dum tumulum cernis, cur non mortalia ſpernis?
Tali namq; domo, clauditur omnis homo.
Cum moritur dives cõcurrunt undiq; cives.
Dum moritur pauper, ſequitur vix unus, & alter, *Stan.*

Contra vim mortis, non eſt medicamen in hortis:
Serius aut citius metã properamus ad unã.
Mors ſceptra ligonibus æquat.
Tẽdimus huc omnes, hec eſt domus ultima.
Palida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres.

O.
OBEDIENTIA.

Obedire debemus Deo magis quam hominibus *qui nobis præcipiunt ſaluti contraria.* Vndè Matathias dixit nuncio Regis Antiochi, & ſi omnes obediant Regi Antiocho, ego & filii mei obediemus Deo, 1. *Machab.* 2. Vnus illorũ ſeptem fratrum qui noluerunt obedire Regi, ut carnes contra præceptum Domini comederent, dixit, Parati ſumus mori prius, quam tranſgredi Legẽ Dei, ut dicitur, 2. *Macb.* 7. Petrus & Ioannes Principibus Sacerdotum præcipientibus ne in Nomine Ieſu loquerentur, reſponderunt, Si iuſtum eſt vos potiùs audire, quam Deum, iudicate, *Act.* 4. Deinde cum arguerentur à Principibus dixerunt. Oportet obedire Deo magis quam hominibus, *Actor.* 5.

Obedire oportet Prælatis ſive ſint boni, ſive mali, dummodo bona præcipiant. Ideò dixit Chriſtus; ſuper cathedram Moyſi ſedebunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis facite, *Matth.* 23. Paulus electus in ſocium Barnabæ ambulabat confirmans omnes Eccleſias, & præcipiens obedire præceptis Apoſtolorum, *Act.* 15.

Obedire debet homo parentibus, ſi non præcipiant quæ impediant ſalutem. Ideò dicit Paulus; Obedite filii Parentibus veſtris in Domino, *ad Epheſ.* 6. *ad Coloſſ.* 3. Tobias junior dixit Patri; omnia quæ præcepiſti faciam Pater, *Tobiæ* 5. Deſcendit puer Ieſus cum Maria & Ioſeph in Nazareth, & erat ſubditus illis, *Lucæ* 2.

Obediendum eſt prompte & non procraſtinandũ. Sic obedierunt illi Apoſtoli, qui ſtatim relictis retibus ſecuti ſunt Salvatorem, *Matth.* 3. Simile etiam legitur de Matthæo, qui relictis omnibus, ſecutus eſt eũ, *Matth* 9. *Lucæ* 5. Paulus audiens vocem Ieſu, promptè rẽſpondit dicens: Domine quid me vis facere?

Obedire debet homo quantumcumq; mandetur difficile. Nam Abrahã mandatũ circũciſionis licet eſſet difficilè non diſtulit ad implere, *Gen.* 17. Grave erat Abrahæ de filii immolatione præceptum, quod tamẽ niſi Deus aliter ordinaſſet ſine mora voluit implere, *Gen.* 22. Propter hanc cauſã exemplũ obedientiæ in Salvatore noſtro proponit Apoſtolus dicens: Factus eſt obediens Patri vſq; ad mortẽ Crucis & ponit fructũ obedientiæ ſequentem, dicẽs: Propter quod & Deus exaltavit eũ; & dedit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomẽ, *ad Phil.* 2.

Obedire nolentes graviter puniuntur. Nam prima præcepti tranſgreſſio in parentibus gravibus maledictionibus eſt punita, *Gen.* 3. Quia mandatum Ioſue tranſgreſſus eſt Achior, ideò fuit à populo lapidatus, & Ioſue & populus ex illa inobedientia in bello fuerit ſuperatus, *Ioſ.* 7. Saul qui contra præceptum Samuelis Sacrificium obtulit & Agag Regi contra præceptũ Domini parcere voluit fuit à Domino reprobatus, vt habetur, 1. *Reg.* 15 & 16. Dixit Dominus Salamoni quod ſi non cuſtodiret mandata Dei, deleret de terræ ſuperficie thronũ eius, 2. *Paril.* 7. Ionas qui refugiebat Domino obedire præcipienti, vt in Ninive Verbum Dei prædicaret, in mare Domino diſponente coniectus fuit, *Ionæ* 2.

Sicut Lutũ in manu figuli, aut Lignũ in manu fabri permittit ſe ſcindi, poliri, & in omnẽ formam mutari, ſic homo obediens debet permittere à manu ſui Creatoris ſe dirigi, diſponi, & in omni fortuna ab eius voluntate gubernari. Aliam ſimilitudinem veri obedientis aſſignat S. Ignat. de Baculo in manu ſenis, qui ad omnẽ uſum ei inſeruit qui eũ manu tenet.

Sicut optimus eſt Equus qui obtemperat fræno, ita obediens, qui ſe legibus accommodat. Sicut nos volumus ut Iumenta & creaturæ nobis ſerviant & obediant, ita debemus nos Deo per omnia obtemperare.

VIDE EX BREVARIO. Eſt iter regni cæleſtis, Domin. 4. Pentec. nu. 3. ſ. 2. *ideo inculcanda*, Domin. 5. Epiphan. fer. 6. *Alia eſt erga*

Deum; & hæc præponenda omnibus hominum mandatis, 11. Aug. n. 3. Commun. Apoſt. n. 2. l. 3. *Alia filiorum erga Parentes*, Dom. infra Epiph. n. 3. l. 3. *Alia ſervorū erga Dominos*, Dom. 3. Epiphan. Sabb. Dom. 4. eiuſdem fer. 3. l. 3.

Sententiæ &c. de Obedientia.

QVid autem vocatis me Domine, Domine & non facitis quæ ego dico vobis, *Luc. 6.*

Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus & erimus obedientes, *Exod 24.*

Multo enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum victimæ, qui neſciunt quid faciunt mali, *Eccl 4.*

Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas & non potius ut obediatur Nomini Domini, *1. Reg. 15.*

En propono in conſpectu veſtro hodie, benedictionem & maledictionem: benedictionem ſi obedieritis mandatis Dei veſtri, maledictionem, ſi non audieritis, *Deut. 11.*

Mens iuſti meditabitur obedientiā, *Prov. 15.*

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite, *Matth. 23.*

Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis: illi enim rationem reddunt pro animabus veſtris, *Heb. 13.*

PATRES &c Non ſemper malum eſt, non obedire præcepto, cum Dominus iubet ea, quæ ſunt contraria Deo, tunc ei obediendum non eſt, *Aug.*

Quid iniquius, quam velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus, *Aug.*

Obedientia, non ſervili metu, ſed charitatis affectu ſervanda eſt, non timore pœnæ ſed amore iuſtitiæ, *Greg.*

Obedientia ſola virtutes eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſq; cuſtodit, *Greg.*

Si vis eſſe ſapiens, eſto obediens, ſic enim ſcriptum eſt: concupiſcis ſapientiam, ſerua mandata, & Dominus dabit illam tibi *Bern.*

Perfecta obedientia legem neſcit, *Bern.*

OPVS, & INTENTIO BONA.

O*Peratio bona vbique homini neceſſaria eſt*: Voluit Deus vt in Paradiſo homo operaretur: dicitur enim *Gen. 2.* Poſuit Dominus hominem in Paradiſo ut operaretur & cuſtodiret illum: ſic nullus ſtatus quantumuis bonus conſeruari poteſt niſi benè operando. Et iterum de homine extra Paradiſum poſito dicitur, Emiſit eum extra Paradiſum ut operaretur terram, & additur, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, *Geneſ. 2.*

Arguuntur à Chriſto qui ſtabant tota die otioſi, & dicit illis, Ite & vos in vineam meam, & pro diverſitate operis diverſa merces retribuitur, *Matth. 20.*

Servus qui accepit quinque talenta, & cum eis lucratus eſt alia quinque à Domino laudatur, ſed qui nihil operando abſcondit pecuniam Domini ſui, talentum perdit, & à Domino reprobatur, *Matth. 25.* Ex opere bono cognoſci electos indicat Chriſtus dicens, *Si filii Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite, Ioan. 8.*

Operantis intentionem plus Deus attendit quā opus. Cain obtulit de frugibus terræ numera Domino, & Abel de gregibus, optimo ſcil. affectu, & intentione, ideò reſpexit Dominus ad Abel & numera ejus, ad Cain verò non reſpexit, *Gen. 4.*

Opera & prodigia in ſpeciem ſimilia fecit Moyſes & miniſtri Pharaonis in AEgypto, ſed quia hæc non erant ſincera, nec in Dei nomine, non potuerunt Domino accepta eſſe, *Exodi 7.*

Ozias Rex Iuda volvit incenſum ſuper Altare Domini adolere, quod in ſe opus bonum eſt, ſed quia benè, & licito modo non fiebat, Rex ſubito lepra à Deo percuſſus fuit, *2. Regum c. 6.*

Opus bonum comparat Apoſtolus Sementi, cujus modica etiam grana, non modicum fructum adferunt. Et ut ad operandum animet. Qui, inquit, parcè ſeminat parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet, *2 ad Corinth.*

Vide ſupra *Intentio, Adulatio* &c.

ORATIO.

O*Rare debent Prælati pro ſuis ſubditis, ut ſuis orationibus a populo iram Dei avertant.* Sic cum poſt adorationem vituli Deus populum vellet deſtruere, Moyſes eorum prælatus pro eis ferventer oravit, & veniam meruit à Domino invenire, *Exodi 32.* Propter orationem Moyſi abſorptus eſt ignis, qui devorabat caſtra murmurantium præ labore, *Num. 11.* Pro afflicto populo ignitis ſerpentibus oravit Moyſes, & erecto ſerpente æneo à Deo remedium habuerunt, *Num 21.* Samuel dixit ad populum: Abſit à me hoc peccatum, ut ceſſem orare pro vobis: Oſtendens peccare prælatos qui pro ſuo populo non orant, *1. Reg. 12.*

Orare debent omnes homines pro peccatoribus, & inimicis. Sic devotè oravit Abraham Deum ut parceret Sodomitis, *Gen. 18.* Moyſes multoties

toties exoravit ut Deus plagam averteret ab AEgypto, & licet AEgiptii eſſent mali, fuit tamen à Domino ſæpius exauditus, *Exodi* 8. 9. & 10. Salvator noſter pro inimicis orare nos docuit, *Matth.* 5. Et ipſe pro Crucifixoribus ſuis oravit. *Lucæ* 23. Ferventiùs oravit Stephanus pro ſuis perſecutoribus quam pro ſeipſo quia pro ſe orans ſtetit pro ſuis perſecutoribus genua flexit.

Orare debet homo tribulatione ut de adverſitatibus liberetur. Sic Tobias cœcus uxoris improperiis tribulatus confugit ad orationis remedium, *Tobiæ* 3. Filii Iſrael tribulati ab Holoferne orantes ad Dominem clamaverunt, *Iud.* 4. Afflictus Mardochæus pro ſe, & populo Dominum exoravit, *Heſter* 4. Azarias & ſocii ejus in tribulatione fornaei ad orationis remedium confugerunt, *Daniel* 3. Ionas afflictus in ventre ceti oravit, & ſalvus à Domino eſt eductus. *Ion.* 2. Quando Petrus ſervabatur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo, & liberatus eſt, *Act.* 12.

Placet Deo oratio brevis & humilis. Sic oravit leproſus qui genu flexo rogavit Dominũ dicens; Domine ſi vis potes me mundare, *Matth.* 8 *Marc.* 1. Humiliter oravit Centurio pro paralytico ſervo, indignum ſe reputans præſentia Ieſu Chriſti, *Matth.* 8. Ad orandum nos humiliter inducit exemplum Publicani, qui brevibus verbis meruit remiſſionem omnium peccatorum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, ut habetur *Lucæ* 8.

Oratio debet eſſe aſſidua. Non dimiſit Daniel propter Regis decretum, quin oraret ter in die flexis genibus, ſicut antè conſueverat facere, *Daniel. cap.* 6. Ad hoc idem hortatur nos Dominus dicens, Oportet vos ſemper orare & nunquam deficere, *Lucæ* 18. Ad orationis conſtantiam etiam Dominus nos inducit exemplo viduæ, quæ judicem cũ importunitate judicare petebat; & exemplo amici qui panes inſtanter ſibi petiit commodari, *Luc.* 18.

Orant quidam & non exaudiuntur, quia nõ bene petunt, vel indigni ſunt quia accipiant bona. Sic David orantem pro populo, licet valdè devotè oraverit, Dominus non exaudivit, quia non erant tunc dignus exaudiri, 2. *Reg.* 12. Sic reprobata erat oratio Ieremiæ, quando dicebat ei Dominus, Noli orare pro populo iſto, nec ſumas pro eis laudem vel orationom, quia non exaudiam eos, *Ierem.* 11. Iacobus dicit, Petitis & non accipietis eò quod male petatis, *Iacob.* 4. Populo indigno & malo dixit Dominus, Cùm multiplicaveritis orationes veſtras non exaudiam vos, quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt, *Eſaia* 1.

Oratio imperat remiſſionem peccatorum. Sic per orationem Moyſis dicentis, Dimitte eis Domine noxam hanc, aut dele me de libro in quo me ſcripſiſti: Dominus populo ſuo peccatum dimiſit, *Exodi* 32. Propter hanc cauſam docuit nos Salvator ut peccatorum remiſſionem in oratione Dominica peteremus dicentes: Dimitte nobis debita noſtra, *Matth.* 6. *Luc.* 11. In cujus figura dimiſit Rex omne debitum ſervo qui eum rogaverat, licet poſteà ex hujus nequitia debita dimiſſa repetita fuerint. *Matth.* 18.

Oratio impetrat filios in ſterilitate. Nam Iſaac deprecatus eſt Dominum pro uxore ſterili, & filios meruit obtinere, *Geneſis.* 25. Anna ſimiliter devotè Deum oravit cum lacrymis, & filium à Domino impetravit, 1. *Regum.* 1. Heliſæus hoſpitæ ſuæ ſterili impetravit à Domino filium: quem ſimiliter ſuis orationibus reſuſcitavit. 4. *Reg.* 4.

Oratio facit Deum operari miracula. Nam per orationem Heliç clauſum eſt cœlum ne plueret, & per orationem ejus ad pluviam eſt apertum, 3. *Regum* 17. Martha & Maria Dominum orarunt & impetrarunt Lazarum ſuſcitari, *Ioan.* 11. Decem leproſi orantes ad Dominum, meruerunt recipere ſanitatem, ut habetur, *Lucæ* 17.

Similis eſt oratio ſcalæ Iacob per quam homines animo & converſatione à terrenis ad cæleſtia aſcendunt. Eſt enim oratio aſcenſio mentis in Deum.

Oratio eſt inſtar Thuris ſuaviſſimi, cujus odor in cœlum aſcendit & Deum oblectat, ſicut ait Pſal. Aſcendat deprecatio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Sicut corpus vivit per animam, ſic anima vivit per orationem. Oratio eſt ſicut Armatura qua Chriſtianus ſe contra mundi, carnis, & dæmonis aſſultus defendere debet.

VIDE EX BREVIARIO. Oratio *non conſiſtit in ſolis verbis*, Dom. 3. Sept. fer. 4. l. 3. Domin. 1. Pentec. fer. 3 *Magiſter ejus Chriſtus*, fer. ante Aſcenſ. l. 1. fer. 6. Pent. 24. Aug. n. 3. l. 2. *negotiis noſtris præmittenda*. Matt. n. 2. l. 2. 24. Aug. n. 3. l. 2 *Bona eſt cum jejunio & eleemoſyna*, Dom. Sept. 3. fer. 5. l. 2. & *gratiarum actione* Dom. Epiph. fer. 2. l. 2. & fer. 4. l. 3 ibidem, *qui petit alienum a ſalute, nihil impetrat*. 2. Commun. plur. Mart Paſcali n. 3. l 3. Vera oratio *Publicanos juſtificat*. Dom. 10 n. 3. *dæmones pellit*, Dom. 3 Sept. fer. 4. *Montes transfert*, 17. Nou. n. 2. Locus *orationis principaliter eſt Templum*, Pſ. 5. fer. 2. ad laud. Pſ. 25. fer. 4 ad prim. *in quo etiam efficacior promiſſo facta eſt*. Com

mun-

mun.Dedic. n.l.3. *Pro invicem orare Deo gratum eſt*. fer.6. Pentec l.2. 14. Sept.n.1.l.3 Dom.2. Pentec. fer.4. l.2. Dom.2. Septemb. Sabb. *pro inimicis orandum*. 2.Maii n.2.l.3. Octav Steph. n.1.l.3 *Vivi benefaciunt, orando pro mortuis*, 4. Maii l.2.

Sententiæ ſelectæ de Oratione.

AMen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis &c. *Ioannis 16.*

Petite & accipietis ut gaudium veſtrum ſit plenum. *Ioannis 16.*

Humilium & manſuetorum ſemper placuit deprecario. *Iudith 9.*

Cum oraveris intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem in abſcondito &c. *Matth.6.*

Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam vobis, *Ioan.14.*

Qui diligit Deum, orabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur, *Ecclef.3.*

Vigilate & orate ne intretis in tentationem, *Matth.26.*

Qui obturat aurem ſuam ad vocem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur, *Proverb. 21*

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis & fiet vobis. *Ioann.15.*

Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus a Deo, *1.Ioan.3.*

Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Deum & curabit te, *Eccleſ.38.*

PATRES, &c. Multi langueſcunt in orando, & in novitate converſionis ſuæ ferventes orant: poſtea languidè, poſtea frigidè, poſtea negligenter, quaſi ſecuri ſint; vigilat hoſtis, dormis tu, *Auguſt.*

Oratio tua locutio eſt ad Deum, quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris. *Idem Aug. in Pſal.85.*

Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur, Quid enim infirmo ſit utilius, magis novit medicus quam ægrotus, *Auguſt.*

Oratio oranti eſt ſubſidium, Deo ſacrificium, dæmonibus autem eſt flagellum. *Idem.*

Hæ ſunt duæ alæ orationis, quibus volat ad Deum, ſi ignoſcis delinquenti, & donas egenti, *Idem.*

Quum orans, clama non voce ſed mente. Moyſes ad bella non vadit, ſed orat, & tum vincit Iſrael. *Hieron.*

Quando fidelis & humilis, & fervens oratio fuerit, cælum ſine dubio penetrabit. *Bernardus.*

Oratio ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitiis, ſublevat ad cœleſtia, *Caſſiod.*

Dum cor non orat, nihil eſt quod lingua laborat. *Stan.*

P.

PATIENTIA.

HOmo patienter ferre debet iniurias. Ioſeph patienter tulit iniuriam quam ei fratres proprii intulerunt, eiſque poſteà illatam iniuriam clementer indulſit, ut dicitur, *Geneſis 37.* Citò oravit Moyſes pro Maria ſorore ſua quæ eum offenderat murmurando, *Num.12.* David perſecutionem ſuſtinuit, quam ei proprius filius inferebat, *2.Reg.15.* Tobias patienter tulit conſanguineorum impropetia pariter & uxoris, ut habetur *Tobiæ 2.*

Patienter debet homo ferre tribulationes, & pœnas à Deo, vel Dei cauſa inflictas. Sic Tobias excœcatus patienter ſuſtinuit cæcitatem, *Tob.2.* Iob fuit patiens perdendo ſua, & filios, & quaſi ſe ipſum per gravem infirmitatem, *Iob. 1.* & ſequentibus. Eleazarus duros ſuſtinit patienter pro legum obſervantia cruciatus, *2.Machab.6.* Septem fratres cum pia eorum matre in ſuis tormentis, mirabilem patientiam habuerunt, *2. Machab.*

Homo debet patienter offenſas dimittere ex corde, non ſolum ſemel ſed pluries. Nam Petro quærenti quoties dimitteret proximo, non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. *Matth.18.* Ad patienter portandū iniurias inducit nos Chriſtus exemplo ſervi nequam, cui dimiſſa fuerant decem millia talenta, ut patet *Matth. 18.* Exēplum etiam patientiæ habemus in Chriſto tempore paſſionis, quia patientiam conſervabit in verbis detractoriis, & contumeliis, in factis & illuſionibus, & verberibus crucifixione, blaſphemiis, & morte. *Matth.26. Marc.14.*

VIDE EX BREVIARIO. *Eſt omnium virtutum tutela.* Dom.5. Paſch.n.2. *nobis neceſſaria,* Comm.un.Mart. n. 2 *per eam perdita recuperantur*, Dom 2.Sept. Sabb. Dom.3 ibidem fer.5. *eſt melior, quàm arrogantia*, Dom.2. Aug Sabb. l.2. *debet eſſe conſtans*, Dom.5.Paſch.n.1.

Vide *Tentatio, Tribulatio, Perſeverantia.*

Sententiæ &c. de Patientia.

IMpatiens operabitur ſtultitiam. *Prov.* 14.
Patientia lenietur Princeps. *Prov.* 25.

Longaminus forti præſtat,& qui animo ſuo imperat ei qui expugnat urbes. 16.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras *Lucæ* 21.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. 1. *Corinth.* 13.

Qui patiens eſt multa gubernatur ſapientia qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam, *Prov.* 14.

Qui timent Dominum cuſtodient mandata illius,& patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius. *Eccleſ.* 2.

PATRES &c. Paratus debet homo eſſe iuſtus, & pius, patienter eorum malitiam ſuſtinere,quos fieri bonos quærit. *Auguſt.*

Tu bonas tolera malos:nam & Chriſtus Iudam, cum ſciret furem eſſe,toleravit. *Idem.*

Tanto quiſque minus oſtenditur doctus, quanto minus convincitur patiens. *Gregor.*

Non eſt perfectè bonus, niſi qui fuerit, & cum malis bonus. *Idem.*

Nos ſine flamma & ferro Martyres eſſe poſſumus,ſi patientiam in animo veraciter cuſtodimus. *Idem.*

In propriis iniuriis patientem eſſe,laudabile eſt, iniurias autem Dei diſſimulare, impium eſt. *Chryſoſtomus.*

Si vindicare vis, ſile, & funeſtam ei dediſti plagam. *Chryſoſtomus.*

Sunt quidam mites, ſed quam diu nihil dicitur, vel agitur,niſi per eorum arbitrio:patebit autem quam longè ſint à vera manſuetudine, ſi levis oriatur occaſio. *Bernardus.*

Dulcia non meruit,qui non guſtavit amata. *Poeta.*

O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem. *Virgilius.*

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim.

Sæpè tulit laſſis ſuccus amarus opem. *Ovid.*

Læſa ſæpius patientia,fit furor, *Valerius.*

Libenter feras quod neceſſe eſt, dolor patientia vincetur. *Seneca.*

Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. *Seneca.*

Summa eſt ſtultitia ſummo confici mœrore. *Cicero.*

PAX.

DEus pacem diligit. Patet ex his,quia in eius Nativitate Angeli pacem annunciaverunt, *Lucæ* 2. Pacem præcepit diſcipulis inter ſe habere, *Ioan.* 14. Pacem commiſit Apoſtolis prædicare, *Lucæ* 10 *Matth.* 10. Pacem in teſtamento relinquit, *Ioan.* 14. Et poſt reſurrectionem ſuam pacem diſcipulis ſuis nunciavit, ut habetur *Lucæ* 24. *Ioan.* 20.

Aliquando pacem perturbat invidia Nam fratres Ioſeph invidentes ei, non poterant ei quidam pacificè loqui. Ambitio etiam pacem perturbat, & diſcordias ſuſcitat inter propinquos, ut patet in Davide, & Abſalone ejus filio, 2. *Reg.* 15.

E contra, *Pacis colenda amor*, patet in Davide erga Saulem ſe ubique hoſtiliter perſequentem, quem cum in ſpelunca concluſum occidere potuiſſet,noluit eum attingere, ſed maluit potius amicum præbere,& fateri ſe eſſe unum pulicem, indignum quem Saul perſequeretur, & ſic lenitate magis quam ullis armis Saulis iram, & invidiam ſuperavit, cumque adegit ut Davidé in gratiam reciperet, & illum ſe meliorem ac juſtiorem eſſe fateretur, 1. *Regum. cap.* 24. & 26.

Voluit expreſſè Deus Templum ſibi à Salomone ædificari,ex eo quod eſſet Rex pacificus & à bellis abſtineret, 1. *Paralip. c.* 22. Sic & nos Templum Dei eſſe non poſſumus, niſi in animo,cum aliis pacem conſervemus.

Pax *falſa & ficta*, apparet in Antiocho,qui cum Arcem cum nomine Silon expugnare non potuiſſet, cum obſeſſis pacem ſimulavit, & juravit ſe eam ſervaturum,ſed intra mœnia receptus Arcem, & omnia funditus evertit, 1. *Machab.* 6.

Alcimus Sacerdos cum à Iudæis ad Demetrium Aſiæ Regem deſceiſſet, ſimulas tamen amicum eſſe ſuis fratribus & Iudæis,pacem illis juravit, & nihil ſe mali illaturum, ſed poſtea ex illis ſexaginta viros uno die crudeliter necavit, 1 *Machab.* 7.

Triphon ſimulata pace cum Ionatha, eum in urbem honorificè introduxit, ſed mox clauſis portis Ionatham comprehendit,& omnes qui cum eo venerant occidi juſſit, 1. *Machab. c.* 13.

Sicut mundus non poteſt ſubſiſtere niſi inter Elementa terram, aquam, aërem, & ignem, ſit pax & concordia:Sic omnis Reſpublica, & Familia perturbatur & diſſolvitur, niſi pax ſit inter cives, & domeſticos.

Sicut diſſonantia chordarum turbat muſicam, ita diſcordia cordium & amorum perturbat familiam.

Pax eſt vinculum animorum, quam ſi ſuſtuleris perit ſocietas humana, & ſuccedit confuſio, ſicut factum eſt per confuſionem linguarum in ædificanda turri Babylonica.

VIDE EX BREVIABIO. *Cum Deo habenda*. Octav. Innoc. n. 1. l. 1. *Pax reddetur, ſi ceſſaverit prævaricatio, & peccatum*. Domin. 3. Novemb. Sabb. *Pro pace merito laudandus Deus*. Dom. 2. Advent. Sabb *pro victoria*, ibidem & Dom. 5. Aug. fer. 4. l. 3. Cantic. fer. 5. *eſt à Deo*, 30. Iun. n. 2. l. 3. *quamvis etiam impiis detur*, Dom. 1. Novemb. n. 1.

Sententiæ ſelectæ de Pace.

IPſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum, ſcil Chriſtus. *Epheſ.* 2.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Lucæ* 2.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, &c. *Ioann.* 14.

Non eſt pax impiis dicit Dominus, *Eſaiæ* 48.

Pax multa diligentibus legem tuam Domine. *Pſal.* 118

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus *Pſal.* 119.

Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.* 12.

Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. 1. *Cor.* 14.

Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. *Act.* 4.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* 5.

PATRES, &c. Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. *Aug.*

Si Dei vocantur filii qui pacem faciunt, procul dubio ſatanæ ſunt filii, qui pacem confundunt. *Auguſt.*

Melius eſt ut pereat unus, quam unitas. *Bernardus*.

Lingua quandoque pacem prædicat, ſed ſæpius turbat, *Hug. vict.*

Pax optima rerum.

Quas homine noviſſe datus eſt. *Silius*.

Pax plenum virtutis opus pax ſumma laborum.

Pax belli exacti pretium eſt *Mantuanus*.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes *Virg.*

Si cupias pacem, linguam compeſce loquacem. *Stan.*

Omne quod eſt, tam diu manet, atque perſiſtit, quamdiu eſt unum, ſed interit atque diſſolvitur pariter atque unum eſſe deſierit, *Boetius*.

Quietiſſimam homines agerent vitam in terra, ſi hæc duo verba à nativitate omnium tollerent, *meum*, & *tuum Seneca*.

PECCATVM.

PEccatum nocet homini, quia multoties pœna corporali punitur. Vt patet in Adamo, & Eva expulſis de Paradiſo cum aliis pœnis. Sodomitæ etiam pœna ignis, & ſulphuris ſunt puniti. *Geneſ.* 19 Vxor etiam Loth, quæ peccavit contra præceptum Domini ſe vertendo retrò, & in ſtatuam ſalis eſt converſa, *Geneſ.* 19. Pharao etiam propter peccatum cognovit ſe flagellari dicens, peccavi in Deum verum. *Exodi* 10. Quia filii Iſrael multoties Deum oſtenderunt, ab eo ſæpius flagellati ſunt *Num. Iud. Ioſue, Regum, Iudith*, & per totum quaſi vetus teſtamentum &c.

Peccatum à Deo clamat vindictam Sicut illud de quo dixit Dominus ad Cain: Vox ſanguinis fratris clamat ad me de terra *Geneſ.* 18 Clamor peccatorum veſtrorum in aures Dei Sabaoth introivit. *Iacobi* 5.

Scriptura comparat peccatum cum Igne ardente, qui hominem abſumit. Cum Serpente venenato, *Eccleſ.* 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum*. Et cum Gladio ancipiti: *Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas plaga illius non eſt ſanitas* Ibid.

S. Cyprian. Serm. de lapſis. Peccata ſunt lapſis, quod Grando frugibus, quod turbidum Sydus arboribus quod armétis peſtilens vaſtitas quod navigiis ſæva tempeſtas.

Peccator, quia tranſgreditur decem Dei præcepta, decem plagis AEgypti punitur. Prima plaga eſt Sanguis, quia peccator meretur mortem, 2. eſt Rana, quia volvitur in ſordibus peccatum, 3. eſt Cimficies, propter aculeum conſcientiæ, 4. eſt Muſca, quæ ad candelam alas ſua ſtultè comburit, ita peccator igne infernali, 5. Peſtis animalium, quia habet animam peſte peccati infectam, 6. Veſica turgens, per peccatum luxuriæ, aut ſuperbiæ, 7. Grando ſignificat morbos, & pœnas cælitus immiſſas, 8. Locuſta omnia devorans, opera peccatoris infructuoſa, & ſine merito, 9 Tenebræ denſiſſimæ, ſunt cæcitas peccatoris à via ſalutis aberrantis, 10. Mors primogenitorum, indicat mortem animæ propriæ & maledictionem poſteritatis juxta pſalmiſtam; *Semen impiorum peribit*. Et ſicut AEgyptii

ptii cum Pharaone poſt has plagas fuerunt ſubmerſi in mari rubro, ita peccator in mari igneo inferni, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.

VIDE EX BREVIARIO. Peccatum *mortale animam occidit*, Dom.4. Quadr. ſerm. 5. Dom. 15. Pentec. *cælo excludit*. Dom. infra Aſcen. num.2. *venialis & mortalis differentia*, Dom.3. Quadrag. fer.3. l.3. & fer.3. infra Oct. Corp. Chriſti n.3. l.3. Domin.5. Pentecoſt. n 3. Scandalum *eſt magnum malum*, 8 Maii n.3. 29. Sept n.3. *cauſa alterius peccati*, Dom.8. Pent. num.2.

Vide ſingula peccata in particulari *Superbia, Auaritia, Luxuria, &c.*

Sententiæ &c. de Peccato.

SEnſus & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcentia. *Geneſ.* 8.

Non eſt ei bene, qui aſſiduus eſt in malis. *Eccleſ* 12.

Et qui in uno peccaverit, multa bona perdet. *Eccleſ.* 9.

Non eſt enim homo qui non peccet, 3. *Regum* 2.

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt 1. *Ioan.* 1.

Per quæ quis peccat, per hæc & punietur *Sapient.* 11.

PATRES &c Nullus ſanctus & iuſtus caret peccato, nec tamen ex hoc deſinit eſſe iuſtus ſanctus, vel cum affectu teneat ſanctitatem. *Auguſt.*

Qui pectus ſuum tundit, & ſe non corrigit peccata ſolidat, non tollit. *Auguſt.*

Non regnet peccatũ in veſtro mortali corpore; non dicit non ſit, ſed non regnet: ineſt peccatum quum delectaris, regnat cum conſenſeris. *Auguſt.*

Nolite contemnere venialia, quia minima ſunt, ſed timete, quia plura ſunt, plerumque enim beſtiæ minutæ multæ necant. *Auguſt.*

Timenda eſt ergo ruina multitudinis, etſi non magnitudinis, *Idem.*

Maior eſt culpa, manifeſtè quam occultè peccare, dupliciter enim reus eſt qui apertè delinquit, quia & agit, & docet *Iſidorus.*

Nihil peccant oculi, ſi non oculis animus imperet. *Seneca Phil.*

Si male feciſti, mox reſpice vulnera Chriſti.

Per miſerere mei, tollitur ira Dei. *Stan.*

POENITENTIA.

POEnitentia *non debet differri uſq; ad ſenectutem, vel mortem.* Hoc eſt etiam Conſilium Sapientis, *Ne tardes venire ad Dominum, & non differas de die in diem.* Ad hoc facit Parabola de ſervis vigilantibus, & exſpectantibus Dominum ſuum, quia diem & horam mortis penitus ignoramus: Nam ſecundum Gregorium, nihil certiùs morte, nihil incertiùs hora mortis.

Pœnitentia debet eſſe cũ dolore cordis. Sic peccatrix mulier pœnitens lachrymis pedes Domini lavit, *Lucæ* 7. Fortè quia Dominus vidit magnam contritionem mulieris in adulterio deprehenſæ, levem ei pœnitentiam dedit, dicens: Vade, amplius noli peccare, *Ioanne* 8. Petrus poſtquam negando Dominum peccavit, foras exiens, fleuit amarè, *Matth.* 26.

Pœnitentia poſt contritionẽ requirit peccatorũ confeſſionem. Dominus tranſtulit peccatum à Davide, quia ad reprehenſionem Nathan ſe humiliter accuſavit, dicens ſe peccatum cõmiſiſſe, 2 *Reg.* 12. In cuius figura Dominus decẽ leproſis pœnitentibus dixit, ite & oſtendite vos Sacerdotibus, & ſequitur, dum autem irent mundati ſunt, *Lucæ* 7.

Vide *Confeſſionem.*

Pœnitentia poſt Confeſſionem requirit integram ſatisfactionem. Hæc maxime conſiſtit in aſperitate ieiuniorũ, devotione orationis, & largitione eleemoſynarum. Viri Ninivitæ fecerunt pœnitentiam induti ſacco, & ieiunaverunt, & Deus indulſit, *Ionæ.* 3. Machabæus & qui cum eo erant deprecabantur Dominum, capita cinere aſpergentes, & lumbos accincti ciliciis, ad crepidinem templi provoluti, 1. *Machab.* 3.

Libenter Deus recipit peccatores ad pœnitentiã. Sic Chriſtus Magdalenam recepit, & multũ commendavit, ut habetur *Lucæ* 7. Ad hoc facit exemplũ de filio prodigo, qui benignè fuit receptus à patre, *Lucæ* 15. Deus de ſe teſtatur, Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat: Et Chriſtus ait, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

VIDE EX BREVIARIO. Pœnitentia *eſt via ad cælum*, die 4. Epiph. n. 3. & die 6. ibid *non eſt differenda*, Dom. 5. Aug. n. 2. Converſio, *ad converſionem peccatoris tria miracula concurrunt*, Dom.3. n.3. l.1.

Sententiæ ſelectæ de Pænitentia.

POEnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3.

Dico vobis quod ita erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente quã ſuper nonagintanovem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. *Lucæ* 15.

Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. *Act.* 3.

Fili peccaſti, non adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur. *Eccleſ.* 21.

Niſi converſi fueritis gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum. *Pſal.* 4.

Ne differas de die in diem, nam ſubito venit ira illius. *Eccleſ.* 5.

Septies de die cadet iuſtus, & reſurget, impii autem corruent in malum. *Proverb.* 24.

PATRES &c. In tribunal mentis aſcende contra te, & reum te conſtitue ante te. *Auguſtinus.*

Pœnitentia ſera raro vera. *Idem.*

Sunt multi quos peccare non pudet, ſed pudet pœnitere. ô incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcis, & de ligatura vulneris erubeſcis. *Idem.*

Peccauit David; quod ſolent Reges, ſed pœnitentiam egit, flevit, ingemuit, quod non ſolent Reges. *Ambroſius.*

Apud Deum non tamen valet menſura temporis, quam doloris *Idem.*

Fit plerumque gravior Deo, amore ardens vita poſt culpam, quam in ſecuritate torpens innocentia *Idem.*

Quis in ſeculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? Illi tamen pœnitentiam meruerunt aſſequi. *Petrus Chryſologus.*

O pœnitentia! quid de te noui referam, omnia ligata tu ſolvis, omnia clauſa tu reſeras, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas. *Cyprianus.*

Vtile propoſitum eſt ſævas extinguere flammas.

Nec ſervum vitiis pectus habere ſuum. *Ovid.*

Principiis obſta, ſero medicina paratur.

Cum mala per longas invalvere moras. *Idem.*

Adagium. Sero ſapiunt Phryges. *Cicero.*

PERSEVERANTIA.

H*Omo non debet deſiſtere à bono iam incepto.* Alias accidit exemplum de homine deridendo, qui cœpit ædificare, & non potuit conſumare. *Lucæ* 14. Tobias remanſit in timore Domini, lic et plaga cœcitatis ei obvenisset. *Tobiæ* 2.

Perſeverandum eſt in toleratione tormentorum pro Nomine Chriſti, & defenſione Fidei. Exemplo Eleazari qui omnia tormenta perſeveranter ſuſtinuit, ne faceret contra legem, 2. *Machab.* 6. Stephanus firmiter perſeveravit, duros ictus lapidum alacriter ſuſtinendo, donec Chriſto moriens Spiritum commendaret, *Act.* 7.

Perſeverandum eſt in malorum operum deteſtatione. Quia reſpiciendum non eſt retro poſt egreſſum de ſocietatem malorum, ne accidat homini ſicut uxori Loth poſt egreſſum de Sodomis, quæ retrò aſpiciens in ſtatuam ſalis eſt converſa, *Geneſ.* 19. Socii Danielis multum conſtantes & perſeverantes fuerunt, ne ſtatuã quam erexerat Nabuchodonoſor adorarent, *Daniel* 3.

Laurentius Iuſtinanus *lib. de ligno vitæ c.* 10. comparat Perſeverantiam cum viatore, qui non ſolet ab incepto itinere deſiſtere donec ad deſtinatum terminum perueniat. Cum bellatore, qui non diſcedit de loco certaminis niſi obtenta victoria. Cum architecto, cui non ſufficiet poſuiſſe fundamentum ædificii, niſi ad culmen perducat. Cum agricola, qui fruſtra ſeminat, ſi nolit meſſem exſpectare.

Quid prodeſt Navarcho quod totum pelagum fœliciter emenſus ſit, ſi tandem ſua incuria patiatur in portu naufragium? Quid iuvat medicum per multa pharmaca ægri ſalutem promoviſſe, ſi poſtea manum ſubtrahat, eumque interire permittat. Rhetor non in orationis exordio, ſed in peroratione plauſum accipere ſolet. Ita in ſtudio ſalutis aut virtutis parum eſt inchoare, niſi per perſeverantiam ad optatum exitum perveniatur, ita fere S. Chryſoſt. Hom. 24 ad Hebræos.

Vide *Patientia.*

VIDE EX BREVIARIO. Perſeverantia *petita impetrat*, Dom. 1. Quadrag. 22. Iulii, n. 2. 17. Aug. n. 2.

Sententiæ &c. de Perſeverantia.

ESto firmus in via Domini, *Iob* 17.

Nemo mittens manum ad aratrum, & re-

reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei, *Luc.9.*

Quis enim ex vobis volens turrim ædificare: nonne prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarii ſunt ad perficiendum? *Luca 4.*

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, *Matth.10.*

In diſciplina perſeverate *Heb.12.*

Sic currite ut comprehendatis, *1. Cor. 9.*

PATRES &c. Non requiruntur in Chriſtiano initia ſed finis, *Hieronymus.*

Vos fratres exhortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum in Domino cuſtodiatis, & uſque ad finem vitæ perſeveretis, *Auguſt.*

Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur: quia & fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas venerit, deficit, *Gregorius.*

Bonam vitam ego puto, mala pati, & bona facere, & ſi perſeverare uſque ad mortem, *Bernardus.*

Perfer & obdura dolor hic tibi proderit olim, *Ovid.*

Reſiſte: magnis in malis vinci malum eſt. *Seneca.*

Principium nihil eſt, ſi non vis tangere metam,
Præmia dat finis, principiumque nihil.

S.

SABBATHI OBSERVATIO.

Sabbathum interpretatur requies. Quia in Sabbathis ſeu feſtis debet homo quieſcere ab omni opere ſervili, & feſta celebrare: quia requievit Dominus die ſeptimo ab omni opere ſuo quod patraverat, *Gen. 1.* Ob hanc cauſam filii Iſrael colligebant manna pro die feſto in duplici menſura, ut Sabbatho feriarentur. Mulieres ſanctæ paraverunt aromata ad ungendum Chriſtum, ſed Sabbatho ſiluerunt, *Marc. 19.* In huius figura requievit Dominus die Sabbatha in ſepulchro, *Luca.23.*

Benedixit Dominus diei ſeptimo quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, *Geneſ.2.*

Sabbathū non cuſtodientes debent corripi & puniri. Nam colligens ligna in Sabbatho iuſſu Domini fuit lapidatus, *Num. 15.* Arguit Neemias calcantes torcularia, & portantes onera in die Sabbathi, *Neem. 11.* Vide Catecheſ. de præcepto. 2. Decal. & præcept. Eccleſiæ.

VIDE EX BREVIARIO. Sabbathi obſeruatio. *Magna illius olim reverentia fuit*, Dom. 1. Oct. n. 1. & Dom. Oct. n. 2. *non violatur per opera miſericordia*, Dom. 3. Quadr. fer. 5. lect. 2. & Sabb. infra Pentec. Dominicus dies *etiam permittit laxare animum*, die 3. Dec n 3.l.2.

SAPIENTIA. PRVDENTIA.

Sapientia & prudentia in rebus agendis eſt optima gubernatrix vitæ humanæ. Exemplum eſt in *Rebecca* muliere prudentiſſima, quæ direxit filium ſuum Iacob quomodo poſſit parenti ſuo placere, & illius benedictionem obtinere præ ſuo fratre primogenito Eſau; & poſtea prudenter illum recedere fecit à conſpectu fratris ſui Eſau, donec eius ira cum tempore deſineret; *Gen. cap. 37.* Et ipſe Iacob poſtea prudenter egit demulcendo fratrem ſuum & mittendo ei munera, potius quam litigando, & eius iram in ſe provocando, *Ibidem.*

Summa fuit ſapientia Ioſephi in domo Pharaonis, ſomnia Regis ſapienter exponendo, & famem prædicendo, & omnia recte ordinando, & fratres qui ipſum vendiderunt pacificè & amicè excipiendo, *Gen. cap.41.*

De Davide in ipſius laudem dicitur, *1. Reg. c. 18.* quod in omnibus prudenter ſe agebat: etiam tunc quando apud Regē Achis ſe quaſi fatuum ſimulabat, ut ſic illæſus ab eo dimitteretur, *1. Reg.21.* Sapientis enim eſt in loco & tempore ſuo deſipere.

Abigael ſapienter admodum Davidem à marito ſuo Nabal graviter offenſum placavit, munera præmittendo & ſe illi humiliter ſubjiciendo, *1 Reg.c.5.*

Salamon litem inter duas mulieres, de infante utrius eſset, ſumma ſapientia diremit, quaſi volens infantem inter utramque diuidere, & ſic veram illius matrem exploravit, *3. Reg c.3.*

Rex Ezechias intelligens Regem Aſsyriorum venire ad Hieroſolymam obſidendam, ſapienter præcepit capita fontium extra ciuitatem obturari, ne exercitus hoſtilis aquam haberet, *Paralip. c.32.* Sic oportet fontes & occaſiones vitiorum impedire, & amputare.

Prudentia Reginæ Eſtheris & Mardochæi in liberando populo ſuo ab exilio quod Aman illis paraverat, pulchrè deſcribitur *in libro Eſther.c.5.6.7.*

Daniel adoleſcens ſapienter duos ſenes ex ipſorum ore convincit,& Suſannam innocentem à morte liberavit, *Dan.c.*13. Idem ſapientiſſimè Nabuchodonoſoris ſomnium expoſuit,& ab eo honorati meruit, *Dan.c.*2. Chriſtus iubet Apoſtolos,& fideles eſſe prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbas, *Matth.c.*10. Vnde patet prudentiam non in verſutia, & fraude, ſed in ſimplici veritate,& virtute poſitam eſſe.

Virgines pingue in Euangelio, *Matth.cap.*25. dicuntur à Chriſto prudentes, quia curarunt in lampadibus ſuis oleum habere, id eſt, bona opera, fidem, charitatem &c.

Similitudo eſt primò inter Sapientes & bonos Medicos, ſicut enim Medici ſanant morbos corporis. Sic Sapientes curant infirmitates,& paſſiones animorum.

Sapientia eſt inſtar Odoramenti fragrantiſſimi, quia non tantum Sapientem, ſed etiam alios vicinos,& qui cum illo agunt Sapientia, & doctrina ſua oblectat & meliores facit. Hinc Regina Saba aliique concurrebant, ut audirent Sapientiam Salomonis.

Socrates apud Stobæum *ſermon.de virtute* comparat Os ſapientis, Ianuæ templi, qua aperta, & altaria, & Sanctorum imagines, & pulcherrima virtutum ſimulacra conſpiciuntur.

Sicut Navarchus novit ſe ventorum mutationibus variis accomodare, & ita ad portũ pervenire; ſic etiam Sapiens per proſpera & adverſa tendit ad Deum, ut finem ultimum, & portum ſalutis æternæ.

Sapientia eſt inſtar Salis, quia per eam condiuntur mores hominum ne ſint inſulſi & à corruptione vitiorum conſerventur.

Sapientis Mores in multis moribus Divinis aſſimilatur: Deus maximè omnium intelligit, & minimè omnium loquitur, ita Sapiens. Deum per peccata hominum maximas iniurias patitur, & minimè turbatur, ita Sapiens. Deus præſens eſt inter omnes totius orbis mutationes,& ipſe nunquam mutatur, ita Sapiens. Deus extra ſeipſum beatitudinem & ſolatium non quærit; ita Sapientis proprium eſt ab animo ſuo rectè diſpoſito omnem ſuam lætitiam & felicitatem habere, & ſolatia à creaturis non emendicare. Hæc ſunt prima veræ ſapientiæ ac felicitatis principia.

Principium aliud maximæ ſapientiæ cum aliis tradit ipſe Cicero lib 5. Tuſculan. Moderari & ſiſtere cupiditates. Sicut(inquit)Stultitia, etſi adepta eſt quod concupivit, nunquam tamen ſe conſecutam putat, ad alia, & alia inhians? ſic Sapientia ſemper eo contenta eſt quod adeſt, & ita nunquam illam ſui pænitet.

Sententiæ de Sapientia, & Prudentia.

Fons ſapientiæ Verbum Dei, *Eccl.*1.
Trahitur ſapientia de occultis, *Iob* 28.
In malevolam animam non introibit ſapientia, *Sapient.*1.
Initium ſapientiæ timor Domini, *Pſ.*110
Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt, *Prov.*1.
Sapiens timet & declinat à malo. *Prov* 14.
Neminem diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat, eſt enim hæc ſpecioſior ſole, *Sapient.*7.
Sapiens non odit mandata & iuſtitias, *Eccleſ.*33.
Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens, *Cor.*3.
Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, *Rom.*1.
Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, 1.*Cor.*3.
PATRES &c. Sapientia vera eſt noſcere ſeipſum.
Ad veram ſapientiam pervenire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiducia deſipiunt, *Gregor.*
Sapientia illa clara eſt, non quæ in verbis volat, ſed quæ virtutibus conſtat, *Greg.*
Diſcat qui neſcit, nam ſic ſapientia creſcit, *Stan.*
Odi ſapientem, qui non eſt ſibi ipſi ſapiens, *Menander.*
Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia, *Plautus.*
Iſtuc eſt ſapere, qui vbicumque opus ſit, animum poſſit flectere, *Terentius.*
Conſilia omnia verbis prius experiri, quam armis, ſapientem decet, *Terentius.*
Nihil ſapienti neceſſe eſt, *Seneca.*
Sapientia eſt ſanitas animi, *Cicer.*
Nihil eſt turpius, quam ſapientis vitam, ex inſipientium ſermone pendere, *Cicer.*

PRVDENTIA.

Estote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.
Vbi non eſt gubernator, populus corruet, ſalus autem ubi multa conſilia, *Prov.*11.

Melior

Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens quam fortis, *Sapien.6.*

Filii huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſunt, *Luc.16.*

Verba prudentum ſtatera ponderabuntur, in fatuorum cor illorum, *Eccleſ.21.*

Stultus ſi tacuerit ſapiens reputabitur, *Prov.*

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, quia prudentia abſque bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur, *Hieronymus.*

Ex lingua ſtulta veniunt incommoda multa, *Stan.*

Fac mala, dic multum, ſi vis te reddere ſtultum, *Idem.*

Qui non os claudit, quod non vult ſæpius audit, *Idem.*

Prudentiæ eſt futuram iniuriam præcavere. *Democritus.*

Prudentes poſſumus dicere providentes. *Cicero.*

Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, præterita cogita, præſentia ordina, futura prævide. *Seneca.*

Non poteſt eſſe iucunda vita à qua abſit prudentia. *Cicero.*

Adag. Annoſa vulpes haud capitur laqueo. Eum auſculta, quia quatuor ſunt aures, id eſt, qui multum audit antequam loquitur.

SPES, FIDUCIA.

Sperare debet homo bonum repromiſſum, licet differatur. Multis annis exſpectavit Abraham filium, quia Centenarius erat quando natus eſt ei Iſaac, *Geneſ.21.* A promiſſione facta Abrahæ uſque ad ingreſſum ſeminis ſui in terram promiſſionis fluxerunt anni 460 *Geneſ. 15.* Erat Simeon in Ieruſalem diu exſpectans conſolationem Iſrael, id eſt, adventum Chriſti, *Lucæ 2.* Aſcenſurus Chriſtus in cœlum præcepit Apoſtolis, ne deſcenderent, ſed expectarent promiſſum Patris, *Actor.1.*

Sperare debet homines conſolationem in tribulatione. Afflictus corpore, ſpoliatus rebus, orbatus filiis ſic dicebat Iob, Si occiderit me in ipſo ſperabo, *Iob 13.* Parentibus Tobiæ irridentibus eum & dicentibus? Vbi eſt ſpes tua? Reſpondit, Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam ſperamus, quam daturus eſt Dominus his qui fidem non mutaverunt ab eo, *Tob.2.* Cum Suſanna eſſet morti condemnata, erat cor ejus in Domino fiduciam habens, *Daniel 13.*

Spes & fiducia in Deum rectè comparatur ſtellæ polari, ad quam nautæ in tempeſtate reſpiciunt & curſum dirigunt: ſic nobis in omni tribulatione reſpiciendum eſt ad Deum & ejus auxilium ac promiſſa, ut curſum hujus vitæ rectè & ſecurè dirigamus ad portum ſalutis. Præclarè hanc ſpem & fiduciam explicat totus *Pſalmus 90. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi &c.*

Spem noſtram Lucernæ comparat S. Auguſtinus *in Enchir.* Lucerna, inquit, animæ ſpes ejus, ab illam operatur omnis homo quidquid boni ad ſpem facit, & in nocte ardet lucerna noſtra. Oleum hujus lucernę eſt verbum Dei & ejus promiſſa, quæ faciunt, ut lucerna ſpei noſtræ non extinguatur.

Sicut peregrinantium labores & tędia relevat ſpes perveniendi in ſuam Patriam, ſic labores hujus vitæ multum mitigat ſpes perveniendi ad patriam cæleſtem: hic enim ſumus *hoſpites & advenæ ſuper terram*, ut loquitur Apoſtolus.

Spem noſtram vocat *Laurentius Iuſtinianus, in ligno vitæ cap.2.* Columnam firmiſſimam qua totum ſpirituale ædificium ſuſtentatur, ſpe autem deficiente, totum ædificium corruit in barathrum deſperationis.

E contra ſpes quæ extra Deum reponitur in Homine, aut favore, aut opibus, eſt inſtar Arundinis, cui ſi innitaris ſtatim frangitur & te in lapſum præcipitat, eſt etiam inſtar myricæ ſive terræ ſiccæ ac ſterilis in qua nihil creſcit, & nullum fructum habes, poſt inanem laborem: Hinc rectę *Hieremias* Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus, *Hier. c.17.*

VIDE EX BREVIARIO. Spes, Commun. non Pontif. num.3. lect.2. *&* Octob. Aſcet. num.2. lib.2.

Vide *Fides, Benignitas Dei.*

Sententiæ ſelectæ de Spe & Fiducia.

Qui ſperat in Domino beatus eſt, & non infirmabitur, *Prov.16.*

Beatus vir qui confidit in Domino, *Ieremiæ 17.*

Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, *Pſal.39.*

Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, *Pſal.72.*

Si coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt, *Sapient 3.*

Spes hypocritæ peribit, *Iob 8.* Spes impiorum deficiet, *Prov.10.*

Fides credit, ſpes, & charitas orant, *Auguſtinus*.

De ipſe incaſſum præſumit, qui timere Deum in ſuis operibus temnit, *Gregor.*

Qui nihil poteſt ſperare, deſperet nihil. *Seneca*.

Sola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet. *Cicero*.

Qui duos inſectatur lepores, neutrum capit. i. in eos qui nimis multa ſimul ſperant.

Corvum deluſit hiantem. *Horat.* in raptorem ſpe ſua fruſtratum.

SVPERBIA.

Svperbia ducit hominem ad ruinam: Ideò Chriſtus dicit, qui ſe exaltat humiliabitur, *Matth.* 23. Volentes ſuperædificare turrim in cœlum diſperſi ſunt per diviſionem linguarum, *Gen.* 11. Graviter fuit punitum peccatum elationis David, quando ſuperbe populum numeravit, 2. *Reg.* 24. Aman qui volebat ab omnibus honorari fuit in patibulo ſuſpenſus, *Heſt.* 7. Nabuchodonoſor per ſuperbiam depoſitus eſt de ſolio, & gloria ipſius ablata eſt, *Dan.* 4. Balthaſar per ſuperbiam interfectus eſt, & Darius ſucceſſit ei, *Dan.* 5. Herodes ſuperbè indutus, cum populus ei acclamaret laudes divinas, ab Angelo eſt percuſſus, *Actorum* 12.

Superbi ſimiles ſunt Fumo, qui ſua levitate in altum extollitur, & ipſa elatione in magnum globum intumeſcit, ſed quanto globus ille fit altior, tanto magis evaneſcit, ſic ſuperbus, quanto magis exaltatur, tantò citiùs deficit, *Ita S. Aug. in Pſal.* 36.

Similis eſt ſuperbus Ebrioſo, qui optimo vino abutitur ad vertiginem & inſaniam, ſic homo per ſuperbiam ſuas virtutes vertit ſibi in arrogantiam & iactantiam, & aliorum contemptum, *ita S. Hier.*

Quemadmadum corpus perdita humorum recta temperie ſit obnoxium omnibus morbis, ita animus amiſſa humilitate omnibus paſſionibus & vitiis exponitur, & redditur tumidus, temerarius, imprudens, arrogans, & tantùm non ſtultus, ut vix ſeipſum amplius cognoſcat.

Quemadmodum avari quanto plus opum accumulant, tantò magis ſe egere exiſtimant, ita ſuperbi & arrogantes quanto maiori honore fruuntur, tantò magis magiſque cupiunt honorari.

Quod in corporibus Tumor, hoc in animabus ſuperbia eſt, ſicut enim corpus quod immodicè turget ſanum eſſe non poteſt, ita & animos tumidorum dicimus mentis ſanitate carere, *S. Chryſoſt. Homil.* 13. *in Timoth.*

Vt in area extollitur Palea ſuper triticum, non quod ſit dignior, ſed ſit levior, ſic in hac vita ſuperbus fertur ſupra humilem, non ob meritum & virtutem, ſed ob vanitatem & falſam opinionem.

VIDE EX BREVIARIO. Superbia *quid ſit*, Dom. infra Aſcenſ. n. 2. l. 2. Domin. 2. Septemb. num. 2. lect. 3. *Initium omnis peccati*, 2. Novemb num. 3. lect. 1. Gloriatio vana *perdit beneficia accepta*, Dom. 2. Septembris num. 2. lect. 3.

Vide *Humilitas*.

Sententiæ ſelectæ de ſuperbia. V. ſupra de Humilitate.

Audeo dicere ſuperbis, utile eſſe cadere in aliquod apertum & manifeſtum peccatum unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant, *Auguſt.*

Vermis divitiarum eſt ſuperbia: difficile eſt ut non ſit ſuperbus qui dives eſt; tolle ſuperbiam & divitiæ non nocebunt, *Auguſt.*

Humilitas homines ſanctis Angelis ſimiles facit, & ſuperbia ex Angelis dæmones reddit. *Auguſtinus*.

Superbia de ſuperis cæleſtibus ad ima præcipitat, humilitas ab imis ad alta levat, *Bernard.*

Superbia de Angelo diabolum fecit, & homini mortem intulit, *Caſſiod.*

Omnis fere diligit ſibi ſimilem, ſolus ſuperbus odit elatum, unde inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia, *Caſſiod.*

Omnis inſipiens arrogantia & plauſibus capitur, *Menander*.

Video nos, nihil aliud eſſe præter ſimulachra quædam, quotquot vivimus, ut umbram levem, *Sophocles*.

Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores, *Claudianus*.

Eſt verum verbum, frangit Deus omne ſuperbum.

Cum fex, cum limus, cum res viliſſima ſimus,

Vnde ſuperbimus? neſcimus quando perimus, *Stan.*

IACTANTIA. Filia eſt ſuperbiæ.

Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, *Rom.* 1.

Dum cauſa iactantiæ pauper paſcitur: etiam ipſum miſericordiæ opus in peccatum convertitur, *Iſidorus*.

Mirabile jactantiæ genus, ut non poſſis putari

tati ſanctus, niſi ſceleratus appareas, *Bernard.*

Iactantia non eſt vitium laudis humanę, ſed vitium animę perverſę amantis humanā laudem, ſpreto teſtimonio conſcientiæ, *Auguſt.*

Qui ſeſe laudat, laudis ſe munere fraudat.

T.

TENTATIO.

T*Entat Deus aliquando hominem ut probet illum*: Sic tentavit Abraham & dixit ei, tolle filium tuum quem diligis & offer illum, *Gen.* 22. Dixit Dominus ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum, ipſe verò ſciebat quid eſſe facturus. *Ioan.* 6. Poſtquam Tobias fuit cæcatus ſuſtinuit tentationem, quam permiſit Deus pervenire illi, ut poſteris exemplum patientiæ daretur, *Tob.* 2. Iudith dixit tempore obſidionis, memores eſſe debetis quomodo tentati ſunt patres, ut probarentur ſi verè colerent Deum, *Iudith* 8. Iob propter multas tribulationes dicebat, probavit me Dominus quaſi aurum quod per ignem tranſit, *Iob* 23. Tentavit Deus Petrum ambulantem ſupra mare per ventum validum, id eſt, tribulationem, *Matth.* 14.

Non debent homines Deum tentare: Sicut populus Iſrael multoties tentavit Deum in deſerto, *Num.* 8. Oziam qui ſtatuit populo terminum, reprehendit Iudith, dicens: Qui eſtis vos qui tentatis Deum, *Iudith* 8. Iudæis quærentibus, ſi liceret cenſum dare Cæſari, ut Ieſum caperent in ſermone, reprehendit eos, dicens: Quid me tentatis hypochritæ? *Matthæi* 22. Cum ejeciſſet Ieſus dæmonum & locutus eſt mutus, quidam tentantes eum quærebant ſignum de cœlo, *Matth.* 16. Petrus increpans dixit Saphyræ uxori Ananiæ, Quid convenit vos tentare Spiritum ſanctum, ut patet *Act.* 5.

Tentat Diabolus mentiendo, unum pro alio oſtendendo: Sic falsò dixit Evæ: Nequaquam moriemini, & promiſit bona ex tranſgreſſione: Eritis ſicut Dii, *Geneſ.* 3. Salvatori etiam oſtendit regna mundi, dicens mentiendo. Hæc omnia dabo tibi ſi cadēs adoraveris me, *Matth.* 4.

Tentationes volentes vitare, ſapientia uti debent in reſiſtendo Chriſtus à dæmone tentatus in gula, ſuperbia, & avaritia, ad quæ poſſunt omnes aliæ tentationes reduci, ſapienter oſtendit quomodo oporteat nos tentationes ſuperare, *Matth.* 4.

VIDE EX BREVIARIO Tentatio *fit ſuggeſtione, conſenſu, delectatione*, Domin. 1. Quadr. num. 3. l. 3. *tam de bono quam de malo perículoſa eſt*, Dom. Paſſ. n. 2. l. 3.

Vide *Tribulatio*, *Conſolatio divina*.

Sententia ſelecta de Tentatione.

QVi non eſt tētatus, pauca novit, *Eccleſ.* 34.

Filii, accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, *Eccleſ.* 2.

Fidelis Deus qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis, 1. *Cor.* 10.

PATRES. Vita noſtra in peregrinatione non poteſt eſſe ſine peccato, & ſine tentatione, *Auguſtin.*

Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodeſt ut exercearis, *Idem.*

Hoſtis noſter quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit, *Gregor.*

Humanum eſt in corde tentationem perpeti, dæmoniacum totum eſt in tentationis certamine ſuperari, *Gregor.*

In tentationibus eſto fortis, multos enim majorum noſtrorum illæ arguerunt, *Bern.*

Diabolus quando decipere quemquam tentat, prius ad naturam uniuſcuiuſque intendit, & inde ſe applicat, unde aptum hominem ad peccandum aſpicit, *Gregor.*

Bellum grave quia occultum, *Caſſiod.*

Vide infra ſententias plures, Verbo *Tribulatio*.

TIMOR DOMINI.

O*Mnis Dei timor, etiam ex motu pœnæ, per ſe bonis, & utilis eſt contra peccatum*: Timor Domini expellit peccatum, *Eccl.* 1. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus, *Prov.* 28 verebar omnia opera mea, ſciens quia non parces delinquenti, *Iob* 9. Et ideò à S. Bonav. timor comparatur oſtiario, qui ſtare debet ad oſtium cordis, ne permittat inimicum intrare, ſcilicet dæmonem, peccatum, tentationes, & pravas cogitationes. S. Bernardus multas breviter ſimilitudines & encomia de timore adducit, in *Cant. ſerm.* 86. Timor verecundus & caſtus eſt omnium ætatū ornatus: eſt ſplendida gemma morum in vultu adoleſcentis: eſt bonæ ſpei nuncius: eſt bonæ indolis index: eſt teſtis innocentiæ: eſt lampas pudicæ mentis. Eſt famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes naturæ laus, inſigne totius honeſtatis.

Timere debet homo Deum omni tempore. Quia in hac vita non poteſt eſſe ſecurus. Nam Angeli in cœlo, & primi parentes in terreſtri Paradiſo peccaverunt, ut patet *Geneſ.* 3. & *Eſaiæ*

Eſaiæ 4. Loth qui inter peſſimos peccatores in Sodomis fuit bonus, tamen poſtquam exivit eſt inebriatus & cum filiabus peccavit, *Geneſ.* 19.

Timor Domini facit hominem à peccatis deſiſtere, & cavere. Obſtetrices Deum timuerunt, ideò non necaverunt filios Hebræorum, *Exodi* 1. Eleazarus nolens vetita manducare, ait: Domine propter timorem tuum libenter hæc patior, 2. *Machab.*

Timor Domini cauſa eſt quod homo benè operetur & obligat Deum. Ideò voluit Dominus filiis Iſrael timorem incutere, & legem cum tonitru & igne dare, *Exodi* 20. Ioſaphat docuit judices ut timor Domini eſſet inter eos ſi benè vellent regere populum. Plus timens Tobias Dominum quàm Regem, rapiebat corpora occiſorum & ſepeliebat ea, ut patet, *Tobiæ* 2. Item commendatur Iob, quod eſſet bonus, juſtus, & timens Deum, *Iobi* 1.

Timorem Domini non habentes graviter puniuntur. Nam omnes quos miſit Rex Babylonis ad inhabitandum Samariam non timuerunt Deum, & miſit Deus Leones qui interfecerunt eos, *Reg.* 17. Ionas qui Deum non ſatis timuit tempeſtatem meruit, id nautæ videntes, timuerunt Deum, *Ion.* 1. Ob hanc cauſam dixit Dominus: Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam, *Matth.* 10.

Sicut qui tranſit anguſtum Pontem ſemper timet ne cadat antequam ad terram firmam perveniat, ſic Chriſtianus inter anguſtias & pericula hujus vitæ ſemper metuit ne labatur in peccatum, antequam veniat ad ſtatum ſecurum vitæ æternæ.

Sicut neceſſe eſt ut ſemper timeat qui Theſaurum portat per loca prædonum inſidiis infeſta, Ita neceſſe eſt in decurſu hujus vitæ formidare, ubi infeſtiſſimi animarum prædones, dæmon, mundus, caro nituntur, nos pretioſo divinæ gratiæ theſauro ſpoliare.

Quemadmodum Fræno opus eſt equiti ne à ferociente equo per avia & devia abripiatur, ita fræno timoris divini opus eſt, ne ab indomitis cupiditatibus & vitiis noſtris in interitum præcipites abripiamur.

Sicut pueri in Scholis à negligentia ac petulantia deterrentur dum vident ſocios ſuos examinari & ſupplicio affici, ita nós ex aliorum interitu debemus nobis formidare, & clamare ad Dominum, confige timore tuo carnes meas.

Vti ſoli radius quando per foramen domum ingreditur quæ in ea ſunt illuminat, ita ſi timor Domini fuerit in anima, efficitur omnia ſua peccata etiam minutiſſima obſervet, *Climacus de diſcret. grad.* 26.

Sicut per Corium acu perforatum prius ſeta, & poſt eam filium ingreditur, ſic timor Domini in animam hominis charitatem & juſtitiam introducit, *S. Auguſt. in Epiſt. S. Ioannis.*

VIDE EX BREVIARIO. Timor Domini diſcendus, Dom. 5. Nov. n 2. l. 3. *timor ſanctus eſt ſalutaris*, Dom. 1. Aug. n. 2.

Vide ſupra *Pœnitentia, Humilitas.*

Sententiæ ſelecta de Timore Domini.

INitium Sapientiæ timor Domini, *Prov.*

Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam *Matth.* 10. *Luc.* 12.

Noli altum ſapere, ſed time, *Rom.* 11.

Beatus homo qui ſemper eſt pavidus, qui verò mentis eſt duræ corruet in malum, *Proverb.* 28.

Qui timet Dominum nihil negligit. *Eccleſiaſt.* 7.

Timor Dei initium dilectionis ejus. *Eccleſiaſt.* 25.

Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum Domine. *Pſal* 60.

Beatus vir qui timet Dominum: potens in terra erit ſemen ejus, gloria & divitiæ in domo ejus, *Pſal.* 111.

Timenti Dominum bene erit in extremis & in die obitus ſui benedicetur, *Eccleſ.* 1.

Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, *Ibid.*

Qui timet hominem cito corruet. *Proverbiorum* 29.

Si Deus pro nobis, quis contra nos. *Rom.* 8.

PATRES, Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo, ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil eſt homo, *Bern.*

Facile deviat à juſtitia, qui in cauſis non Deum, ſed homines pertimeſcit, *Chryſoſt.*

Si amor Dei te tenere non poteſt, ſaltem teneat & terreat timor judicis, *Gregor.*

Stultos in ſumma pericula miſit.

Venturi timor ipſe mali, fortiſſimus ille eſt
Qui promptus metuenda pati, *Lucan.*

Degeneres animos timor arguit, *Virg.*

Audaces fortuna juvat timidoſque repellit.

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurú.

A cane non magno ſæpe tenetur aper. 1.
Parvi etiam timendi *Ovid.*

Stultitia eſt timore mortis mori, *Cic.*

Stultum eſt timere quod vitari non poteſt. *Idem.*

Tutiſſima res eſt nil timere præter Deum. *Idem.*

Adag. Vmbram ſuam metuere. *Plato.*

In eos qui pueriliter minima trepidant.

Item,

Item, ante tubam trepidat.

Domi Leones, in acie Vulpes. In eos qui in ſuos ſævi, in ſubditos imperioſi, in alios nihil audent.

TRIBVLATIO.

T*Ribulationem libenter & patienter ſuſtinenter ſequitur conſolatio.* Nam Ioſeph plus crevit & proſperatus eſt in exilio, quã ſi fuiſſet inter fratres ſuos, *Geneſ.* 14. Quanto magis Pharao filios Iſrael affligebat, tantò plus multiplicabantur, & creſcebant, *Exod.* 1. Heliam perſecutum à Iezabel Angelus confortavit, & panem & aquam ei attulit, 3. *Regum* 19. Excæcatum & deriſum Tobiam Dominus multipliciter eſt, *Tobiæ* 2. & 10. Pueri in camino ignis receperunt angelicam conſolationem, cum quibus Nabuchodonoſor vidit ſimilem filio Dei, *Dan.* 3. Vnde per Pſalmiſtam dicit Dominus, Cum ipſo ſum in tribulatione.

Tribulationes veniunt propter peccata hominũ. Ideò fratres Ioſeph dixerunt. Meritò hæc patimur, *Geneſ.* 42. Quia poſt obitum Iudæ Machabæi ſurrexerunt iniqui & peccatores, facta eſt fames magna, 1. *Macb.* 9.

Tribulationum remedium eſt oratio. Nam in tempore tribulationis clamaverunt ad te & exaudiſti eos, *Num.* 9. Suſanna in damnatione mortis poſita non habens recurſum ad humanum adiutorium, flens oravit & reſpexit in cælum. *Dan.* 11.

Sicut Avis à canibus circumdata & in terra poſita, non habet refugium niſi elevet ſe in altum, & volet verſus cælum, ita homo in tribulatione.

VIDE EX BREVIARIO. Tribulatio. *In tribulatione non deficiendum*, Sabb. poſt Ciner. *ex ea alia virtutes oriuntur*, Octob Innoc. n. 1. & 2. *Quare immittatur* Dom. Paſſ. n. 2. 5. Maii, n. 3. l. 3. Domin. 11. Pentec. n. 2. l. 1. AEgritudo *morbi aliquando vitia ſignificant*, Sab. Pent. lect. 3. Dominica iuxta Aſcenſ. n. 2. Malum *ſæpè in melius bonum permittitur* Feſt. Epiph. n. 2. l. 2. & Domin. Septuag. n. 2. l. 3. *Inter malos vivere magna virtus*, Dom. 1. Septemb. n. 2. l. 3. Paupertas, *eſt parens aliarum virtutum*, 2. plur. MM. n. c. l. 3. Perſecutio *facit Eccleſiam creſcere*, 3. Iulii *n.* 2. 8. Nou. n. 3. l. 2. *duo genera eius*, 26. Iunii, n. 3. l. 3. *non timenda*, ibid & 14. Oct. n. 3. l. 3.

Vide *Tentatio, Patientia.*

Sententia ſelecta de Tribulatione.

SI bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus, *Iob.* 1.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas, *Pſal.* 19.

Multæ tribulationes iuſtorum, *Pſal.* 33.

Sicut igne probatur argentum, & aurum in camino, ita corda probat Dominus, *Prov.* 17.

In paucis vexati in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos &c. *Sap.* 3.

Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis, *Eccleſ.* 27.

Infirmitas gravis ſobriam facit animam, *Eccleſ.* 31.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam &c. *Matth.* 5.

Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam, *Matth.* 10.

Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, *Lucæ* 24.

Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur &c. *Roman* 5.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio &c. *Rom.* 8.

Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis, 2. *Cor.* 4.

Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur, 2. *Timot.* 3.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius 1. *Petri.* 2.

PATRES &c. Intelligat homo medicũ eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, *Auguſt.*

In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cinerem vertitur, & illud ſordibus exuitur, *Auguſt.*

Nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt: ſi putas te non habere perſecutiones nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus, *Idem.*

Si promiſſa patris bene agnoviſti, non timeas flagellari ſed exhæredari, *Idem.*

Aurem cordis tribulatio aperit, quam ſæpe proſperitas huius mundi claudit, *Gregor.*

Cum recognoſco Iob in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum extenſum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit, quos amat, *Gregorius.*

Parva toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum, *Caſſiodorus.*

Dulcia

Dulcia non meruit qui non guſtavit amara.
Vide Sent de *Patientia* & *Tentatione*.

V.

VERITAS.

Veritas apud malos homines odium parit. Sic Zacharias filius Ioiadæ verè, & juſte arguebat Regem, & Principes, quod Dominum & eius legem dereliquiſſent, & ideò in odium veritatis ad imperium Regis *Ioas* lapidatus fuit, 2. *Paralip. c.* 24. Achior quia narrabat vera quæ Deus fecit populo Iſraelitico, indignatus eſt illi Rex Holofernes, & coactus eſt exulare, *Iudith. c.* 6. Cum Propheta Baruch ex volumine legis prędixiſſet Regi Ioachim vera de futura captivitate Iſrael, juſſit Rex volumen in ignem projici, *Hierem. c.* 36. Et Hieremias Propheta, quia civitatis Hieruſalem captivitatem prædixit, in lacum miſſus fuit, *Hierem. c.* 38. Et Daniel quia apertè probavit idolum Beel non eſſe Deum, in locum leonum miſſus fuit; unde ipſum Deus & veritas liberavit. *Daniel c.* 7. Quia Ioannes Baptiſta veritatem dixit Herodi *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, in carcere decollatus fuit, *Matth. c.* 4. Cæcus à Chriſto illuminatus, quia Phariſæi veritatem apertè dixit, extra Synagogam eum proiecerunt, *Ioannis* 9. Quando Apoſtoli Principibus Sacerdotum de doctrina Chriſti vera prædicabant, cæſi fuerunt, & juſſi ne de Chriſto amplius loquerentur, *Actuum c.* 5.

Cur denique paſſi ſunt tot Martyres, Confeſſores, & hodie verbi divini prædicatores tot iniurias, & contumelias patiuntur? Niſi quia veritatem liberè annunciant, & aliorum erroribus aſſentiri nolunt.

Qui veritatem ſtudiosè ſectantur, Similes ſunt illis qui ex viſceribus terræ aurum effodiunt: & qui è profundo maris gemmas pretioſas ac lucidiſſimas educunt.

Comparat S. Auguſtinus Epiſt. 9. Veritatem Chriſtianam cum pulcherrima Helena Græcorum pro qua noſtri martyres, tot ſæculis fortius dimicant, quam Græci pro ſua Helena adverſus Troianos.

Bonorum ingeniorum eſt veritatem amare, & non pulchra verba, quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire non poteſt, hoc eſt, ad veritatem ducere, idem *S. Auguſt. l.* 4. *de doct. Christiana c.* 2.

[illegible] perdix optimus eſt cibus, non tamen [illegible]tur crudus; ſic etiam veritas debet [illegible]cocta & condita ſale prudentiæ, id [illegible] tempore, & loco.

Sententiæ ſelectæ de Veritate.

Super omnia vincit veritas, *Eſdræ* 3.

Scuto circumdabit te veritas eius, *Pſ.* 90.

Veritas Domini manet in æternum, *Pſalmus* 116.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit, vos, *Ioan.* 8.

Ego ſum via, veritas, & vita, *Ioan.* 14.

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c. *Matth.* 22.

Ergo in hoc natus ſum & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, *Ioannis* 18.

PATRES &c. Veritas dulcis eſt, & amara, quando dulcis eſt parcit, & quando amara curat, *Auguſt.*

Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum quam veritas relinquatur. *Auguſt.*

Ille veritatis defenſor eſſe debet, qui cum rectè ſentit, loqui non metuit nec erubeſcit. *Ambroſius.*

Veritas ſola liberat, ſola ſalvat, ſola lavat, *Bernardus.*

Non amat veritas angulos, *Idem.*

Obſequium amicos, veritas odium parit: ſcil. apud perverſos, *Terentius.*

VOTVM.

Votis offerunt Deo homines tribulationibus oppreſſi ut liberentur. Debellato Iſrael & ablata præda, votum vovit Iſrael Deo, & poſteà victor fuit *Num.* 21 *& Iudith.* 20. Viri qui erant in navi cū Iona tempore tempeſtatis timentes immolaverunt hoſtias, & voverunt votum Domino, *Ionæ* 1. Antiochus poſtquam percuſſus eſt à Domino inſanabili plaga, vovit ſe mirabilia facturum, ſi evaderet mortem, 2. *Machab.* 9.

Votum indiſcretum non debet homo facere, aut ſervare. Tale votum fecit Iephte quando promiſit immolare quod primo ipſi occurreret, *Iud.* 11. Pro indiſcreta & mala cauſa vovit Abſalon, volens rebellare patri, 2. *Reg.* 15. Crudele votum & impium fecerunt Iudæi dicentes, & devotione vovimus nos nihil guſtare donec occidamus Paulum. *Act* 23.

Votum facientes debent votū reddere. Ideò Anna quæ vovit pro filio obtinendo, ſtatim cum obtinuit filium adimplevit votum, 1 *Reg.* 2. Aza Rex Iuda pater ſuus obtulit in domo Domini aurum & argentum, ut oſtendatur quod ali-

aliquādo vota Patrum debent reddere filii & hæredes, *2. Paral.* 15. Omnis populus poſt victoriam venit in Hieruſalem, & tulerunt holocauſta, vota ſua, *Iudith* 6.

ZELVS BONVS.

Zelus bonus eſt arguere acriter delinquentes. Nam videns Neemias onera portantes, & uxores ducētes alienigenas, & obiurgavit eos, & acriter arguit, *Neemiæ* 13. Confidētes arguit Helias errantem populum, & Prophetas Baal fecit occidi, 3. *Reg.* 18. Miro zelo fervebat Ioannes Baptiſta, dicens Iudæi, Genimina viperarum, &c. *Matth.* 3. *Lucæ.* 3. Et arguendo Herodem, dicens, non licet tibi fratris tui uxorem habere, *Matth.* 14. *Marc.* 6. Durè increpavit Dominus Scribas, & Phariſæos, dicens, Væ vobis Scribæ & Phariſæi &c. *Matth.* 23. Ardenti zelo Stephanus arguebat Iudæos, dicens, dura cervice, &c. *Act.* 7. Paulus cum fervore reprehendit Elymam quando dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, *Act.* 13.

Zelus bonus eſt etiam punire acriter iniuriam Deo inferentes. Moyſes iratus eſt de vitulo facto à populo, & tabulas confregit, & populū arguit, & eos acriter punivit, *Exodi* 32. Multum placuit zelus Domini, quem habuit Phinées, quando transfodit adulterantes, *Num.* 25. Præcepit Ioſue Achior lapidari, & ſupellectilem eius comburi, quia tulerat de anathemate, *Ioſue* 7. Magnus erat zelus Matathiæ, qui trucidabat homines impios ſuper aram Domini, 1. *Machab.* 2. Plures eiecit Dominus vendentes & ementes de templo, facto flagello de funiculis, *Ioan.* 2. *Luc.* 19.

ZELVS INDISCRETVS.

Zelus indiſcretus eſt, quando correctio non procedit ex juſtitia, ſed ira vel vindicta. Sic Abiſai voluit amputare caput Semei maledicentis David, ſe David id non permiſit, 2. *Regum* 18. Ionam iratus propter hederam deſiccatam, volebat ut Deus deſtrueret Civitatem, *Ionæ* 4. Iacobus & Ioannes irati, quia nuncii Domini non fuerunt recepti, volebant ut ignis de cęlo deſcenderet, & conſumeret non recipientes, ſed Chriſtus reprehendit eos, *Luc.* 9.

Zelus erat indiſcretus Iudęorum pro obſervatione Sabbathi, quando Chriſtum reprehendebāt quod in Sabbato infirmos curaret, *Matth.* 12. Item quando arguebant diſcipulos Chriſti eſurientes, quod in Sabbato ſpicas evellerent, & manducarent, *Matth.* 12. Non erat etiam diſcretus zelus Diſcipulorum qui indignè ferebat, quod Magdalena effuderit ſuper caput Domini, Iuda obmurmurante quod pretium iſtius unguenti non daretur egenis, *Matth.* 26 Arguit etiam Dominus Petrum, quia ardore & zelo non ſatis conſiderato amputavit auriculam ſervi Principis Sacerdotum, *Matth.* 26. S. Paulus ante ſuam converſionem zelo non bono æmulator exiſtens paternarum traditionum, trahebat Chriſtianos viros ac mulieres vinctos in Hieruſalem, *Actor.* 8. Denique Iudæi vidētes quod univerſa Civitas conveniret ad audiendum prædicationem Pauli & Barnabæ, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, *Actor.* 13.

Homo zeloſus, ſed indiſcretus eſt ſicut Equus generoſus, qui frænum non habet, currit in incertum, in vepres, in foveas, & ſeipſum & alios lædit aut præcipitat.

Sicut corpus in quo prædominatur humor cholericus, alimentum etiā optimum in choleram & bilem noxiam convertit; ſic etiam zelus imprudens optimas actiones corrumpit & noxias facit.

Sicut oculus cui per ſpicilū viride imponitur non diſcernit colores, ſed omnia etiam candida, ipſi apparent viridia: ſic zelus hominis indiſcreti nequit diſcernere inter bonum & malum, iuſtum & iniquum, ſed omnia etiam iudicio imprudenti accomodare, & ſuo pede curvo omnia metiri. Vide *Correptio fraterna*, *Charitas*, *Ira*, *Invidia*.

Vt in Apparatu præcedenti qualibet Materia promptius reperiatur, hic ſingulorum Titulorum Indicem ſuo ordine ſubnecto.

SYLLABVS APPARATVS

Alphabetici præcedentis.

A

ABnegatio. pag. 4
Abſtinentia. 6
Acedia, Otium. 14
Accuſatio. 15
Adulatio. 16
Ambitio. v. Superbia infra.
Amor Dei. 17
Amor Proximi. 18
Aſtutia. 20
Avaritia. ibid.
Auxilium Dei. v. Benignitas Dei.

B

BEatitudo. 21
Bellum. v. Diſcordia.
Baptiſmus. 23
Benignitas Dei. ibid.
Blaſphemia. 25
Bonitas Dei. v. Benignitas.

C

CAſtitas. 25
Calumnia. v Detractio.
Charitas. 27
Chriſtus. ibid.
Communio. v. Euchariſtia.
Confeſſio peccatorum. 28
Conſilium bonum. 29
Conſilium malum. ibid.
Conſolatio divina. 30
Conſtantia. ibid.
Contemplatio. v. Oratio.
Correptio fraterna. 31
Curioſitas. 32

D

DEipara. ibid.
Detractio & Calumnia. 33
Deus, v. Amor Dei, Benignitas, &c.
Diſcordia. 34
Dilectio. v. Amor.
Duritia cordis. 35

E

EBrietas. 36
Eccleſia. 37
Eleemoſyna. v. Liberalitas, Amor proximi, &c.
Exhortatio. 38
Euchariſtia. 39

F

FAllacia. v. Adulatio, Aſtutia.
Fides in Deum. 40
Filiorum educatio. 41
Fortitudo. ibid.
Furtum. v. Avaritia.

G

GLoria Cæleſtis. 43
Gratitudo erga Deum. ibid.
Gratitudo erga homines. 45
Gula. ibid.

H

HÆreſis. v. Fides. Eccleſia.
Homicidium. 45
Honor parentum. 46
Hoſpitalitas. 47
Humilitas. ibid.
Hypocriſis. 48

I

IActantia. v. Superbia.
Ieiunium. v. Abſtinentia.
Infernus. 49
Ingratitudo. 50
Inimicitia, Odium, Diſcordia. ibid.
Iracundia. 51
Intentio bona, aut mala. 52
Ira. ibid.
Invidia. ibid.
Iracundia. v. Inimicitia.
Iudicium iuſtum. 53
Iudicium iniquum. ibid.
Iuramentum. 54
Iuſtitia Divina. 55

L

LEx divina. v. Obedientia.
Liberalitas. 56
Luxuria. 57

M

MAria Virgo. v. Deipara.
Matrimonium. 58
Mendacium. 59
Mors. 60
Mundi contemptus. v. Abnegatio.

O

OBedientia. 61
Odium. v. Inimicitia. Invidia.
Opus & Intentio. 62
Oratio. ibid.
Otium. v. Acedia. Opus bonum.

P

PAtientia. 64
Pax. 65
Peccatum. 66
Pœnitentia. 67
Perſeverantia. 68
Prædicatio. v. Exhortatio.
Prudentia. v. Sapientia.

S

SAbbati obſervatio. 69
Sapientia, Prudentia. ibid.
Sacrum. v. Euchariſtia.
Sobrietas. v. Abſtinentia. Ebrietas.
Spes, Fiducia. 71
Superbia. 72

T

TEmperantia. v Abſtinentia. Ebrietas. Gula.
Tentatio. 73
Timor Domini. ibid.
Tribulatio. 75

V

VOluptas. v. Luxuria.
Veritas. 76
Votum. ibid.
Vita æterna. v. Beatitudo Gloria cæleſtis.

Z

ZElus bonus. 77
Zelus indiſcretus. ibid.

PRA-

PRAXIS
DICTIONEM CONFICIENDI
EX
Apparatu præcedenti, & ſequenti in Doctrina Chriſtiana.

§. I.

Praxi conficiendi primam partem Dictionis.

PRima pars dictionis, facile componi poterit ex ſola Narratione Evangelii qu d præſenti Die occurrit, adhibita quadam amplificatione, & ornatu oratorio magis obvio, & ex rei natura deſumpto. Ars autem huius amplificationis in eo conſiſtit primo, ut ſingulę partes Evangelii pluribus verbis & ſententiis ad populi captum familiari modo exponantur, per interrogationes, reſponſiones, ſimilitudines, comparationes dicti vel facti Euangelici, cum factis aut moribus populi præſentis, ut ad imitationem virtutis, aut fugam vitii excitetur, ut infra in exemplo oſtendetur.

Secundo, aſſignando cauſas *cur ſingula à Chriſto dicta aut geſta fuerint, v. g. ad noſtram doctrinam, ad panem malorum, præmium bonorum, &c.*

Tertio, expendendo modum *rei geſta, v. g. quanto cum amore, aut dolore, aut patientia res quæ narratur à Chriſto, aut alia perſona, geſta fuerit.*

Quarto idem declarando aliqua comparatione aut ſimilitudine quales ſupra in Apparatu ad ſingulos fere Titulos ſubiiciuntur. Debet autem eiuſmodi ſimilitudo *non verbo abſolvi, ſed per partes deduci, comparando ſingula s ejus proprietates cum re aut perſona cui illam applicare intendimus. Exempli cauſa: quando Amorem Dei cum Igne comparamus, oportet conſiderare Ignis proprietates, & illas cum Amoris effectibus conferre: hoc modo: Sicut Ignis expellit frigus, ita Amor pellit tempore & negligentiam in obſequio divino; Ignis diſſolvit glaciem, ita amor cor peccatoris in lacbrymas reſolvit: in igne purgatur aurum & alia metalla, per amorem anima à peccatis expiatur: igne accenſo domus illuminatur, ita amor replet hominem lumine gratiæ divinæ: ignis ſemper aſcendit ſurſum, amor divinus ſemper animam à rebus terrenis ad cæleſtia attollit, &c. Simili modo alia* exempla, *& ſimilitudines, quæ breviter aſſignantur poterunt latius deduci, & ad præſentem materiam applicari.*

Hoc autem ut facilius fiat, in ſingulis dictis aut factis latius exponendis conſiderandæ circumſtantia quæ memoriæ cauſa hoc verſiculo aptè comprehenduntur. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Cujus rei brevem methodum & exemplum ante oculos ponemus in enarrando Evangelio Dominicæ primæ Adventus de extremo judicio, quæ infra inter Dominicas prima occurret.

Primæ partis exemplum, Narratio Evangelii.

PRoponitur nobis (Auditores) hodie Evangelium de ſecundo Chriſti Adventu, & de ſign s præcedentibus judicium extremum.

Quis illa nobis proponit: Ipſe Chriſtus, Deus, & homo, judex vivorum & mortuorum, æterna veritas, quæ neminem poteſt fallere, quia eſt bonitas infinita, nec poteſt ipſe falli, quia rerum omnium etiam futurarum ſcientiam habet.

Cur ea nobis Pronunciavit? ut præparemus nos ad judicium futurum per bona opera; ut deleamus peccata præterita per pœnitentiam, ut caveamus peccata futura in extremo judicio ſeverè vindicanda, *ſimile*: ſicut latrones ſolent abſtinere à rapinis quando vident coram ſevero judice ſibi brevi comparendum eſſe.

Quomodo Chriſtus illa prædicit? ſummo affectu erga noſtram ſalutem, tanquam providus parens, qui ſollicitè monet filium ut caveat à periculo tempeſtatis, aut incendii futuri.

Audite igitur ejus verba. *Erunt ſigna*. Sed *ubi* illa ſigna apparebunt ut poſſimus ea cognoſcere? *In ſole, & luna, & ſtellis*, nempe in loco maximè cõ picuo, ante omnium oculos, in ipſis cœli luminaribus, ut nemo ea poſſit

ſit ignorare. Vis ſcire *quænam* erunt illa ſigna *in ſole, &c.* Erunt eclipſes, tenebræ, fulgura, & ſtellæ de cœlo cadentes. *Comparatio;* Cogita quo terrore concutimur quãdo ex aliqua parte cœli ingentes fragores audimus, & horrenda fulgura conſpicimus, *quanto magis*, quando illa totum orbem occupabunt. *Tranſitio.*

Sed ne putemus ſigna iudicij extremi in cęlo tantum futura, pergit Chriſtus; *Et in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum. Quomodo* trepidabunt homines, & maxime peccatores ad hanc preſſuram ex terra, & horrendum ſonitum ex turbatis totius Oceani fluctibus; *Areſcentibus* (inquit) *hominibus præ timore, & exſpectatione quæ ſuperveniet univerſo orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Quanto magis* debent commoveri corda peccatorum, & reſolvi ad lachrymas pœnitentiæ, *ſimile*, ſicut poſt magna tonitrua ſolent nubes in pluvias reſolvi, *Tranſitio*.

Poſt hæc tremenda ſigna in cœlo, terra, & mari, videamus *quid* ſequatur. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.* O quàm erit hoc ſignum iucundum Chriſti amicis, è contrario, quam erit formidandum eius inimicis. Veniet cum maieſtate magna, *quare?* quia illum è cœlo comitabuntur omnes Angeli, & coram illo in terra ſtabunt iudicandi omnes Reges, Principes, & univerſi homines qui ab initio uſque ad finem mundi vixerunt, *ſimile*, ſicut Rex ſolet ſumma cum maieſtate, & frequentia comparere quando in publico tribunali iudicium exercet. *Simili methodo pergendum eſt, enarrando reliquam partem Euangelii.*

§. II.

Praxis conficiendi ſecundam partem Dictionis.

P*Ro ſecunda parte Concionis, eligenda erit ex eodem Euangelio aliqua* ſententia *particularis, quæ erit idonea ad inſtituendum diſcurſum de aliqua virtute, aut vitio, aut alia doctrina ex mente Concionatoris.*

Vt pro hoc diſcurſu materia apta inueniatur, in Ind ce ſupra concinnato videnda erit virtus aut vitium aut alia doctrina circa quam ſententia electa, præcipuè verſatur; vt ſi ſit Amor Dei, *vide in littera* A, *ſi ſit* Iuſtitia, *vide in littera I, & ſic de cæteris. Vbi nota quando eſt diſcurſus de* Virtute *poſſe etiam materiam peti ex* Vitio *illi contrario, & contrà, v g. ſi agitur de* Amore, *videndus eſt etiam titulus de* Odio, *vel* Inimicitia, *vel* Inuidia.

Poſtquam in Indice inuenta eſt materia, & exempla ad mentem Concionatoris idonea, expedit illa debent illa Exempla cum aliquo ordine, & ornatu oratorio in charta deſcribi, & deduci ad ſcopum à Concionatore intentum. Deductio autem illa ferè conſiſtet in artificio, quod ſupra oſtendimus in narratione Euangelii.

Exempli cauſa ex præſenti Euangelio eligitur hæc particulari ſententia: Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate, *nempe ad iudicandum. Quæratur ergo in Indice* Iudicium, Iuſtitia, *& ex illi deſumatur materia, & diſcurſus iuxta methodum ſequentem.*

Secundæ partis exemplum, in Sententia deducenda.

T*Vnc videbunt Filium hominis venientem in nube, &c. Quinam* videbunt? totus mundus; iuſti, & impii ſimul congregati. *Quid* videbunt? Filium hominis ſcilicet Chriſtum cuius paſſionem & mortem ſpreverunt. *Quare* tunc Chriſtum videbunt in nubibus venientem? Vt de omnibus hominibus ex æquo, & bono iudicium exerceat. (Vide *Iudicium iuſtum*, & ex eo reliqua compone hoc modo) Iudex ut rectè iudicet debet cauſas diligenter examinare. Sic fecit Salomon Rex ſapientiſſimus, 3. *Regum 3.* Quando duæ mulieres de filio contendebant utra eſſet vera eius mater: ut veritatem exploraret voluit infantẽ in medio collocari, & deinde iuſſit ſibi gladium adferri, dicens, ſe velle puerum inter utramque mulierem ex æquo dividere. *Quid* hic factum putatis? Mulier quæ non erat vera infantis mater, nulla eius commiſeratione tacta, voluit illum in duas partes diſſecari. Altera vero totis viſceribus commota ex templo iuſſit potius infantem vivum atque integrum alteri conſignari. Hinc ſtatim collegit Salamon cauſæ veritatem, & huic tanquam veræ matri totum infantem adiudicavit.

Præclara quoque Sapientia eluxit in Daniele quæ narratur, *Daniel 13.* In occulta cauſæ veritate indaganda. Suſanna nobilis Matrona à duobus ſenibus adulterii falſo accuſata ad extremum ſupplicium rapiebatur. Daniel, Deo impellente, Suſannæ innocentiã ſibi explorandam ſuſcepit. Quid hic faceret? Cauſa erat occulta, aderãt accuſatores ætate & au-

& auctoritate graves, populus ad ſupplicium convenerat, Suſanna jam jam lapidibus obruenda erat. (*Narretur decore reliqua hiſtoria, & veritas tandem detecta.*)

Ecce quanta cura & ſagacitate opus eſt judicibus, ut in rebus humanis occulta veritas detegatur. Sed Chriſto ſupremo judici in illa die nihil erit ignotum, nihil occultum, de quo dicitur, Iudex ergo cum ſedebit, quidquid latet apparebit, nil in vultum remanebit. Quidquid in cubiculo, quidquid in ſylvis, quidquid in tenebris, quidquid in intima cordis cogitatione geſtum eſt, ante Iudicis oculos manifeſtè apparebit.

Cognitionem cauſę & criminis ſequetur juſtitia: (Vide *Iuſtitia Dei*, & inde perge hoc modo.) Iuſtitia requirit ut qui peccando mala aliis intulerunt ipſis pari menſura mala infligantur. Superbus Aman odio incenſus in Mardochæum eo quod ſibi genua non flecteret, curavit erigi excelſum patibulum ut in eo ſuſpenderetur: *Fuſius Eſtheris 7.* Sed quid tandem factum? Supplicium quod alteri paravit ipſe ſuſtinuit. Nam à Rege Aſſuero morti judicatus eſt, ut ex patibulo quod Mardochæo erexit ipſe penderet. *Aman* eſt peccator, qui non dubitat aliis facto, aut verbo, aut prava voluntate iniuriam inferre. *Aſſuerus* eſt *Chriſtus*, qui peccatorem in extremo judicio pari ſupplicio adiudicabit. Hanc divinæ juſtitiæ menſuram, ut clarius intelligatis ponite ante oculos Viro iniquos qui curarunt Danielem in profundum lacum leonibus devorandum demitti, *Fuſius ex Daniel. c. 14.* Concluſit Dominus ora leonum ne innocentem attingerent: Sed homines ſcelerati, qui Danieli iniuriam intulerunt in lacum conjecti ex templo à leonibus devorati fuerunt. Sic in extremo judicio inſtar Danielis homines innocentes à peccatoribus iniuſtè vexati ſtabunt illæſi & ſecuri. Peccatores autem in profundum inferni lacum præcipitati à tartareis leonibus æternum cruciandi abripientur. *Plura exempla ſi velit ex eodem Indice.* Concluſio.

Cavendum igitur peccatum à juſto Iudice tam ſeverè vindicandum, cavenda iniuria proximi, cavenda ſuperbia, cavenda invidia &c. *Deſcendendo ad particularia crimina de quibus Concionator cupit ſuos admonere, quæ etiam in Indice videri poſſunt, & per Exempla illic poſita dilatari.*

§. III.

Tertiæ parti praxis & exemplum, ut ſupra de Sententia.

Levate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra. *Quis* hæc verba profert? Chriſtus, qui non tantum eſt ſevrus judex, ſed etiam benignus conſolator *Quibus* hæc dicuntur? Iuſtis & piis hominibus, qui in vita fuerunt iniuriis & tribulationibus oppreſſi, nec permiſſi caput attollere, tunc tandem in die judicii illis dicetur, *Levate capita veſtra.* Vide *Tribulatio, Tentatio, Patientia*, & ex illis (ſicut ſupra ex *Iuſtitia*) eligantur exempla Ioſephi, Tobiæ, &c. quibus oſtendatur juſtos, qui in hac vita multis tribulationibus opprimuntur in die judicii viſo Redemptore habituros gaudium, gloriam, conſolationem; pro quo videri poteſt in Indice *Conſolatio & Gloria æterna.* *Poterit ſi velit, pergere ad aliam ſententiam ex Evangelio eligendam, & ex indice deducendam juxta praxim jam aſſignatam.*

In fine autem debet Orator majori affectu & vocis contentione perorare. Scopum etiam dictionis ſuæ repetere, & ardentius inculcare: quandoque per apoſtrophen ſermonem ad Deum, aut Sanctos, aut alios pro re nata convertere: auditores denique ad propoſita firma & ſcopo dictionis conſentanea vehementius incitare.

Ad hæc plurimum conducunt, primo ante Concionem privata oratione gratiam cũ fructu prædicandi à Deo ſuppliciter poſtulare: Secundò, piæ meditationis exercitio affectum illum in ſe concitare, ad quem cupit auditores impellere: Tertiò, modum prædicandi in optimis Concionatoribus accurate obſervare, eumque conari in praxim reducere, quantum propriæ naturæ vires & inclinatio patietur: ille enim dicendi modus maximè placere ſolet, qui minimè affectus apparet.

Porrò, ut prædictus Apparatus & praxis ex eo concionandi facilius ab incipientibus in uſum redigatur, aſſignamus infra per reliquas Dominicas, 1. Evangelium diei: Puncta ſive ſententias ex eo ſelectas, & conceptus de ſingulis punctis ac concionandum idoneos; Apponimus ad ſingulas ſententias Titulum in Indice ſive Apparatu contentum, ut ex eo in promptu habeat Concionator materiam idoneam ex qua ſententiam ſuam & conceptum facilè & copioſè deducat.

Denique eandem praxi, qua nos pro ſingulis Dominicis & Feſtis, pro faciliori tantum

norma, aliquas ſententias & materiam adaptavimus, poterit deinceps Concionator, cum placuerit, ſententias alias ex eodem Evangelio eligere, & illas materiæ quam habet in Apparatu accommodare.

Ad extremum obſerva, materiam pro Dictione peti poſſe non tantum ex Apparatu; ſed etiam ex Controverſiis ſuperius tractatis, & Exemplis aliiſque in Catecheſi infra inducendis, eorum Indices aut Titulos percurrendo, ubi pro omnibus Fidei myſteriis, & officiis juſtitiæ Chriſtianæ exempla ſelectiſſima fuſius deducuntur.

MATERIÆ Dictionis

In Dominicis per Annum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Evangelium, *Luc. 21. Erunt ſigna*, &c.

I. NArratur totum Euangelium Dominicæ: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis*, juxta praxim primæ partis ſuprà.

II. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate*. Adventus Chriſti erit peccatoribus tremendus, quia ſtricto judicio omnia occulta examinabit, & pœnam ex æquo retribuet. Vide ex Apparatu *Iudicium rectum, Iuſtitia divina*.

III. *Tunc videbunt* Hæretici Chriſtũ in nube cum tremore, qui noluerunt illum in Euchariſtia, aut in vera Eccleſia agnoſcere v. *Euchariſtia, Eccleſia*. *Tunc videbunt* Avari Chriſtum in nube, qui illum noluerunt videre in paupere. V. *Eleemoſyna*. *Tunc videbunt* Chriſtum in nube lucida Operarii tenebrarum, qui non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum V. *Luxuria, Aſtutia, &c.*

IV. *Levate capite veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Iuſti & pii qui in hac vita tribulationibus opprimuntur, in extremo iudicio levabunt caput cum gaudio, & conſolatione Vide *Tribulatio, Conſolatio*. Et infra *in Catech. c. 5. in fine. 4. Noviſſima*.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

E*Runt ſigna in ſole, luna, & ſtellis.* Poſuit Deus tam multa & clara ſigna futuri Iudicii & Mortis: quia horum memoria maximi momenti eſt ad naturam converſionem, & virtutis exercitium, v. ſup. *Mors, Iudicium.*

Cœlum, & terra tranſibunt. Omnia huius mundi ſunt fluxa, & mutabilia ut honores, opes, ſanitas, amici, præter ſolum Deum: ideò rectè additur. *Verba autem mea non præteribunt.* Quia veritas Domini manet in æternum, & ea ſola hominem fœlicem facit. Vide ſupra in Apparatu V. *Veritas.*

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Scandalizantur in Chriſto qui nolunt ſequi doctrinam, & exemplum illius, ut Humilitatem, Patientiam, Charitatem, &c. de quibus ſupra in Apparatu. Nihil magis ſcandalizat Eccleſiam Chriſti, quam improbitas Chriſtianorum.

Dominica II. Adventus.

Matth. 11. *Cum audiſſet Ioannes &c.*

I. NArratio totius Evangelii, *juxta praxim* Narrationis ſupra.

II *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.* S. Ioannem in carcere, Ita juſtorum vitam exercet Deus per vincula patientiæ, morbos, paupertatem, perſecutiones in hoc mundo, &c. Nam ut purum aurum in igne probatur, ita juſti in tribulatione. Vide in Apparatu V. *Patientia*, & varia eius exempla, & documenta.

III. *Exiſtis videre arundinem vento agitatam.* S Ioannes manſit in adverſis conſtans, ſed homines reprobi inſtar arundinis cum omni vento tentationis facilè inclinantur ad peccatum. V. *Conſtantia, Peccatum*, & ſpecies peccati, *Superbia, Avaritia, &c.* Item *Catech. cap. 3. de præceptis.*

IV. Contra Hæreticos, *Cœci vident, claudi ambulant &c.* Quomodo Fides (præſertim nova) debeat miraculis confirmari, vide ſupra in *Polemicis* part. 1. pag. 40.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

C*Oeci vident, claudi ambulant, etc. Matth.* 11. Peccatores alii cœci, alii claudi, alii leproſi &c. & de hoc vide A lapide ad Epheſ. 3. v. 1. item 1. Tim. 2. v. 8 fusè.

Quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam. Fragilitas humana inſtar arundinis, quæ fortunæ ventis expoſita eſt.

Hæc dici poteſt quantam fortitudinem Ioannes per tribulationem obtinuerit, quæ hominem Chriſtianum decet, nam inconſtantia multos à fide & virtute avertit. A lapide Eph. 4. v. 13. n. 140.

Abeun-

Abeuntibus illis cæpit Ieſus dicere. Chriſtianum eſt defendere honorem alienum juxta illud: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Beatus qui non fuit ſcandalizatus in me. Scandalizantur in Chriſto, qui non ſequuntur doctrinam & exemplum ejus, Nam illorum improbatis ſcandaloſa eſt Chriſto & Eccleſiæ.

Dominica III. Adventus.

Ioan. 1. *Miſerunt Iudæi &c.*

I. NArratio Evangelii, juxta praxim Narrat. vbique ſervandam.

II. *Tu qui es?* Homines ſuperbi, & qui ſe jactant, ſolent alios interrogare, *Tu qui es?* Sed deberent potius interrogare, & examinare ſeipſos, & ſua vitia. Vide in Apparatu *Iactantia, Superbia.*

III. *Ego vox clamantis in deſerto.* S. Ioannes ex humilitate dicit ſe tantum eſſe *vocem*, quæ eſt res leviſſima. Sed melius id poſſunt dicere multi homines, qui tantum habent verba, & voces, & nihil veritatis. V. *Humilitas, Mendacium.*

IV. *Ego Baptizo in aqua.* Baptiſmus Ioannis tantum habebat aquam pœnitentiæ, ſed Baptiſmus Chriſti confert etiam gratiam, & ſalutem. *Baptiſmus*, item in *Catech. c. 4.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

COnfeſſus eſt, & non negavit, Ioannis 1. Mendacium homini noxium & pernicioſum, quapropter omnibus ut peſtis fugiendum, nā ex mendacio veluti ex fonte promanant, duplicitas, iniuſtitia, furtum, &c. Simplicitas, ſeu ſinceritas amplectenda, è contra vero hypocriſis fugienda. Confeſſio recta, & ſincera hominem ducit ad vitam cœleſtem, duplicitas & hypocriſis ad vitam gehennalem.

Ego vox clamantis in deſerto parate viam Domini. Humilitas Ioannis maxima fuit, & ex humilitate in tantum evaſit ſanctum, ut ſacræ paginæ, non ſurrexiſſe majorem inter natos mulierum Ioanne Baptiſta, de eo teſtentur: ſi igitur ipſius veſtigiis inſiſtere velimus oportet in omnibus actionibus humilem eſſe, præcipuè tamē hæc virtus exercenda eſt dum nos ad ſacram ſynaxim præparemus: deinde via, quæ eſt anima noſtra, præparanda eſt, & videndum num illa recta ſit, id eſt, num illa ſemper habeat rectam intentionem, num ſit iuſta, ſuum cuique tribuendo, quod ſuum eſt? Modus quo illa diſponatur eſt confeſſio frequens fuga occaſionum, emanſio è conſortio pravorum, bona propoſita, &c.

Dominica IV. Adventus.

Lucæ 3. *Anno quintodecimo.* Nar. Evang.

I. PRædicans Baptiſmum pœnitentiæ. Pœnitentia neceſſaria: eſt ſecundus Baptiſmus. V. *Pœnitentia, Baptiſmus, Confeſſio peccatorum.* Eadem *in Catech. c. 4.*

Hæretici malè negant *Baptiſmum Pœnitentiæ* per Confeſſionem, & Abſolutionis Sacerdotis Vide *in Polemicis par. 1. pag. 131.*

II. *Parate viam Domini:* virtutes quæ requiruntur ad parandam viam Domini in noſtra anima. V. *Amor Dei, Humilitas, Fides, Spes, Oratio, &c.*

III. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Superbi ſicut montes ſupra alios elati, à Deo deſeruntur, & humiliantur. V. *Superbia.*

Nativitas Domini.

Lucæ 2. *Exiit edictum.* Narratio.

I. NAtus eſt nobis hodie Salvator. Quanta Dei bonitas, qui voluit Filium ſuum pro nobis incarnari, & in ſtabulo naſci. Vide *Benignitas Dei, Gratitudo erga Deum, Chriſtus.*

II. *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Si Filius Dei è cęlo ad ſtabulum ad nos deſcendit, quomodo non debemus pro Deo nos humiliare, & mundi vanitates abnegare. V. *Humilitas, Abnegatio.*

III. *Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* Homines bonæ voluntatis debent ex amore Chriſti habere pacem cū Deo, cum proximo, cum propria conſcientia. Vide *Pax, Concordia* Item *Odium, Invidia.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

I*Nclinavit eum in præſepio, quia non erat &c. Luc. 2.* Cor noſtrum tabernaculum eſſe debet Chriſti Ieſu naſcentis.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus &c. Divinæ perfectiones communicantur à Chriſto nato hominibus bonæ voluntatis.

Cum in formam Dei eſſet exinanivit ſeipſum, Philip. 2. Cur Dei filius ſe ad ſummam inopiam exinaniverit & humiliaverit? nempe ut nobis exemplum præberet quomodo nos in hoc mundo gerere debeamus.

Parvulus natus eſt nobis, Iſaiæ 9. Facilius nobis cum Filio Dei parvulo ſalutis negotium

Daniel adoleſcens ſapienter duos ſenes ex ipſorum ore convincit, & Suſannam innocentem à morte liberavit, *Dan.c.13.* Idem ſapientiſſimè Nabuchodonoſoris ſomnium expoſuit, & ab eo honorari meruit, *Dan.c.2.* Chriſtus iubet Apoſtolos, & fideles eſſe prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbas, *Matth.c.10.* Vnde paret prudentiam non in verſutia, & fraude, ſed in ſimplici veritate, & virtute poſitam eſſe.

Virgines pingue in Euangelio, *Matth.cap.25.* dicuntur à Chriſto prudentes, quia curarunt in lampadibus ſuis oleum habere, id eſt, bona opera, fidem, charitatem &c.

Similitudo eſt primò inter Sapientes & bonos Medicos, ſicut enim Medici ſanant morbos corporis. Sic Sapientes curant infirmitates, & paſſiones animorum.

Sapientia eſt inſtar Odoramenti fragrantiſſimi, quia non tantum Sapientem, ſed etiam alios vicinos, & qui cum illo agunt Sapientia, & doctrina ſua oblectat & meliores facit. Hinc Regina Saba aliique concurrebant, ut audirent Sapientiam Salomonis.

Socrates apud Stobæum *ſermon.de virtute* comparat Os ſapientis, Ianuæ templi, qua aperta, & altaria, & Sanctorum imagines, & pulcherrima virtutum ſimulacra conſpiciuntur.

Sicut Navarchus novit ſe ventorum mutationibus variis accomodare, & ita ad portũ pervenire; ſic etiam Sapiens per proſpera & adverſa tendit ad Deum, ut finem ultimum, & portum ſalutis æternæ.

Sapientia eſt inſtar Salis, quia per eam condiuntur mores hominum ne ſint inſulſi & à corruptione vitiorum conſerventur.

Sapientis Mores in multis moribus Divinis aſſimilatur: Deus maximè omnium intelligit, & minimè omnium loquitur, ita Sapiens. Deum per peccata hominum maximas iniurias patitur, & minimè turbatur, ita Sapiens. Deus præſens eſt inter omnes totius orbis mutationes, & ipſe nunquam mutatur, ita Sapiens. Deus extra ſeipſum beatitudinem & ſolatium non quærit; ita Sapientis propriũ eſt ab animo ſuo rectè diſpoſito omnem ſuam lætitiam & felicitatem habere, & ſolatia à creaturis non emendicare. Hæc ſunt prima veræ ſapientiæ ac felicitatis principia.

Principium aliud maximæ ſapientiæ cum aliis tradit ipſe Cicero lib 5. Tuſculan. Moderari & ſiſtere cupiditates. Sicut (inquit) Stultitia, etſi adepta eſt quod concupivit, nunquam tamen ſe conſecutam putat, ad alia, & alia inhians? ſic Sapientia ſemper eo contenta eſt quod adeſt, & ita nunquam illam ſui pænitet.

Sententia de Sapientia, & Prudentia.

FOns ſapientiæ Verbum Dei, *Eccl.1.*
Trahitur ſapientia de occultis, *Iob 28.*
In malevolam animam non introibit ſapientia, *Sapient.1.*
Initium ſapientiæ timor Domini, *Pſ.110*
Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt, *Prov.1.*
Sapiens timet & declinat à malo. *Prov 14.*
Neminem diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat, eſt enim hæc ſpecioſior ſole, *Sapient.7.*
Sapiens non odit mandata & iuſtitias, *Eccleſ.33.*
Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens, *Cor.3.*
Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, *Rom.1.*
Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, *1.Cor.3.*
PATRES &c. Sapientia vera eſt noſcere ſeipſum.
Ad veram ſapientiam pervenire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiducia deſipiunt, *Gregor.*
Sapientia illa clara eſt, non quæ in verbis volat, ſed quæ virtutibus conſtat, *Greg.*
Diſcat qui neſcit, nam ſic ſapientia creſcit, *Stan.*
Odi ſapientem, qui non eſt ſibi ipſi ſapiens, *Menander.*
Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia, *Plautus.*
Iſtuc eſt ſapere, qui vbicumque opus ſit, animum poſſis flectere, *Terentius.*
Conſilia omnia verbis prius experiri, quam armis, ſapientem decet, *Terentius.*
Nihil ſapienti neceſſe eſt, *Seneca.*
Sapientia eſt ſanitas animi, *Cicer.*
Nihil eſt turpius, quam ſapientis vitam, ex inſipientium ſermone pendere, *Cicer.*

PRVDENTIA.

EStote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.
Vbi non eſt gubernator, populus corruet, ſalus autem ubi multa conſilia, *Prov.11.*

Melior

Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens quam fortis, *Sapien.6.*

Filii huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſunt, *Luc.16.*

Verba prudentum ſtatera ponderabuntur, in fatuorum cor illorum, *Eccleſ.21.*

Stultus ſi tacuerit ſapiens reputabitur, *Prov.*

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, quia prudentia abſque bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur, *Hieronymus.*

Ex lingua ſtulta veniunt incommoda multa, *Stan.*

Fac mala, dic multum, ſi vis te reddere ſtultum, *Idem.*

Qui non os claudit, quod non vult ſæpius audit, *Idem.*

Prudentiæ eſt futuram iniuriam præcavere. *Democritus.*

Prudentes poſſumus dicere providentes. *Cicero.*

Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, præterita cogita, præſentia ordina, futura prævide. *Seneca.*

Non poteſt eſſe iucunda vita à qua abſit prudentia. *Cicero.*

Adag. Annoſa vulpes haud capitur laqueo. Eum auſculta, quia quatuor ſunt aures, id eſt, qui multum audit antequam loquitur.

SPES, FIDUCIA.

SPerare debet homo bonum repromiſſum, licet differatur. Multis annis exſpectavit Abraham filium, quia Centenarius erat quando natus eſt ei Iſaac, *Geneſ.21.* A promiſſione facta Abrahæ uſque ad ingreſſum ſeminis ſui in terram promiſſionis fluxerunt anni 460 *Geneſ. 15.* Erat Simeon in Ieruſalem diu exſpectans conſolationem Iſrael, id eſt, adventum Chriſti, *Lucæ 2.* Aſcenſurus Chriſtus in cœlum præcepit Apoſtolis, ne deſcenderent, ſed expectarent promiſſum Patris, *Actor.1.*

Sperare debet homines conſolationem in tribulatione. Afflictus corpore, ſpoliatus rebus, orbatus filiis ſic dicebat Iob, Si occiderit me in ipſo ſperabo, *Iob 13.* Parentibus Tobiæ irridentibus eum & dicentibus? Vbi eſt ſpes tua? Reſpondit, Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam ſperamus, quam daturus eſt Dominus his qui fidem non mutaverunt ab eo, *Tob.2.* Cum Suſanna eſſet morti condemnata, erat cor ejus in Domino fiduciam habens, *Daniel 13.*

Spes & fiducia in Deum rectè comparatur ſtellæ polari, ad quam nautæ in tempeſtate reſpiciunt & curſum dirigunt: ſic nobis in omni tribulatione reſpiciendum eſt ad Deum & ejus auxilium ac promiſſa, ut curſum hujus vitæ rectè & ſecurè dirigamus ad portum ſalutis. Præclarè hanc ſpem & fiduciam explicat totus *Pſalmus 90. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi &c.*

Spem noſtram Lucernæ comparat S. Auguſtinus *in Enchir.* Lucerna, inquit, animæ ſpes ejus, ab illam operatur omnis homo quidquid boni ad ſpem facit, & in nocte ardet lucerna noſtra. Oleum hujus lucernę eſt verbum Dei & ejus promiſſa, quæ faciunt, ut lucerna ſpei noſtræ non extinguatur.

Sicut peregrinantium labores & tędia relevat ſpes perveniendi in ſuam Patriam, ſic labores hujus vitæ multum mitigat ſpes perveniendi ad patriam cæleſtem: hic enim ſumus *hoſpites & advenæ ſuper terram*, ut loquitur Apoſtolus.

Spem noſtram vocat *Laurentius Iuſtinianus, in ligno vitæ cap.2.* Columnam firmiſſimam qua totum ſpirituale ædificium ſuſtentatur, ſpe autem deficiente, totum ædificium corruit in barathrum deſperationis.

E contra ſpes quæ extra Deum reponitur in Homine, aut favore, aut opibus, eſt inſtar Arundinis, cui ſi innitaris ſtatim frangitur & te in lapſum præcipitat, eſt etiam inſtar myricæ ſive terræ ſiccæ ac ſterilis in qua nihil creſcit, & nullum fructum habes, poſt inanem laborem: Hinc rectè *Hieremias* Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus, *Hier. c.17.*

VIDE EX BREVIARIO. Spes, Commun. non Pontif. num.3. lect.2. *&* Octob. Aſcent. num.2. lib.2.

Vide *Fides, Benignitas Dei.*

Sententiæ ſelectæ de Spe & Fiducia.

QVi ſperat in Domino beatus eſt, & non infirmabitur, *Prov.16.*

Beatus vir qui confidit in Domino, *Ieremiæ 17.*

Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, *Pſal.39.*

Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, *Pſal.72.*

Si coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt, *Sapient 3.*

Spes hypocritæ peribit, *Iob 8.* Spes Impiorum deficiet, *Prov.10.*

Fides credit, ſpes, & charitas orant, *Auguſtinus*.

De ipſe incaſſum præſumit, qui timere Deum in ſuis operibus temnit, *Gregor.*

Qui nihil poteſt ſperare, deſperet nihil. *Seneca*.

Sola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet. *Cicero.*

Qui duos inſectatur lepores, neutrum capit. i. in eos qui nimis multa ſimul ſperant.

Corvum deluſit hiantem. *Horat.* in raptorem ſpe ſua fruſtratum.

SVPERBIA.

Superbia ducit hominem ad ruinam: Ideò Chriſtus dicit, qui ſe exaltat humiliabitur, *Matth.* 23. Volentes ſuperædificare turrim in cœlum diſperſi ſunt per diviſionem linguarum, *Gen.* 11. Graviter fuit punitum peccatum elationis David, quando ſuperbe populum numeravit, 2. *Reg.* 24. Aman qui volebat ab omnibus honorari fuit in patibulo ſuſpenſus, *Heſt.* 7. Nabuchodonoſor per ſuperbiam depoſitus eſt de ſolio, & gloria ipſius ablata eſt, *Dan.* 4. Balthaſar per ſuperbiam interfectus eſt, & Darius ſucceſſit ei, *Dan.* 5. Herodes ſuperbè indutus, cum populus ei acclamaret laudes divinas, ab Angelo eſt percuſſus, *Actorum* 12.

Superbi ſimiles ſunt Fumo, qui ſua levitate in altum extollitur, & ipſa elatione in magnum globum intumeſcit, ſed quanto globus ille fit altior, tanto magis evaneſcit, ſic ſuperbus, quanto magis exaltatur, tantò citiùs deficit, *Ita S. Aug. in Pſal.* 36.

Similis eſt ſuperbus Ebrioſo, qui optimo vino abutitur ad vertiginem & inſaniam, ſic homo per ſuperbiam ſuas virtutes vertit ſibi in arrogantiam & iactantiam, & aliorum contemptum, *ita S. Hier.*

Quemadmodum corpus perdita humorum recta temperie fit obnoxium omnibus morbis, ita animus amiſſa humilitate omnibus paſſionibus & vitiis exponitur, & redditur tumidus, temerarius, imprudens, arrogans, & tantùm non ſtultus, ut vix ſeipſum amplius cognoſcat.

Quemadmodum avari quanto plus opum accumulant, tantò magis ſe egere exiſtimant, ita ſuperbi & arrogantes quanto maiori honore fruuntur, tantò magis magiſque cupiunt honorari.

Quod in corporibus Tumor, hoc in animabus ſuperbia eſt, ſicut enim corpus quod immodicè turget ſanum eſſe non poteſt, ita & animos tumidorum dicimus mentis ſanitate carere, *S. Chryſoſt. Homil.* 13. *in Timoth.*

Vt in area extollitur Palea ſuper triticum, non quod ſit dignior, ſed ſit levior, ſic in hac vita ſuperbus fertur ſupra humilem, non ob meritum & virtutem, ſed ob vanitatem & falſam opinionem.

VIDE EX BREVIARIO. Superbia *quid ſit*, Dom. infra Aſcenſ. n. 2. l. 2. Domin. 2. Septemb. num. 2. lect. 3. *Initium omnis peccati*, 2. Novemb. num. 3. lect. 1. Gloriatio vana *perdit beneficia accepta*, Dom. 2. Septembris num. 2. lect. 3.

Vide *Humilitas*.

Sententiæ ſelecta de ſuperbia. V. ſupra de Humilitate.

Audeo dicere ſuperbis, utile eſſe cadere in aliquod apertum & manifeſtum peccatum unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant, *Auguſt.*

Vermis divitiarum eſt ſuperbia: difficile eſt ut non ſit ſuperbus qui dives eſt; tolle ſuperbiam & divitiæ non nocebunt, *Auguſt.*

Humilitas homines ſanctis Angelis ſimiles facit, & ſuperbia ex Angelis dæmones reddit. *Auguſtinus*.

Superbia de ſuperis cæleſtibus ad ima præcipitat, humilitas ab imis ad alta levat, *Bernad.*

Superbia de Angelo diabolum fecit, & homini mortem intulit, *Caſſiod.*

Omnis fere diligit ſibi ſimilem, ſolus ſuperbus odit elatum, unde inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia, *Caſſiod.*

Omnis inſipiens arrogantia & plauſibus capitur, *Menander*.

Video nos, nihil aliud eſſe præter ſimulachra quædam, quotquot vivimus, ut umbram levem, *Sophocles*.

Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores, *Claudianus*.

Eſt verum verbum, frangit Deus omne ſuperbum.

Cum fex, cum limus, cum res viliſſima ſimus,

Vnde ſuperbimus? neſcimus quando perimus, *Stan.*

IACTANTIA. Filia eſt ſuperbiæ.

Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, *Rom.* 1.

Dum cauſa iactantiæ pauper paſcitur: etiam ipſum miſericordiæ opus in peccatum convertitur, *Iſidorus*.

Mirabile jactantiæ genus, ut non poſſis putari

tari ſanctus, niſi ſceleratus appareas, *Bernard.*

Iactantia non eſt vitium laudis humanę, ſed vitium animę perverſę amantis humanā laudem, ſpreto teſtimonio conſcientiæ, *Auguſt.*

Qui ſeſe laudat, laudis ſe munere fraudat.

T.

TENTATIO.

Tentat Deus aliquando hominem ut probet illum: Sic tentavit Abraham & dixit ei, tolle filium tuum quem diligis & offer illum, *Gen.* 22. Dixit Dominus ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum, ipſe verò ſciebat quid eſſe facturus. *Ioan.* 6. Poſtquam Tobias fuit cæcatus ſuſtinuit tentationem, quam permiſit Deus pervenire illi, ut poſteris exemplum patientiæ daretur, *Tob.* 2. Iudith dixit tempore obſidionis, memores eſſe debetis quomodo tentati ſunt patres, ut probarentur ſi verè colerent Deum, *Iudith* 8. Iob propter multas tribulationes dicebat, probavit me Dominus quaſi aurum quod per ignem tranſit, *Iob* 23. Tentavit Deus Petrum ambulantem ſupra mare per ventum validum, id eſt, tribulationem, *Matth.* 14.

Non debent homines Deum tentare: Sicut populus Iſrael multoties tentavit Deum in deſerto, *Num.* 8. Oziam qui ſtatuit populo terminum, reprehendit Iudith, dicens: Qui eſtis vos qui tentatis Deum, *Iudith* 8. Iudæis quærentibus, ſi liceret cenſum dare Cæſari, ut Ieſum caperent in ſermone, reprehendit eos, dicens: Quid me tentatis hypochritæ? *Matthæi* 22. Cum ejeciſſet Ieſus dæmonum & locutus eſt mutus, quidam tentantes eum quærebant ſignum de cœlo, *Matth.* 16. Petrus increpans dixit Saphyræ uxori Ananiæ, Quid convenit vos tentare Spiritum ſanctum, ut patet *Act.* 5.

Tentat Diabolus mentiendo, unum pro alio oſtendendo: Sic falsò dixit Evæ: Nequaquam moriemini, & promiſit bona ex tranſgreſſione: Eritis ſicut Dii, *Geneſ.* 3. Salvatori etiam oſtendit regna mundi, dicens mentiendo. Hæc omnia dabo tibi ſi cadēs adoraveris me, *Matth* 4.

Tentationes volentes vitare, ſapientia uti debent in reſiſtendo: Chriſtus à dæmone tentatus in gula, ſuperbia, & avaritia, ad quæ poſſunt omnes aliæ tentationes reduci, ſapienter oſtendit quomodo oporteat nos tentationes ſuperare, *Matth.* 4.

VIDE EX BREVIARIO Tentatio *fit ſuggeſtione, conſenſu, delectatione*, Domin. 1. Quadr. num. 3. l. 3. *tam de bono quam de malo periculoſa eſt*, Dom. Paſſ. n. 2. l. 3.

Vide *Tribulatio, Conſolatio divina*.

Sententiæ ſelectæ de Tentatione.

Qui non eſt tētatus, pauca novit, *Eccleſ.* 34.

Filii, accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, *Eccleſ.* 2.

Fidelis Deus qui non ſinet vos tentari ſuprà id quod poteſtis, 1. *Cor.* 10.

PATRES. Vita noſtra in peregrinatione non poteſt eſſe ſine peccato, & ſine tentatione, *Auguſtin.*

Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodeſt ut exercearis, *Idem.*

Hoſtis noſter quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit, *Gregor.*

Humanum eſt in corde tentationem perpeti, dæmoniacum totum eſt in tentationis certamine ſuperari, *Gregor.*

In tentationibus eſto fortis, multos enim majorum noſtrorum illæ arguerunt, *Bern.*

Diabolus quando decipere quemquam tentat, prius ad naturam uniuſcuiuſque intendit, & inde ſe applicat, unde aptum hominem ad peccandum aſpicit, *Gregor.*

Bellum grave quia occultum, *Caſſiod.*

Vide infra ſententias plures, Verbo *Tribulatio*.

TIMOR DOMINI.

Omnis Dei timor, etiam ex motu pœnæ, per ſe bonis, & utilis eſt contra peccatum: Timor Domini expellit peccatum, *Eccl.* 1. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus, *Prov.* 28. verebar omnia opera mea, ſciens quia non parces delinquenti, *Iob* 9. Et ideò à S. Bonav. timor comparatur oſtiario, qui ſtare debet ad oſtium cordis, ne permittat inimicum intrare, ſcilicet dæmonem, peccatum, tentationes, & pravas cogitationes. S. Bernardus multas breviter ſimilitudines & encomia de timore adducit, in *Cant. ſerm.* 86. Timor verecundus & caſtus eſt omnium ætatū ornatus: eſt ſplendida gemma morum in vultu adoleſcentis: eſt bonæ ſpei nuncius: eſt bonæ indolis index: eſt teſtis innocentiæ: eſt lampas pudicæ mentis. Eſt famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes naturæ laus, inſigne totius honeſtatis.

Timere debet homo Deum omni tempore. Quia in hac vita non poteſt eſſe ſecurus. Nam Angeli in cœlo, & primi parentes in terreſtri Paradiſo peccaverunt, ut patet *Geneſ.* 3. & *Eſaiæ*

Eſaiæ 4. Loth qui inter peſſimos peccatores in Sodomis fuit bonus, tamen poſtquam exivit eſt inebriatus & cum filiabus peccavit, *Geneſ.* 19.

Timor Domini facit hominem à peccatis deſiſtere, & cavere. Obſtetrices Deum timuerunt, ideò non necaverunt filios Hebræorum, *Exodi* 1. Eleazarus nolens vetita manducare, ait: Domine propter timorem tuum libenter hæc patior, 2. *Machab.*

Timor Domini cauſa eſt quod homo benè operetur & obligat Deum. Ideò voluit Dominus filiis Iſrael timorem incutere, & legem cum tonitru & igne dare, *Exodi* 20. Ioſaphat docuit judices ut timor Domini eſſet inter eos ſi benè vellent regere populum. Plus timens Tobias Dominum quàm Regem, rapiebat corpora occiſorum & ſepeliebat ea, ut patet, *Tobiæ* 2. Item commendatur Iob, quod eſſet bonus, juſtus, & timens Deum, *Iobi* 1.

Timorem Domini non habentes graviter puniuntur. Nam omnes quos miſit Rex Babylonis ad inhabitandum Samariam non timuerunt Deum, & miſit Deus Leones qui interfecerunt eos, *Reg.* 17. Ionas qui Deum non ſatis timuit tempeſtatem meruit, id nautæ videntes, timuerunt Deum, *Ion.* 1. Ob hanc cauſam dixit Dominus: Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam, *Matth.* 10.

Sicut qui tranſit anguſtum Pontem ſemper timet ne cadat antequam ad terram firmam perveniat, ſic Chriſtianus inter anguſtias & pericula hujus vitæ ſemper metuit ne labatur in peccatum, antequam veniat ad ſtatum ſecurum vitæ æternæ.

Sicut neceſſe eſt ut ſemper timeat qui Theſaurum portat per loca prædonum inſidiis infeſta, Ita neceſſe eſt in decurſu hujus vitæ formidare, ubi infeſtiſſimi animarum prædones, dæmon, mundus, caro nituntur, nos pretioſo divinæ gratiæ theſauro ſpoliare.

Quemadmodum Fræno opus eſt equiti ne à ferociente equo per avia & devia abripiatur, ita fræno timoris divini opus eſt, ne ab indomitis cupiditatibus & vitiis noſtris in interitum præcipites abripiamur.

Sicut pueri in Scholis à negligentia ac petulantia deterrentur dum vident ſocios ſuos examinari & ſupplicio affici, ita nos ex aliorum interitu debemus nobis formidare, & clamare ad Dominum, confige timore tuo carnes meas.

Vti ſoli radius quando per foramen domum ingreditur quæ in ea ſunt illuminat, ita ſi timor Domini fuerit in anima, efficitur omnia ſua peccata etiam minutiſſima obſervet, *Climacus de diſcret. grad.* 26.

Sicut per Corium acu perforatum prius ſeta, & poſt eam filium ingreditur, ſic timor Domini in animam hominis charitatem & juſtitiam introducit, *S. Auguſt. in Epiſt. S Ioannis.*

VIDE EX BREVIARIO. Timor Domini diſcendus, Dom. 5. Nov. n 2. l. 3. *timor ſanctus eſt ſalutaris*, Dom. 1. Aug. n. 2.

Vide ſupra *Pœnitentia, Humilitas.*

Sententiæ ſelectæ de Timore Domini.

INitium Sapientiæ timor Domini, *Prov.*

Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam *Matth.* 10. *Luc.* 12.

Noli altum ſapere, ſed time, *Rom.* 11.

Beatus homo qui ſemper eſt pavidus, qui verò mentis eſt duræ corruet in malum, *Proverb.* 28.

Qui timet Dominum nihil negligit. *Eccleſiaſt.* 7.

Timor Dei initium dilectionis ejus. *Eccleſiaſt.* 25.

Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum Domine. *Pſal* 60.

Beatus vir qui timet Dominum: potens in terra erit ſemen ejus, gloria & divitiæ in domo ejus, *Pſal.* 111.

Timenti Dominum bene erit in extremis & in die obitus ſui benedicetur, *Eccleſ.* 1.

Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, *Ibid.*

Qui timet hominem cito corruet. *Proverbiorum* 29.

Si Deus pro nobis, quis contra nos. *Rom.* 8.

PATRES, Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo, ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil eſt homo, *Bern.*

Facile deviat à juſtitia, qui in cauſis non Deum, ſed homines pertimeſcit, *Chryſoſt.*

Si amor Dei te tenere non poteſt, ſaltem teneat & terreat timor judicis, *Gregor.*

Stultos in ſumma pericula miſit.
Venturi timor ipſe mali, fortiſſimus ille eſt
Qui promptus metuenda pati, *Lucan.*
Degeneres animos timor arguit, *Virg.*
Audaces fortuna juvat timidoſque repellit.
Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurū.
A cane non magno ſæpe tenetur aper. 1.
Parvi etiam timendi *Ovid.*

Stultitia eſt timore mortis mori, *Cic.*

Stultum eſt timere quod vitari non poteſt. *Idem.*

Tutiſſima res eſt nil timere præter Deum. *Idem.*

Adag. Vmbram ſuam metuere. *Plato.* In eos qui pueriliter minima trepidant.

Item,

Item, antetubam trepidat.

Domi Leones, in acie Vulpes. In eos qui in ſuos ſævi, in ſubditos imperioſi, in alios nihil audent.

TRIBVLATIO.

T*Ribulationem libenter & patienter ſuſtinenter ſequitur conſolatio*. Nam Ioſeph plus crevit & proſperatus eſt in exilio, quã ſi fuiſſet inter fratres ſuos, *Geneſ.* 14. Quanto magis Pharao filios Iſrael affligebat, tantò plus multiplicabantur, & creſcebant, *Exod.* 1. Heliam perſecutum à Iezabel Angelus confortavit, & panem & aquam ei attulit, 3. *Regum* 19. Excæcatum & deriſum Tobiam Dominus multipliciter eſt, *Tobiæ* 2. & 10. Pueri in camino ignis receperunt angelicam conſolationem, cum quibus Nabuchodonoſor vidit ſimilem filio Dei, *Dan.* 3. Vnde per Pſalmiſtam dicit Dominus, Cum ipſo ſum in tribulatione.

Tribulationes veniunt propter peccata hominũ. Ideò fratres Ioſeph dixerunt. Meritò hæc patimur, *Geneſ.* 42. Quia poſt obitum Iudæ Machabæi ſurrexerunt iniqui & peccatores, facta eſt fames magna, 1. *Mach.* 9.

Tribulationum remedium eſt oratio. Nam in tempore tribulationis clamaverunt ad te & exaudiſti eos, *Num.* 9. Suſanna in damnatione mortis poſita non habens recurſum ad humanum adiutorium, flens oravit & reſpexit in cælum. *Dan.* 11.

Sicut Avis à canibus circumdata & in terra poſita, non habet refugium niſi elevet ſe in altum, & volet verſus cælum, ita homo in tribulatione.

VIDE EX BREVIARIO. Tribulatio. *In tribulatione non deficiendum*, Sabb. poſt Ciner. *ex ea aliæ virtutes oriuntur*, Octob Innoc. n. 1. & 2. *Quare immittatur* Dom. Paſſ. n. 2. 5. Maii, n. 3. l. 3. Domin. 12. Pentec. n. 2. l. 1. AEgritudo *morbi aliquando vitia ſignificant*, Sab. Pent. lect. 3. Dominica infra Aſcenſ. n. 2. Malum *ſæpè in melius bonum permittitur* Feſt. Epiph. n. 2. l. 2. & Domin. Septuag. n. 2. l. 3. *Inter malos vivere magna virtus*, Dom. 1. Septemb. n. 2. l. 3. Paupertas, *eſt parens aliarum virtutum*, 2. plur. MM. n. c. l. 3. Perſecutio *facit Eccleſiam creſcere*, 3. Iu ii n. 2. 8. Nou. n. 3. l. 2. *duo genera eius*, 26. Iunii, n. 3. l. 3. *non timenda*, ibid & 14. Oct. n. 3. l. 3.

Vide *Tentatio*, *Patientia*.

Sententiæ ſelectæ de Tribulatione.

SI bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus, *Iob.* 1.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas, *Pſal.* 19.

Multæ tribulationes iuſtorum, *Pſal.* 33.

Sicut igne probatur argentum, & aurum in camino, ita corda probat Dominus. *Prov.* 17.

In paucis vexati in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos &c. *Sap.* 3.

Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis, *Eccleſ.* 27.

Infirmitas gravis ſobriam facit animam, *Eccleſ.* 31.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam &c. *Matth.* 5.

Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam, *Matth.* 10.

Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, *Lucæ* 24.

Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur &c. *Roman* 5.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio &c. *Rom.* 8.

Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis, 2. *Cor.* 4.

Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur, 2. *Timot.* 3.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius 1. *Petri.* 2.

PATRES &c. Intelligat homo medicũ eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, *Auguſt.*

In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cinerem vertitur, & illud ſordibus exuitur, *Auguſt.*

Nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt: ſi putas te non habere perſecutiones nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus, *Idem.*

Si promiſsa patris bene agnoviſti, non timeas flagellari ſed exhæredari, *Idem.*

Aurem cordis tribulatio aperit, quam ſæpe proſperitas huius mundi claudit, *Gregor.*

Cum recognoſco Iob in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum extenſum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit, quos amat, *Gregorius*.

Parva toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum, *Caſſiodorus*.

Dulcia non meruit qui non guſtavit amara. Vide Sent. de *Patientia* & *Tentatione*.

V.

VERITAS.

Veritas apud malos homines odium parit. Sic Zacharias filius Ioiadæ verè, & juſte arguebat Regem,& Principes, quod Dominum & eius legem dereliquiſſent, & ideò in odium veritatis ad imperium Regis Ioas lapidatus fuit, 2. *Paralip. c.*24. Achior quia narrabat vera quæ Deus fecit populo Iſraelitico,indignatus eſt illi Rex Holofernes,& coactus eſt exulare, *Iudith.c.*6. Cum Propheta Baruch ex volumine legis prędixiſſet Regi Ioachim vera de futura captivitate Iſrael, juſſit Rex volumen in ignem projici, *Hierem. c.*36. Et Hieremias Propheta, quia civitatis Hieruſalem captivitatem prædixit, in lacum miſſus fuit, *Hierem. c.*38. Et Daniel quià apertè probavit idolum Beel non eſſe Deum, in locum leonum miſſus fuit, unde ipſum Deus & veritas liberavit. *Daniel c.*7. Quia Ioannes Baptiſta veritatem dixit Herodi *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*,in carcere decollatus fuit, *Matth.c.*4. Cæcus à Chriſto illuminatus, quia Phariſæi veritatem apertè dixit, extra Synagogam eum proiecerunt, *Ioannis* 9. Quando Apoſtoli Principibus Sacerdotum de doctrina Chriſti vera prædicabant,cæſi fuerunt, & juſſi ne de Chriſto amplius loquerentur, *Actuum c.*5.

Cur denique paſſi ſunt tot Martyres, Confeſſores, & hodie verbi divini prædicatores tot iniurias, & contumelias patiuntur? Niſi quia veritatem liberè annunciant, & aliorum erroribus aſſentiri nolunt.

Qui veritatem ſtudioſè ſectantur, Similes ſunt illis qui ex viſceribus terræ aurum effodiunt: & qui è profundo maris gemmas pretioſas ac lucidiſſimas educunt.

Comparat S. Auguſtinus Epiſt. 9. Veritatem Chriſtianam cum pulcherrima Helena Græcorum pro qua noſtri martyres,tot ſæculis fortius dimicant, quam Græci pro ſua Helena adverſus Troianos.

Bonorum ingeniorum eſt veritatem amare, & non pulchra verba, quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire non poteſt, hoc eſt, ad veritatem ducere, idem *S. Auguſt. l.* 4. *de doct. Chriſtiana c.*2.

Sicut perdix optimus eſt cibus, non tamen ſi proponatur crudus; ſic etiam veritas debet proponi excocta & condita ſale prudentiæ, id eſt, ſuo tempore, & loco.

Sententiæ ſelectæ de Veritate.

Super omnia vincit veritas, *Eſdræ* 3.

Scuto circumdabit te veritas eius, *Pſ.*90.

Veritas Domini manet in æternum, *Pſalmus* 116.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis & cognoſcetis veritatem,& veritas liberabit vos, *Ioan.*8.

Ego ſum via, veritas,& vita, *Ioan.*14.

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c. *Matth.*22.

Ergo in hoc natus ſum & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, *Ioannis* 18.

PATRES &c. Veritas dulcis eſt, & amara, quando dulcis eſt parcit,& quando amara curat, *Auguſt.*

Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum quam veritas relinquatur. *Auguſt.*

Ille veritatis defenſor eſſe debet, qui cum rectè ſentit, loqui non metuit nec erubeſcit. *Ambroſius.*

Veritas ſola liberat, ſola ſalvat, ſola lavat, *Bernardus.*

Non amat veritas angulos, *Idem.*

Obſequium amicos, veritas odium parit: ſcil. apud perverſos, *Terentius.*

VOTVM.

Votū offerunt Deo homines tribulationibus oppreſſi ut liberentur. Debellato Iſrael & ablata præda, votum vovit Iſrael Deo, & poſteà victor fuit *Num.*21 *& Iudith.* 20. Viri qui erant in navicū Iona tempore tempeſtatis timentes immolaverunt hoſtias, & voverunt votum Domino, *Ionæ* 1. Antiochus poſtquam percuſſus eſt à Domino inſanabili plaga, vovit ſe mirabilia facturum, ſi evaderet mortem, 2. *Machab.*9.

Votum indiſcretum non debet homo facere, aut ſeruare. Tale votum fecit Iephte quando promiſit immolare quod primo ipſi occurreret, *Iud.* 11. Pro indiſcreta & mala cauſa vovit Abſalon, volens rebellare patri, 2. *Reg.* 15. Crudele votum & impium fecerunt Iudæi dicentes,& devotione vovimus nos nihil guſtare donec occidamus Paulum. *Act.* 23.

Votum facientes debent votū reddere. Ideò Anna quæ vovit pro filio obtinendo, ſtatim cum obtinuit filium adimplevit votum, 1. *Reg.* 2. Aza Rex Iuda pater ſuus obtulit in domo Domini aurum & argentum, ut oſtendatur quod ali-

aliquãdo vota Patrum debent reddere filii & hæredes, 2. *Paral.* 15. Omnis populus poſt victoriam venit in Hieruſalem, & tulerunt holocauſta, vota ſua, *Iudith* 6.

ZELVS BONVS.

ZElus bonus eſt arguere acriter delinquentes. Nam videns Neemias onera portantes, & uxores ducẽtes alienigenas, & obiurgavit reos, & acriter arguit, *Neemiæ* 13. Confidẽtes arguit Helias errantem populum, & Prophetas Baal fecit occidi, 3. *Reg.* 18. Miro zelo fervebat Ioannes Baptiſta, dicens Iudæi, Genimina viperarum, &c. *Matth.* 3. *Lucæ.* 3. Et arguendo Herodem, dicens, non licet tibi fratris tui uxorem habere, *Matth.* 14. *Marc.* 6. Durè increpavit Dominus Scribas, & Phariſæos, dicens, Vę vobis Scribæ & Phariſæi &c. *Matth.* 23. Ardenti zelo Stephanus arguebat Iudæos, dicens, dura cervice, &c. *Act.* 7. Paulus cum fervore reprehendit Elymam quando dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, *Act.* 13.

Zelus bonus eſt etiam punire acriter iniuriam Deo inferentes. Moyſes iratus eſt de vitulo facto à populo, & tabulas confregit, & populũ arguit, & eos acriter punivit, *Exodi* 32. Multum placuit zelus Domini, quem habuit Phinées, quando transfodit adulterantes, *Num.* 25. Præcepit Ioſuę Achior lapidari, & ſupellectilem eius comburi, quia tulerat de anathemate, *Ioſue* 7. Magnus erat zelus Marathiæ, qui trucidabat homines impios ſuper aram Domini, 1. *Machab.* 2. Plures eiecit Dominus vendentes & ementes de templo, facto flagello de funiculis, *Ioan.* 2. *Luc.* 19.

ZELVS INDISCRETVS.

ZElus indiſcretus eſt, quando correctio non procedit ex iuſtitia, ſed ira vel vindicta. Sic Abiſai voluit amputare caput Semei maledicentis David, ſe David id non permiſit, 2. *Regum* 18. Ionam iratus propter hederam deſiccatam, volebat ut Deus deſtrueret Civitatem, *Ionæ* 4. Iacobus & Ioannes irati, quia nuncii Domini non fuerunt recepti, voluerunt ut ignis de cęlo deſcenderet, & conſumeret non recipientes, ſed Chriſtus reprehendit eos, *Luc.* 9.

Zelus erat indiſcretus Iudęorum pro obſervatione Sabbathi, quando Chriſtum reprehendebãt quod in Sabbato infirmos curaret, *Matth.* 12. Item quando arguebant diſcipulos Chriſti eſurientes, quod in Sabbato ſpicas evellerent, & manducarent, *Matth.* 12. Non erat etiam diſcretus zelus Diſcipulorum qui indignè ferebat, quod Magdalena effuderit ſuper caput Domini, Iuda obmurmurante quod pretium iſtius unguenti non daretur egenis, *Matth.* 26 Arguit etiam Dominus Petrum, quia ardore & zelo non ſatis conſiderato amputavit auriculam ſervi Principis Sacerdotum, *Matth.* 26. S. Paulus ante ſuam converſionem zelo non bono æmulator exiſtens paternarum traditionum, trahebat Chriſtianos viros ac mulieres vinctos in Hieruſalem, *Actor.* 8. Denique Iudæi vidẽtes quod univerſa Civitas conveniret ad audiendum prædicationem Pauli & Barnabæ, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, *Actor.* 13.

Homo zeloſus, ſed indiſcretus eſt ſicut Equus generoſus, qui frænum non habet, currit in incertum, in vepres, in foveas, & ſeipſum & alios lædit aut præcipitat.

Sicut corpus in quo prædominatur humor cholericus, alimentum etiã optimum in choleram & bilem noxiam convertit; ſic etiam zelus imprudens optimas actiones corrumpit & noxias facit.

Sicut oculus cui per ſpiciliũ viride imponitur non diſcernit colores, ſed omnia etiam candida, ipſi apparent viridia: ſic zelus hominis indiſcreti nequit diſcernere inter bonum & malum, iuſtum & iniquum, ſed omnia etiam iudicio imprudenti accomodare, & ſuo pede curvo omnia metiri. Vide *Correptio fraterna, Charitas, Ira, Invidia.*

Vt in Apparatu præcedenti qualibet Materia promptius reperiatur, hic ſingulorum Titulorum Indicem ſuo ordine ſubnecto.

SYLLABVS APPARATVS

Alphabetici præcedentis.

A

Abnegatio. pag. 4
Abſtinentia. 6
Acedia, Otium. 14
Accuſatio. 15
Adulatio. 16
Ambitio. v. Superbia infra.
Amor Dei. 17
Amor Proximi. 18
Aſtutia. 20
Avaritia. ibid.
Auxilium Dei. v. Benignitas Dei.

B

Beatitudo. 22
Bellum. v. Diſcordia.
Baptiſmus. 23
Benignitas Dei. ibid.
Blaſphemia. 25
Bonitas Dei. v. Benignitas.

C

Caſtitas. 25
Calumnia. v Detractio.
Charitas. 27
Chriſtus. ibid.
Communio. v. Euchariſtia.
Confeſſio peccatorum. 28
Conſilium bonum. 29
Conſilium malum. ibid.
Conſolatio divina. 30
Conſtantia. ibid.
Contemplatio. v. Oratio.
Correptio fraterna. 31
Curioſitas. 32

D

Deipara. ibid.
Detractio & Calumnia. 33
Deus, v. Amor Dei, Benignitas, &c.
Diſcordia. 34
Dilectio. v. Amor.
Duritia cordis. 35

E

Ebrietas. 36
Eccleſia. 37
Eleemoſyna. v. Liberalitas, Amor proximi, &c.
Exhortatio. 38
Euchariſtia. 39

F

Fallacia. v. Adulatio, Aſtutia.
Fides in Deum. 40
Filiorum educatio. 41
Fortitudo. ibid.
Furtum. v. Avaritia.

G

Gloria Cæleſtis. 43
Gratitudo erga Deum. ibid.
Gratitudo erga homines. 45
Gula. ibid.

H

Hæreſis. v. Fides. Eccleſia.
Homicidium. 45
Honor parentum. 46
Hoſpitalitas. 47
Humilitas. ibid.
Hypocryſis. 48

I

Iactantia. v. Superbia.
Ieiunium. v. Abſtinentia.
Infernus. 49
Ingratitudo. 50
Inimicitia, Odium, Diſcordia. ibid.
Iracundia. 51
Intentio bona, aut mala. 52
Ira. ibid.
Invidia. ibid.
Iracundia. v. Inimicitia.
Iudicium iuſtum. 53
Iudicium iniquum. ibid.
Iuramentum. 54
Iuſtitia Divina. 55

L

Lex divina. v. Obedientia.
Liberalitas. 56
Luxuria. 57

M

Maria Virgo. v. Deipara.
Matrimonium. 58
Mendacium. 59
Mors. 60
Mundi contemptus. v. Abnegatio.

O

Obedientia. 61
Odium. v. Inimicitia. Invidia.
Opus & Intentio. 62
Oratio. ibid.
Otium. v. Acedia. Opus bonum.

P

Patientia. 64
Pax. 65
Peccatum. 66
Pœnitentia. 67
Perſeverantia. 68
Prædicatio. v. Exhortatio.
Prudentia. v. Sapientia.

S

Sabbati obſervatio. 69
Sapientia, Prudentia. ibid.
Sacrum. v. Euchariſtia.
Sobrietas. v. Abſtinentia. Ebrietas.
Spes, Fiducia. 71
Superbia. 72

T

Temperantia. v Abſtinentia. Ebrietas. Gula.
Tentatio. 73
Timor Domini. ibid.
Tribulatio. 75

V

Voluptas. v. Luxuria.
Veritas. 76
Votum. ibid.
Vita æterna. v. Beatitudo Gloria cæleſtis.

Z

Zelus bonus. 77
Zelus indiſcretus. ibid.

PRA-

P R A X I S
DICTIONEM CONFICIENDI
EX

Apparatu præcedenti, & ſequenti in Doctrina Chriſtiana.

§. I.

Praxi conficiendi primam partem Dictionis.

*P*Rima pars dictionis, facile componi poterit ex ſola Narratione *Evangelii qu d præſenti Die occurrit, adbibita quadam amplificatione, & ornatu oratorio magis obvio, & ex rei natura deſumpto. Ars autem huius amplificationis in eo conſiſtit primo, ut ſingulę partes Evangelii pluribus verbis & ſententiis ad populi captum familiari modo exponantur, per interrogationes, reſponſiones, ſimilitudines, comparationes dicti vel facti Evangelici, cum factis aut moribus populi præſentis, ut ad imitationem virtutis, aut fugam vitii excitetur, ut infra in exemplo oſtendetur.*

Secundo, aſſignando cauſas *cur ſingula à Chriſto dicta aut geſta fuerint, v. g. ad noſtram doctrinam, ad pœnam malorum, præmium bonorum, &c.*

Tertio, expendendo modum *rei geſta, v. g. quante cum amore, aut dolore, aut patientia res quæ narratur à Chriſto, aut alia perſona, geſta fuerit.*

Quarto idem declarando aliqua comparatione aut ſimilitudine quales ſupra in Apparatu ad ſingulos fere Titulos ſubiiciuntur. Debet autem eiuſmodi ſimilitudo *non verbo abſolvi, ſed per partes deduci, comparando ſingulas ejus proprietates cum re aut perſona cui illam applicare intendimus. Exempli cauſa: quando Amorem Dei cum Igne comparamus, oportet conſiderare Ignis proprietates, & illas cum Amoris effectibus conferre: hoc modo: Sicut Ignis expellit frigus, ita Amor pellit tempore & negligentiam in obſequio divino: Ignis diſſolvit glaciem, ita amor cor peccatoris in lachrymas reſolvit: in igne purgatur aurum & alia metalla, per amorem anima à peccatis expiatur: igne accenſo domus illuminatur, ita amor replet hominem lumina gratiæ divinæ: ignis ſemper aſcendit ſurſum, amor divinus ſemper animam à rebus terrenis ad cæleſtia attollit, &c. Simili modo alia* exempla, *& ſimilitudines, quæ breviter aſſignantur poterunt latius deduci, & ad præſentem materiam applicari.*

Hoc autem ut facilius fiat, in ſingulis dictis aut factis latius exponendis conſiderandę circumſtantia quæ memoriæ cauſa hoc verſiculo aptè comprehenduntur. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Cujus rei brevem methodum & exemplum ante oculos ponemus in enarrando Evangelio Dominicæ prima Adventus de extremo judicio, quæ infra inter Dominicas prima occurret.

Primæ partis exemplum, Narratio Evangelii.

PRoponitur nobis (Auditores) hodie Evangelium de ſecundo Chriſti Adventu, & de ſignis præcedentibus judicium extremum.

Quis illa nobis proponit: Ipſe Chriſtus, Deus, & homo, judex vivorum & mortuorum, æterna veritas, quæ neminem poteſt fallere, quia eſt bonitas infinita, nec poteſt ipſe falli, quia rerum omnium etiam futurarum ſcientiam habet.

Cur ea nobis Pronunciavit? ut præparemus nos ad judicium futurum per bona opera; ut deleamus peccata præterita per pœnitentiam, ut caveamus peccata futura in extremo judicio ſeverè vindicanda, *ſimile*: ſicut latrones ſolent abſtinere à rapinis quando vident coram ſevero judice ſibi brevi comparendum eſſe.

Quomodo Chriſtus illa prædicit? ſummo affectu erga noſtram ſalutem, tanquam providus parens, qui ſollicitè monet filium ut caveat à periculo tempeſtatis, aut incendii futuri.

Audite igitur ejus verba. *Erunt ſigna.* Sed *ubi* illa ſigna apparebunt ut poſſimus ea cognoſcere? *In ſole, & luna, & ſtellis*, nempe in loco maximè cõ picuo, ante omnium oculos, in ipſis cœli luminaribus, ut nemo ea poſſit

ſit ignorare. Vis ſcire *quænam* erunt illa ſigna *in ſole, &c.* Erunt eclipſes, tenebræ, fulgura, & ſtellæ de cœlo cadentes. *Comparatio;* Cogita quo terrore concutimur quãdo ex aliqua parte cœli ingentes fragores audimus, & horrenda fulgura conſpicimus, *quanto magis*, quando illa totum orbem occupabunt. *Tranſitio.*

Sed ne putemus ſigna iudicij extremi in cęlo tantum futura, pergit Chriſtus; *Et in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum. Quomodo* trepidabunt homines, & maxime peccatores ad hanc preſſuram ex terra, & horrendum ſonitum ex turbatis totius Oceani fluctibus; *Areſcentibus* (inquit) *hominibus præ timore, & exſpectatione quæ ſuperveniet uniuerſo orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Quanto magis* debent commoveri corda peccatorum, & reſolvi ad lachrymas pœnitentiæ, *ſimile*, ſicut poſt magna tonitrua ſolent nubes in pluvias reſolvi, *Tranſitio.*

Poſt hæc tremenda ſigna in cœlo, terra, & mari, videamus *quid* ſequatur. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.* O quàm erit hoc ſignum iucundum Chriſti amicis, è contrario, quam erit formidandum eius inimicis. Veniet cum maieſtate magna, *quare?* quia illum è cœlo comitabuntur omnes Angeli, & coram illo in terra ſtabunt iudicandi omnes Reges, Principes, & univerſi homines qui ab initio uſque ad finem mundi vixerunt, *ſimile*, ſicut Rex ſolet ſumma cum maieſtate, & frequentia comparere quando in publico tribunali iudicium exercet. *Simili methodo pergendum eſt; enarrando reliquam partem Euangelii.*

§. II.

Praxis conficiendi ſecundam partem Dictionis.

P*Ro ſecunda parte Concionis, eligenda erit ex eodem Euangelio aliqua* ſententia *particularis, quæ erit idonea ad inſtituendum diſcurſum de aliquo virtute, aut vitio, aut alia doctrina ex mente Concionatoris.*

Vt pro hoc diſcurſu materia apta inueniatur, in Indice ſupra concinnato videnda erit virtus aut vitium aut alia doctrina circa quam ſententia electa, præcipuè verſatur; vt ſi ſit Amor Dei, *vide in littera* A, *ſi ſit* Iuſtitia, *vide in littera I, & ſic de cæteris. Vbi nota quando eſt diſcurſus de* Virtute *poſſe etiam materiam peti ex* Vitio *illi contrario, & contrà, v. g. ſi agitur de* Amore, *videndus eſt etiam titulus de* Odio, *vel* Inimicitia, *vel* Inuidia.

Poſtquam in Indice inuenta eſt materia, & exempla ad mentem Concionatoris idonea, expedit illa debent illa Exempla cum aliquo ordine, & ornatu oratorio in charta deſcribi, & deduci ad ſcopum à Concionatore intentum. Deductio autem illa ferè conſiſtet in artificio, quod ſupra oſtendimus in narratione Euangelii.

Exempli cauſa ex preſenti Euangelio eligitur hæc particulari ſententia: Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate; *nempe ad iudicandum: Quæratur ergo in Indice* Iudicium, Iuſtitia, *& ex illi deſumatur materia, & diſcurſus iuxta methodum ſequentem.*

Secundæ partis exemplum, in Sententia deducenda.

T*Vnc videbunt Filium hominis venientem in nube, &c. Quinam* videbunt? totus mundus, iuſti, & impii ſimul congregati. *Quid* videbunt? Filium hominis ſcilicet Chriſtum cuius paſſionem & mortem ſpreverunt. *Quare* tunc Chriſtum videbunt in nubibus venientem? Vt de omnibus hominibus ex æquo, & bono iudicium exerceat. (Vide *Iudicium iuſtum*, & ex eo reliqua compone hoc modo) Iudex ut rectè iudicet debet cauſas diligenter examinare. Sic fecit Salomon Rex ſapientiſſimus, *3. Regum 3.* Quando duæ mulieres de filio contendebant utra eſſet vera eius mater: ut veritatem exploraret voluit infantẽ in medio collocari, & deinde iuſſit ſibi gladium adferri, dicens, ſe velle puerum inter utramque mulierem ex æquo dividere. *Quid* hic factum putatis? Mulier quæ non erat vera infantis mater, nulla eius commiſeratione tacta, voluit illum in duas partes diſſecari. Altera vero totis viſceribus commota ex templo iuſſit potius infantem vivum atque integrum alteri conſignari. Hinc ſtatim collegit Salamon cauſæ veritatem, & huic tanquam veræ matri totum infantem adiudicavit.

Præclara quoque Sapientia eluxit in Daniele quæ narratur, *Daniel* 13. In occulta cauſæ veritate indaganda. Suſanna nobilis Matrona à duobus ſenibus adulterii falſo accuſata ad extremum ſupplicium rapiebatur. Daniel, Deo impellente, Suſannæ innocentiã ſibi explorandam ſuſcepit. Quid hic faceret? Cauſa erat occulta, aderat accuſatores ætate & au-

& auctoritate graves, populus ad ſupplicium convenerat, Suſanna jam jam lapidibus obruenda erat. (*Narretur decore reliqua hiſtoria, & veritas tandem detecta.*)

Ecce quanta cura & ſagacitate opus eſt Iudicibus, ut in rebus humanis occulta veritas detegatur. Sed Chriſto ſupremo judici in illa die nihil erit ignotum, nihil occultum, de quo dicitur, Iudex ergo cum ſedebit, quidquid latet apparebit, nil in vultum remanebit. Quidquid in cubiculo, quidquid in ſylvis, quidquid in tenebris, quidquid in intima cordis cogitatione geſtum eſt, ante Iudicis oculos manifeſtè apparebit.

Cognitionem cauſę & criminis ſequetur juſtitia: (Vide *Iuſtitia Dei*, & inde perge hoc modo.) Iuſtitia requirit ut qui peccando mala aliis intulerunt ipſis pari menſura mala infligantur. Superbus Aman odio incenſus in Mardochæum eo quod ſibi genua non flecteret, curravit erigi excelſum paribulum ut in eo ſuſpenderetur: *Fuſiùs Eſtheris 7.* Sed quid tandem factum? Supplicium quod alteri paravit ipſe ſuſtinuit. Nam à Rege Aſſuero morti judicatus eſt, ut ex paribulo quod Mardochæo erexit ipſe penderet. *Aman* eſt peccator, qui non dubitat aliis facto, aut verbo, aut prava voluntate iniuriam inferre. *Aſſuerus* eſt *Chriſtus*, qui peccatorem in extremo judicio pari ſupplicio adiudicabit. Hanc divinæ juſtitiæ menſuram, ut clarius intelligatis ponite ante oculos Viro iniquos qui curarunt Danielem in profundum lacum leonibus devorandum demitti, *Fuſiùs ex Daniel. c. 14.* Concluſit Dominus ora leonum ne innocentem attingerent: Sed homines ſcelerati, qui Danieli iniuriam intulerunt in lacum coniecti ex templo à leonibus devorati fuerunt. Sic in extremo judicio inſtar Danielis homines innocentes à peccatoribus iniuſtè vexati ſtabunt illæſi & ſecuri. Peccatores autem in profundum inferni lacum præcipitati à tartareis leonibus æternum cruciandi abripientur. *Plura exempla ſi velit ex eodem Indice.* Concluſio.

Cavendum igitur peccatum à juſto Iudice tam ſeverè vindicandum, cavenda iniuriæ proximi, cavenda ſuperbia, cavenda invidia &c. *Deſcendendo ad particularia crimina de quibus Concionator cupit ſuos admonere, quæ etiam in Indice videri poſſunt, & per Exempla illic poſita dilatari.*

§. III.

Tertiæ parti praxis & exemplum, ut ſupra de Sententia.

LEvate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra. *Quis* hæc verba profert? Chriſtus, qui non tantum eſt ſervus judex, ſed etiam benignus conſolator. *Quibus* hæc dicuntur? Iuſtis & piis hominibus, qui in vita fuerunt iniuriis & tribulationibus oppreſſi, nec permiſſi caput attollere, tunc tandem in die judicii illis dicetur, *Levate capita veſtra.* Vide *Tribulatio, Tentatio, Patientia*, & ex illis (ſicut ſupra ex *Iuſtitia*) eligantur exempla Ioſephi, Tobiæ, &c. quibus oſtendatur juſtos, qui in hac vita multis tribulationibus opprimuntur in die judicii viſo Redemptore habituros gaudium, gloriam, conſolationem; pro quo videri poteſt in Indice *Conſolatio & Gloria æterna. Poterit, ſi velit, pergere ad aliam ſententiam ex Evangelio eligendam, & ex indice deducendam juxta praxim jam aſſignatam.*

In fine autem debet Orator majori affectu & vocis contentione perorare. Scopum etiam dictionis ſuæ repetere, & ardentius inculcare: quandoque per apoſtrophen ſermonem ad Deum, aut Sanctos, aut alios pro re nata convertere: auditores denique ad propoſita firma & ſcopo dictionis conſentanea vehementius incitare.

Ad hæc plurimum conducunt, primo ante Concionem privata oratione gratiam cū fructu prædicandi à Deo ſuppliciter poſtulare: Secundò, piæ meditationis exercitio affectum illum in ſe concitare, ad quem cupit auditores impellere: Tertiò, modum prædicandi in optimis Concionatoribus accurate obſervare, eumque conari in praxim reducere, quantum propriæ naturæ vires & inclinatio patiuntur: ille enim dicendi modus maximè placere ſolet, qui minimè affectus apparet.

Porrò, ut prædictus Apparatus & praxis ex eo concionandi facilius ab incipientibus in uſum redigatur, aſſignamus infra per reliquas Dominicas, 1. Evangelium diei: Puncta ſive ſententias ex eo ſelectas, & conceptus de ſingulis punctis ac concionandum idoneos; Apponimus ad ſingulas ſententias Titulum in Indice ſive Apparatu contentum, ut ex eo in promptu habeat Concionator materiam idoneam ex qua ſententiam ſuam & conceptum facilè & copioſè deducat.

Denique eandem praxi, qua nos pro ſingulis Dominicis & Feſtis, pro faciliori tantum nor-

norma, aliquas ſententias & materiam adaptavimus, poterit deinceps Concionator, cum placuerit, ſententias alias ex eodem Evangelio eligere, & illas materiæ quam habet in Apparatu accommodare.

Ad extremum obſerva, materiam pro Dictione peti poſſe non tantum ex Apparatu; ſed etiam ex Controverſiis ſuperius tractatis, & Exemplis aliiſque in Catecheſi infra inducendis, eorum Indices aut Titulos percurrendo, ubi pro omnibus Fidei myſteriis, & officiis juſtitiæ Chriſtianæ exempla ſelectiſſima fuſius deducuntur.

M A T E R I Æ Dictionis

In Dominicis per Annum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Evangelium, *Lucæ* 21. *Erunt ſigna*, &c.

I. NArratur totum Euangelium Dominicæ: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis*, juxta praxim primæ partis ſupra.

II. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate*. Adventus Chriſti erit peccatoribus tremendus, quia ſtricto judicio omnia occulta examinabit, & pœnam ex æquo retribuet. Vide ex Apparatu *Iudicium rectum, Iuſtitia divina*.

III. *Tunc videbunt* Hæretici Chriſtũ in nube cum tremore, qui noluerunt illum in Euchariſtia, aut in vera Eccleſia agnoſcere v. *Euchariſtia, Eccleſia*. *Tunc videbunt* Avari Chriſtum in nube, qui illum noluerunt videre in paupere. V. *Eleemoſyna*. *Tunc videbunt* Chriſtum in nube lucida Operarii tenebrarum, qui non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum V. *Luxuria, Aſtutia, &c.*

IV. *Levate capite veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Iuſti & pii qui in hac vita tribulationibus opprimuntur, in extremo iudicio levabunt caput cum gaudio, & conſolatione Vide *Tribulatio, Conſolatio*. Et infra *in Catech. c. 5. in fine. 4. Noviſſima*.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

E*Runt ſigna in ſole, luna, & ſtellis.* Poſuit Deus tam multa & clara ſigna futuri Iudicii & Mortis: quia horum memoria maximi momenti eſt ad naturam converſionem, & virtutis exercitium, v. ſup. *Mors, Iudicium.*

Cœlum, & terra tranſibunt. Omnia huius mundi ſunt fluxa, & mutabilia ut honores, opes, ſanitas, amici, præter ſolum Deum: ideò rectè additur. *Verba autem mea non præteribunt.* Quia veritas Domini manet in æternum, & ea ſola hominem fælicem facit. Vide ſupra in Apparatu V. *Veritas.*

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Scandalizantur in Chriſto qui nolunt ſequi doctrinam, & exemplum illius, ut Humilitatem, Patientiam, Charitatem, &c. de quibus ſupra in Apparatu. Nihil magis ſcandalizat Eccleſiam Chriſti, quam improbitas Chriſtianorum.

Dominica II. Adventus.

Matth. 11. *Cum audiſſet Ioannes &c.*

I. NArratio totius Evangelii, juxta *praxim* Narrationis ſupra.

II *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*. S. Ioannem in carcere, ita juſtorum vitam exercet Deus per vincula patientiæ, morbos, paupertatem, perſecutiones in hoc mundo, &c. Nam ut purum aurum in igne probatur, ita juſti in tribulatione. Vide in Apparatu, V. *Patientia*, & varia eius exempla, & documenta.

III. *Exiſtis videre arundinem vento agitatam.* S Ioannes manſit in adverſis conſtans, ſed homines reprobi inſtar arundinis cum omni vẽto tentationis facilè inclinantur ad peccatum. V. *Conſtantia, Peccatum*, & ſpecies peccati, *Superbia, Avaritia, &c.* Item *Catech. cap. 3. de præceptis.*

IV. Contra Hæreticos, *Cœci vident, claudi ambulant &c.* Quomodo Fides (præſertim nova) debeat miraculis confirmari, vide ſupra in *Polemicis* part. 1. pag. 40.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

C*Oeci vident, claudi ambulant, etc. Matth.* 11. Peccatores alii cœci, alii claudi, alii leproſi &c. & de hoc vide A lapide ad Epheſ. 3. v. 1. item 1. Tim. 2. v. 8 fusè.

Quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam. Fragilitas humana inſtar arundinis, quæ fortunæ ventis expoſita eſt.

Hæc dici poteſt quantam fortitudinem Ioannes per tribulationem obtinuerit, quæ hominem Chriſtianum decet, nam inconſtantia multos à fide & virtute avertit. A lapide Eph. 4. v. 13. n. 140.

-Abeun-

Abeuntibus illis cœpit Ieſus dicere. Chriſtianum eſt defendere honorem alienum juxta illud: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Beatus qui non fuit ſcandalizatus in me. Scandalizantur in Chriſto, qui non ſequuntur doctrinam & exemplum ejus, Nam illorum improbatis ſcandaloſa eſt Chriſto & Eccleſiæ.

Dominica III. Adventus.

Ioan. 1. *Miſerunt Iudæi &c.*

I. NArratio Evangelii, juxta praxim Narrat. vbique ſervandam.

II. *Tu qui es?* Homines ſuperbi, & qui ſe jactant, ſolent alios interrogare, *Tu qui es?* Sed deberent potius interrogare, & examinare ſeipſos, & ſua vitia. Vide in Apparatu *Iactantia, Superbia.*

III. *Ego vox clamantis in deſerto.* S. Ioannes ex humilitate dicit ſe tantum eſſe *vocem*, quæ eſt res leviſſima. Sed melius id poſſunt dicere multi homines, qui tantum habent verba, & voces, & nihil veritatis. V. *Humilitas, Mendacium.*

IV. *Ego Baptizo in aqua.* Baptiſmus Ioannis tantùm habebat aquam pœnitentiæ, ſed Baptiſmus Chriſti confert etiam gratiam, & ſalutem. *Baptiſmus*, item in *Catech. c. 4.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

C*Onfeſſus eſt, & non negavit, Ioannis* 1. Mendacium homini noxium & pernicioſum, qua propter omnibus ut peſtis fugiendum, nã ex mendacio veluti ex fonte promanant, duplicitas, iniuſtitia, furtum, &c. Simplicitas, ſeu ſinceritas amplectenda, è contra vero hypocriſis fugienda. Confeſſio recta, & ſincera hominem ducit ad vitam cœleſtem, duplicitas & hypocriſis ad vitam gehenalem.

Ego vox clamantis in deſerto parate viam Domini. Humilitas Ioannis maxima fuit, & ex humilitate in tantum evaſit ſanctum, ut ſacræ paginæ, non ſurrexiſſe majorem inter natos mulierum Ioanne Baptiſta, de eo teſtentur: ſi igitur ipſius veſtigiis inſiſtere velimus oportet in omnibus actionibus humilem eſſe, præcipuè tamẽ hæc virtus exercenda eſt dum nos ad ſacram ſynaxim præparemus: deinde via, quæ eſt anima noſtra, præparanda eſt, & videndum num illa recta ſit, id eſt, num illa ſemper habeat rectam intentionem, num ſit iuſta, ſuum cuique tribuendo, quod ſuum eſt? Modus quo illa diſponatur eſt confeſſio frequens fuga occaſionum, emanſio è conſortio pravorum, bona propoſita, &c.

Dominica IV. Adventus.

Lucæ 3. *Anno quintodecimo.* Nar. Evang.

I. P*Rædicans Baptiſmum pœnitentiæ*, Pœnitentia neceſſaria: eſt ſecundus Baptiſmus. V. *Pœnitentia, Baptiſmus, Confeſſio peccatorum.* Eadem *in Catech. c. 4.*

Hæretici male negant *Baptiſmum Pœnitentiæ* per Confeſſionem, & Abſolutionis Sacerdotis Vide *in Polemicis par. 1. pag. 131.*

II. *Parate viam Domini:* virtutes quæ requiruntur ad parandam viam Domini in noſtra anima. V. *Amor Dei, Humilitas, Fides, Spes, Oratio, &c.*

III. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Superbi ſicut montes ſupra alios elati, à Deo deſeruntur, & humiliantur. V. *Superbia.*

Nativitas Domini.

Lucæ 2. *Exiit edictum.* Narratio.

I. N*Atus eſt nobis hodie Salvator.* Quanta Dei bonitas, qui voluit Filium ſuum pro nobis incarnari, & in ſtabulo naſci. Vide *Benignitas Dei, Gratitudo erga Deum, Chriſtus.*

II. *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Si Filius Dei è cęlo ad ſtabulum ad nos deſcendit, quomodo non debemus pro Deo nos humiliare, & mundi vanitates abnegare. V. *Humilitas, Abnegatio.*

III. *Gloria in Excelſis Deo, & In terra pax hominibus bonæ voluntatis,* Homines bonæ voluntatis debent ex amore Chriſti habere pacem cũ Deo, cum proximo, cum propria conſcientia. Vide *Pax, Concordia* Item *Odium, Invidia.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

I*Nclinavit eum in præſepio, quia non erat &c. Luc. 2.* Cor noſtrum tabernaculum eſſe debet Chriſti Ieſu naſcentis.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus &c. Divinæ perfectiones communicantur à Chriſto nato hominibus bonæ voluntatis.

Cum in formam Dei eſſet exinanivit ſeipſum, Philip. 2. Cur Dei filius ſe ad ſummam inopiam exinaniverit & humiliaverit? nempe ut nobis exemplum præberet quomodo nos in hoc mundo gerere debeamus.

Parvulus natus eſt nobis, Iſaiæ 9. Facilius nobiscum Filio Dei parvulo ſalutis negotium tra-

tractatur. 2. Datus eſt parvulus ductor pauperis & cœci hominibus mendicantis. 3. Datus eſt nobis Dei filius obſes, & pignus noſtræ redemptionis.

Tranſeamus uſque in Bethlehem. Tranſeamus de via peccatorum ad viam virtutum. 2. Ignis cœleſtis, & divinus abſconditus ſub cinere mortalis corporis.

Exultavit ut gigas ad currendam viam, Pſalm. 18. Deſideravit valde filius Altiſſimi opus redemptionis noſtræ.

Invenietis infantem pannis involutum, &c Filius Dei natus, mundo ignotus, & puer expoſititius.

Dominica I. poſt Nativitatem.

Lucæ 2. *Erant Ioſeph & Maria.* Narratio.

I. *Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum*. Chriſtus improbis hominibus eſt ſeverus Iudex ad ruinam, & bonis benignus Salvator ad gloriam, V. *Iuſtitia divina, Benignitas Dei, Gloria cæleſtis*.

II. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* Sicut hic Deiparæ, ita juſtis hominibus tribulationes proveniunt ad ſalutem, V. *Tribulatio, Patientia*.

III. *Quæ non diſcedebat de templo jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die*. Et ideò meruit Chriſtum videre, *Iejunium, Oratio*.

Circumciſio Domini.

Luc. 2. *Poſtquam conſummati.* Narratio.

I. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer.* Debent Chriſtiani animum circuncidere amputando peccata, luxuriam, gulam, &c. V. *Peccatum, Pœnitentia, Abſtinentia, Luxuria, Gula*.

II. *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus*. Id eſt Salvator. Chriſtus pro ſtrenua novi anni offert in circumciſione ſuum ſanguinem pro hominum ſalute, vide *Benignitas Dei*; *Gratitudo erga Deum*.

III. Quot modis ſe Chriſtus hominum Salvatorem demonſtrat, v. *Chriſtus*.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

Ut circumcideretur puer, Luc. 2. Circumciſio ſpiritualis eſt ſenſuum mortificatio.

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Inchoandus animus ab amicitia nominis Ieſu, 2. reliquit Dominus nomẽ Terribile quod in lege veteri terrebat, & illud mutavit in dulciſſimum nomen Ieſus, 3. Virtute nominis Ieſu David vicit Goliath: & nos vincemus diabolum, 4. In circumciſione Salvator noſter maximè fuit humiliatus; in receptione nominis Ieſu maximè fuit exaltatus Ita & nos &c.

In nomine Ieſu omnem genuflectatur &c Philip. 2. Nomen Ieſu innocenti ubique auxilium.

Exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Exaltati ſumus per Ieſum fratrem noſtrum ad ſtatum filiorum Dei, de ſtatu filiorum diaboli.

Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, Epheſ. 4. Renovandus homo intus, & foris ad imaginem Dei.

Et vocatum eſt nomen Ieſus. Oportet nos implere menſuram nominis Chriſtiani cum Ieſu per virtutes illius.

Epiphania Domini.

Matth. 2. *Cum natus eſſet &c.* Narratio.

I. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*. Fides eſt ſtella quæ ducit nos ad Chriſtum, v. *Fides, Obedientia, & in polemicis argumenta Fidei pag.* 16.

II. *Renunciate mihi ut ego veniens adorem eum*. Similes ſunt Herodi hypocritę & hæretici qui ſimulant pietatem, vide *Hypocriſis, Intentio, Aſtutia*. Item, *Genius fallax Hæreticorum, p.* 151.

III. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, myrrham*. Per hæc tria munera ſignificatur Chriſto offerenda Fides, Spes, Charitas ſive amor Dei. Item paupertas ſive abnegatio ſui, Caſtitas, Obedientia, v. Singulas iſtas virtutes in Apparatu.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

Ecce Magi, Matth. 2. Non adeo miratur Evangeliſta de paſtoribus quam de magis, quia pauperes & afflicti facilius Chriſtũ quærunt quam divites, 2. Mirandum inſuper tot hactenus principes & Reges Salvatoris paupertatẽ amploſs, cum paſſim paupertas vitetur.

Ab Oriente venerunt. Peccator illuſtratus lumine gratiæ Dei ad eum ſe convertit, 2. Ab infantia Deus diligendus eſt.

Ubi eſt qui natus eſt Rex. Chriſtus Rex & Dominus univerſorum meritò nuncupatur.

Intrantes domum invenerunt puerum. Dominus ab humilibus invenitur, & à ſuperbis ſe ſubducit.

Ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? uidimus

mus ſtellam ejus. Gravius obdurati & ingrati, & ſcientes, quam ignorantes peccant.

Procidentes adoraverunt eum. Non legitur paſtores eum adoraſſe, quia ſignum ſublimis animi eſt, ſe humiliare, Regiæ quoque dignitati conveniens.

Obtulerint ei munera. Offerenda nobis ſunt munera puero Ieſu, nempe aurum charitatis, thus pietatis, mirrha amoris, orationis & mortificationis.

Vidimus ſtellam ejus. Fruſtra nobis ſtella divinæ gratiæ lucet, ſi non ductum ejus ſequamur.

Dominica I. poſt Epiphaniam.

Lucæ 2. *Cum factus eſſet Ieſus*, Narratio.

I. *INvenerunt Ieſum in templo*. Ieſus invenitur in vera Eccleſia, & in Oratione, vide *Eccleſia, Oratio*. Item, Notæ veræ Eccleſiæ &c. *par. I. pag. 32.*

II. *Neſcitis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe*. Serviendum Deo potius, quam mundo aut hominibus, vide *Obedientia, Abnegatio mundi, Amor Dei*.

III. *Et erat ſubditus illis*. Quantum debeant honorari parentes, v. *Honor parentum, Educatio filiorum. Et in Catech. c. 3. de præcepto honorandi parentes*.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

ET cum factus eſſet annorum duodecim aſcendis &c. Luc. 2. Hic doceri poteſt quomodo Dominicæ & feſta ſint colenda, 2. Quomodo parentes infantes ſuos educare debeant in timore Dei &c. 3. Quomodo præcepta Dei ſunt ſervanda & adimplenda.

Secundum conſuetudinem. Bona conſuetudo arripienda, mala vero ſuperanda & extirpanda eſt.

Et non cognoverunt parentes eius. Anima noſtra quandoque Deum perdit, abſque eo quod ſatis advertit ad ſtatum ſuum.

Fili quid feciſti nobis ſic ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quomodo Deum debeamus quærere in confeſſione Sacramentali, in communione, in templis, in bonis conſortiis &c. ſed non in tabernis, non in hortis voluptatum &c.

Requirebant eum inter cognatos & notos. Deus non eſt quærendus apud amicos, & conſanguineos, ſed in oratione & bonis operibus, etiam apud inimicos &c. ſi eos amore proſequamur. Sed amici non nunquam vocationem Dei malè impediunt.

Et erat ſubditus illis. Quantum ergo pueri obedientiam exhibere teneatur ſuis parentibus, ſuperioribus, & quomodo puniendi eam recuſantes.

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Ioann. 2. *Nuptiæ &c.* Narratio.

I. *NVptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ:* Matrimonium honorandum eſt, & ejus leges magna cura ſervandę tam à viro quam à muliere, in mutuo amore, fidelitate, concordia, vide *Matrimonium*. *Et in Catech. cap. 4. de Sacram. Matrim.*

II. *Omnis homo primo bonum vinum ponit &c.* Mundus primo prębet voluptatem, poſtea dolorem & tribulationem: Deus è contra primo præbet tribulationem: poſteà lætitiam & premium æternum, vide *Tribulatio, Tentatio, Patientia*.

III. *Hoc fecit Ieſus initium ſignorum*, v. *Chriſti miracula*, v. *Chriſtus, Benignitas Dei.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

NVptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Ioan. 2. Quanta ſollicitudine nos præparare debeamus ad ſacram communionem, & quomodo puniendi ſunt qui indignè accedunt ad has nuptias ſpirituales.

Vinum non habent. Diva Virgo magnam de clientibus ſuis curam gerit, quibus proſpicit in omnibus cum ſit apud Deum potentiſſima.

Implete Hydrias. Chriſtus oſtendit exemplo ſuo, quantum parentibus deferendum ſit.

Cum inebriati fuerint tunc id quod deterius eſt. Mundus homines decipit, voluptates eis proponendo, ob quas poſtea tot tormenta toleranda ſunt, 2. Vt mundus hominibus illudit, ita quoque diabolus.

Dominica III poſt Epiphaniam.

Matth. 8. *Cum deſcendiſſet*. Narratio.

I. *DEſcendente Ieſu de monte, Ecce lepro ſus venit*. Leproſus dici poteſt quivis peccator plenus ulceribus ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ, &c. v *Peccatum, Superbia, Luxuria &c.*

II. *Si vis potes me mundare*. Peccator debet cum magna fiducia & dolore ad Chriſtum recurrere, v *Fiducia, Pœnitentia*

III. *Vade oſtende te Sacerdotibus*. Debet etiam peccator peccata ſua aperire & oſtendere Sa-

cerdoti in Confeſſione ſacramentali, v. *Confeſſio peccatorum*. Item *Sacramentum Pœnitentiæ in Catech. c.* 4.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

E*Cce leproſus veniens*. Tribulatio hominem Chriſto coniungit, & ſi longè ab eo receſſerit, ad Deum reverti iubet.

Adorabat eum. Adoratio Deo ſoli convenit.

Si vis potes me mundare. Tribulatio docet orare, 2. Cordis munditia quanti facienda, 3. Miſericordia Dei in hominibus ſubveniendo maxima.

Acceſſit ad eum Centurio. Qualis fuerit ille Centurio, & ex eo quodnam officium ſit Dominorum erga ſervos: & ſervorum erga Dominos.

Domine puer meus iacet in domo paralyticus, *&c.* Peccatum paralyſis eſt qui morbus animam maxime affligit, ſua mala conſcientia peccatum mortale homini viam ſternit ad alia mortalia.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Matth. 8. *Aſcendente &c.* Narratio.

I. **A***Scendente Ieſu in naviculam, ecce motus magnus factus eſt in mari*. Mundus eſt mare plenum procellis, id eſt, periculis, diſcordiis, litibus, vide *Diſcordia, Inimicitia*. Itẽ *Pax*.

II. *Domine ſalva nos perimus*. Remedium in mundi periculis eſt auxilium Dei invocare, v. *Oratio, Auxilium Dei, Fiducia Et in Catech. c.* 2. *de Orat. Dominica.*

III. *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei*. Si mutæ creaturæ obediunt Dei præcepto, magis homo. v. *Obedientia, Timor Domini. Et in Catech. cap.* 3. *de præceptis.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

A*Scendens Ieſus in naviculam, &c. Matth.* 8. Quomodo Chriſtum præcedentem debeamus ſequi, 2. Præſentia Dei hominem cohibet à peccato.

Vt navicula operiretur fluctibus. Fluctus maris, id eſt, mundi hominem opprimunt.

Ipſe vero dormiebat. Deus in anima afflicta optime quieſcit.

Medicæ fidei &c. Fides nobis ſcutum in omnibus periculis & certaminibus.

Imperavit ventis. Quomodo paſſionibus noſtris, quæ ventis non abſimiles ſunt, imperare oportet.

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Matth. 13. *Simile factum eſt.* Narratio.

I. **S***Imile factum eſt regnũ cœlorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.* Semen bonum eſt fides, aut quævis alia virtus, quæ ſeminatur in anima, ut poſteà proferat fructum vitæ æternæ, v. *Fides, Liberalitas, Amor Dei &c. Et in Catech. c.* 1. *de fide.*

II. *Venit inimicus eius, & ſuperſeminavit zizania*. Zizania ſunt errores hæreticorum, aut peccata in quæ dæmon, & hæretici homines inducunt, v. *Tentatio, Mendacium, Avaritia, Luxuria, & alia vitia.*

III. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*. Deus permittit probos & improbos ſimul vivere in hoc mundo, ſed in morte & judicio extremo illos ſeparabit, ad præmium, vel pœnam æternam, v. *Mors, Iudicium, Iuſtitia divina. Et in Catech. cap.* 5. *de quatuor Noviſſimis.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

C*Vm autem dormirent homines &c. Matt.* 13. Inimicus noſter diabolus valde imbecillis eſt, quod vel hinc patet, quia homines non niſi dormientes, vel impeditos aggreditur, quos vincere haud poteſt, niſi velint. Vide ſupra in Apparatu, V. *Acedia.*

Venit inimicus homo &c. Diabolus nunquam dormit, & ideo inter omnia animalia ſoli vigilantiſſimo draconi aſſimilatur. Quia eſt infenſiſſimus hominis hoſtis, quapropter nobis viciſſim vigilandum eſt.

Et ſuperſeminavit zizania. Suſurrones Deo, Angelis & hominibus odibiles.

Alligata ea in faſciculis ad comburendum. Quandoque propter pravos homines etiam boni luunt & puniuntur à Deo.

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Matth. 13. *Simile eſt*. Narratio.

I. **S***Imile eſt regnum cœlorum grano ſynapis &c.* Granum ſynapis eſt vera fides in Chriſtum, quæ nunc apparet parva, & humilis, poſteà autem creſcet in gloriam immenſam, & æternam, v. *Fides, Humilitas, Tribulatio.*

II. Granum ſinapis dum maſticatur elicit lachrymas, ſed tamen conducit ad ſanitatem: ita pœnitentia nunc cauſat dolorem; poſteà verò ſalutem operatur, vide *Pœnitentia, Pa-*

tien-

tientia, tribulatio. Item *in Catech. c. 4. de pænitentia.*

III. Mundi ſectatores non creſcunt, ſed decreſcunt. Homo non vitans peccata venialia, ſe ad mortale diſponit.

Dominica Septuageſimæ.

Matthæi 20. *Simile eſt*. Narr.

I. *SImile eſt regnũ cælorum homini Patrifamilias*. Regnum cœlorum eſt Eccleſia ad quã Deus homines vocat ut benè operentur, v. *Eccleſia, Obedientia*. Et Fides *in Catech. c* 1.

II *Hi nouiſſimi vna hora fecerũt & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei*. Qui Deo ſeruiunt breui tẽpore ex pura intentione plus apud Deum merentur quam qui pro mundo diu, multumque laborant, vide *Intentio bona, mala, Gloria cæli.*

III. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Pauci ſunt ſaluandi, eo quod pauci deſerunt ſua vitia, vide *Superbia, Auaritia, Luxuria.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

EXijt conducere operarios &c. Matth. 20. Cõſtat labore ſalus, ad quem Dei nos vocat amor, paciſcens mercedem, 2. Vinea, de qua Euangeliũ eſt anima noſtra, quæ bene colenda, 3. Horæ diuerſæ, ſunt ætates, nempe puerorum, adoleſcentium, ac ſenum, quos vocat ad vineam ſuam.

Simile eſt regnũ cælorũ Patrifamilias. Quam bonus ſit Deus pater familias explicandũ eſt.

Quid ſtatis hic tota die otioſi. Otiũ pernicioſiſſimum omni creaturæ cum ſit pulvinar diaboli, & ſepultura vivorum. Nam aqua ſtagnans putreſcit, ferrum quieſcens attrahit rubiginem &c. 2. Non procraſtinanda eſt emendatio vitæ noſtrę ne tota præterfluat, & otioſi reperiamur à judice noſtro.

Redde illis mercedem. Deus ſuperabunde, virtutes ac bona opera noſtra non ſolũ in hac vita, verum etiam in futura remunerat, 2. Injuſta retentio mercedis quam operari labore ſuo promeriti ſunt, eſt peccatum in cœlum clamans.

Murmurabunt &c. Murmuratio quantum ſit malum, vide in Apparatu, *Detractio.*

An oculus tuus nequã &c Cur oculos & non lingua reprehenſa eſt? Ratio eſt quia ille concupiſcit, & non lingua.

Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Nomen prædeſtinationis neminem a bonis propoſitis deterere debet. v. *Tom.* 1 in controuerſijs.

Dominica Sexageſimæ.

Lucæ 8. *Cum turba plurima*. Narratio.

I. *SEmen eſt Verbum Dei*. Magnifacienda eſt, Fides & Pręlicatio verbi diuini, quia eſt ſemen vitæ æternæ, vide *Fides. Prædicatio.*

II *Ad tempus credũt & in tempore tentationis recedunt*. Neceſſaria ad ſalutem perſeuerantia in fide, & bonis operibus inter perſecutiones, vide *Perſeuerantia, fortitudo, tentatio, tribulatio.*

III. *Hi ſunt qui in corde bono & optimo fructũ adferunt in patientia*. Fructus bonorum operum haberi non poteſt ſine patientia, v. *Patientia, abſtinentia, abnegatio.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

EXijt qui ſeminat &c. Lucæ 8. Docetur hic modus quomodo ſeminator verbi Dei ſe gerere debeat, 2. quod ſemen ſit verbum Dei, ager anima noſtra, ſeminator Chriſtus, 3. Qualis debeat eſſe terra, ut fructum proferat.

Cecidit in terram bonam. Terra bona cenſentur hi, qui à peccatis purgati, verbum Dei cuſtodiunt & illo fructus bonorum operum producunt, 2. Dici hic poſſet quam uberes ac ſuaves fructus verbum Dei in anima noſtrã germinet.

Aliud cecidit ſecus viam & conculcatum eſt, &c. Omnis reſpectus humanus contemnendus: quia non curandum eſt nobis, num ab hominibus deſpiciamur ac nihili ſiamus, dummodo apud Deum valeamus.

Super Petram. Petra ſunt omnes obdurati ac inueterati peccatores, qui verbũ Dei percipientes nullum fructum ex eo germinant, nec producunt.

Inter ſpinas. Impedimenta verbi Dei ſunt, peccata, diuitiæ, proſperitatis &c. Hic aduertendum quod ex quatuor ſeminis partibus una tantum bene ceciderit ac fructum fecerit, ex quo collige exiguum bonorum numerum.

Dominica Quinquageſimæ.

Lucæ 18 *Aſſumpſit Ieſus &c.* Narratio.

I. *ECce aſcendimus Hieroſolymam &c.* Quanta Chriſti benignitas qui ultrò tendit Hieroſolymam, ut pro peccatoribus patiatur. Vide *Benignitas Dei in peccatores, Amor noſter in Deum.*

II *Et poſtquam flagellauerit & occident eum, tertia die reſurget*: Maxima conſolatio in tribulatione, & perſecutione eſt futura mortuorum reſurrectio, v. *Tribulatio, Perſecutio, Beatitudo*.

III. *Et ipſi nihil horum intellexerunt*. Homines ingrati non intelligunt Chriſti in ſe amorem, & beneficia, vide *Ingratitudo, Benignitas Dei*.

Conceptus alii de eodem Euangelio.

E*Cce aſcendimus Hieroſolymam, Lucæ* 18. Paſſio Chriſti grauiſſima fuit: ſed memoria illius optimum contra peccata remedium eſt, 2. Vnicus locus quietus in mundo eſt, nempe mons Caluariæ ſiue crux Saluatoris noſtri.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam &c. Cognitio propriæ miſeriæ, ducit ad quærendum auxiliũ, 2 Peccatores in via cœleſti inſtar cœcorum currunt, 3. Ex optanda ac procuranda eſt oculorũ cœcitas, in perſpiciendis rebus impudicis, 4. Cuſtodia oculorum valde conducit ad inhoneſtas cogitationes vitandas, 5. E contra oculorum libertas, multorum peccatorum origo, 6. Cœcitas ſpiritualis, deterior corporali eſt.

Quid tibi vis faciam? Domine vt videam. Diabolus homines abducit à via cœleſti cœcitate, & Deus illuminatione reducit, 2. Homo debet ſemper eſſe indifferens ad Dei voluntate, ſiue ad patiendum, ſiue ad gaudendum.

Ipſi nihil orum intellexerunt. Affectus terreni, cognitionem ſpiritualium, ac cœleſtium tollunt aut impediunt.

Dominica Quadrageſimæ.

Matt. 4. *Ductus eſt Ieſus &c.* Narratio.

I. C*Vm ieiunaſſet quadraginta diebus, &c.* Quam vtile & ſanctum ſit ieiunium Quadrageſimæ, exemplo Chriſti, v. *Abſtinentia, Ieiunium*.

II. *Accedēs tentator dixit ei &c.* Chriſtus voluit tentari, vt oſtenderet Chriſtianos debere per multas tribulationes intrare in regnũ cœlorum, v. *Tentatio, Tribulatio*.

III. *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Dęmon homines tentat & decipit promittendo illis falſa bona, mundi diuitias, voluptates, honores, vt vera & æterna bona illis auferat, v. *Auaritia, Luxuria, Tentatio*.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

D*Vctus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, Matth.* 4. Filij Dei, ſpiritu Dei aguntur, qui illorum dux eſt, 2. Diaboli filii ſunt, qui ſpiritu dęmonis ducuntur, 3. Spiritus Dei homines ad patiendas difficultates, miſerias, cruces, &c. inducit, diabolus verò ad voluptates, 4. Chriſtus in ſolitudinem diſceſſit, vt tibi Deum Patrem ſuum nobis ieiunij, &c. facilem & placatum reddat, 5. Diabolus interdum hominem tentat ſub ſpecie boni Angeli, quem fallit, 6. Armantur iuſti à Deo ad victoriam aduerſus diabolum, 7. Salutari cuique abſtinentia, & recollectio mentis.

Et cum ieiunaſſet 40. *diebus &c.* Ieiunio vincuntur tentationes, & extirpantur paſſiones maximè carnales, 2. Diabolus cum ſuis hęreticis maximus impugnator ieiunii eſt.

Accedens tentator. Tentatio vt fornax ardens in qua aurum purgatur, & ſtipula comburitur, id eſt boni præmiũ accipiunt honoris &c. mali verò conſumuntur, 2. Diabolus bonos ſemper perſequitur.

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiãt &c. Diabolus adaptat tentationes iuxta cuiuſque naturam & indolem, 2. Abſtinentia iuſtos ſpiritu Dei conſortat & munit, 3. Maluit Dominus conuertere panem in corpus ſuum, quam lapides in cibum corporalem, imo mavult Deus duros lapides peccatorum in flexiles & iuſtos conuertere.

Mitte te deorſum. Se deorſum mittere (id eſt ad terrena deſpicere) filios Dei dedecet, cum mentem noſtram ſemel occuparunt cœleſtia. Iuxta tritum illud *nemo mittens manum ad aratrum reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei*.

Non in ſolo pane viuit homo. Refectio mentis pręualet refectionis corporis, 2. Sacra communio eſt cibus animæ, 3. Verbum Dei conſortat animam aduerſus peccata.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus &c.* Narratio.

I. T*Ransfiguratus eſt ante eos.* Nempe ante diſcipulos, id eſt, homines pios, qui deſertum cupiditatem mundi, & aſcendunt cum Chriſto ad montem orationis, aut contemplationis, v. *Abnegatio, Oratio, Contemplatio, Amor Dei*.

II. *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Quantum bonum & beneficium eſt eſſe cum Chriſto in vera Eccleſia, in oratione, in operibus bonis,

v. Ec-

v. *Eccleſia, Oratio*. Item *in controuerſ. par. 1. c. 2. de vera Eccleſia* contra hæret.

III *Surgite & nolite timere*. Qui Chriſtum timet, & in eo cõfidit, nihil debet in mundo timere; non minas hominũ, non carcerem, non mortẽ &c. v. *Timor Domini, Fiducia, Fortitudo*.

Conceptus alii de eodem Euangelio.

TRansfiguratus eſt ante eos, *Matth*. 17. Peccatum transformat hominem in diabolum, pœnitentia in Angelum.

Domine bonum eſt nos hic eſſe. Neſciunt quid dicant, qui terram cœlo præferunt.

Ducit illos in montem excelſum. Neceſſe eſt hic portemus crucem Chriſti, ut gloriam cœleſtẽ obtineamus iuxta illud Thomæ à Kempis. *Non eſt alia via, niſi via ſancta Crucis*. 2. Maxima eſt ſtoliditas illorum, qui æternæ felicitati renuntiant, ne hic patiantur aliquantulum.

Reſplendit facies eius ſicut Sol. Quam inexplicabilis eſt gloria beatorum.

Montem excelſum. Terminus crucis Chriſti gloria eſt; gloria vero mundi eſt Crux.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Lucæ 11. *Erat Ieſus &c.* Narratio.

ERat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Dæmonium mutum habent illi, qui in Confeſſione non aperiunt peccata, & qui non laudant Deum in oratione, v. *Confeſſio, Oratio*.

II. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Quanta damna adferat diſcordia in regno, in ciuitate, in familia, v. *Diſcordia, Pax*.

III. *Qui non eſt mecum contra me eſt*. Deus odit ſimulationem & hypocriſim, vult autem habere mentem & intentionem rectam, v. *Hypocriſis, Intentio recta*

Conceptus alii de eodem Euangelio.

ERat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, *Lucæ* 11. Dæmonia natura ſua non ſunt muta, ſed muta dicuntur, quia eos quos obſident mutos efficiunt, 2. Grauior eſt obſeſſio animę quam corporis, 3. Collaborandum eſt nobis cum Deo, vt dæmonia ex animabus noſtris exterminet & eiiciat.

Tentãtes ſignum de cœlo quærebant abeo. Deus induratis plura ſalutis media negat, ne grauius poſtea eos punire debeat.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Aſſociari Chriſto duci oportet, ut inimicum vincamus, 2. Inimicus imbecillis eſt, nam Cani catenato non eſt abſimilis, 3. Diabolus totum hominem poſſidet, dum animam inuaſit.

Aſſumpſit alios 7 ſpiritus nequiores ſe. Permittit Deus iuſtos à dæmone exerceri, ut ſibi comparent theſaurum virtutum, prauos vero terreri ut à peccatorum via declinent.

Omne regnum in ſe diuiſum &c. Vnio animarum fidelium in Eccleſia neceſſaria, 2. Diſſentio voluntatis humanæ pacem tollit, & diſcordiarum origo eſt.

Erat Ieſus eiiciens dæmonium. Valde graue peccatũ eſt puſillis ſcandalo, & peccandi occaſioni eſſe, 2. Difficillimum eſt dæmonem (id eſt malam conſuetudinem peccandi) ex anima peccatoris extirpare, 3. Diabolus omnium perditorum hominum ſenſus euertit.

Vniuerſa arma eius auferet. Deus diabolum proprijs armis impugnat, quia peccatores conuerſi, olim fuerunt arma diaboli.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Ioannis 6. *Abijt Ieſus trans mare*. Narratio.

I. ERat autem proximũ Paſcha dies feſtus Iudæorum. Quanta apud Catholicos debet eſſe obſeruatio dierum Feſtorũ & Dominicæ, v. *Sabbathi obſeruatio*. Et *in Catech. 3. de præceptis*.

II. *Diſcubuerunt viri numero quaſi quinque millia*. Exemplo Chriſti quanta debeat eſſe liberalitas fidelium erga peregrinos, maximè pauperes, & Religioſos qui Chriſtum ſequuntur, v. *Liberalitas*.

III. *Ieſus ergo ne facerent eum Regem fugit*. Docemur hic fugere vanos honores, & mercedem liberalitatis à ſolo Deo expectare, v. *Humilitas, Intentio bona*.

Conceptus alii de eodem Euangelio.

CVm ſubleuaſſet oculos Ieſus, *Ioann*. 6. Deus in hac vita ſui ſectatores milites ſolatiis gaudiiſque afficit, 2. Proſpicit etiam eis de neceſſariis, tam ad vitam corporalem quam ad ſpiritualem, 3. Spectat Deus afflictionem ſuorum amicorum & miſeretur, 4. Promittit Deus in cœlo meliorem communicantibus tractationem.

Sequebatur eum multitudo magna. Filij Dei perſeuerantes in via ſalutis, Ieſum ſequuntur, peccatores ſiue filij dæmonis, mundũ & amorẽ proprium, 2. Deo non ſeruiendum eſt propter

mer-

mercedem ut turba de qua Euangelium, ſed ex puro amore.

Vnde ememus panes vt manducent hi. Eleemoſyna Deo gratiſſima, & ad cœlum conſequendum quandoque neceſſaria, 1. Diuina prouidentia medium iuvandi inuenit, dum humana deficit, 3. Deus tantam noſtri prouidentiam gerit, quantam mater partus uteri ſui, 4. Adiutorio humano deficiente, maior conſolatio à Deo exſpectatur.

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis. Mundanis non ſufficiunt bona quæ poſſident, ſed plura ſemper expetunt, & ſitiunt.

Vt autem impleti ſunt. Nulla mundi bona homini ſatietatem adferre poſſunt, præter Deum.

Dominica V. quæ eſt Paſſionis.

Ioann. 8. *Dixit Ieſus turbis* Narratio.

I. QVi ex Deo eſt verba Dei audit. Signum eſt prædeſtinationis Conciones libenter audire & obſeruare, vide *Prædicatio, Obedientia*

II. Si quis ſermonē meum ſeruabit mortem non videbit in æternum. Per obſeruantiam mandatorum obtinetur vita ęterna, v. *Obedientia, Gloria cœleſtis.*

III. *Abraham mortuus eſt, & Propheta.* Nemo mortem euadet, debemus igitur ſemper eſſe paratiut transeamus ad alteram vitam, v. *Mors*, Item 4. *Nouiſſima in Catech. c. 3.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

QVis ex vobis arguet me de peccato, *Ioannis 8.* Arguitur peccator à Deo Creatore, & redemptore de mala vita, 2. Optimus clypeus contra obtrectatores, innocentia vitę, 3. Chriſto ſimilis eſt, qui verè de peccato argui nequit, 4. Arma mouenda contra peccatum, inimicum Chriſti & animæ noſtræ, 5. Conſcientia bona utenti nihil timendum.

Qui ex vobis arguet me de peccato? Interroget quiſque conſcientiam ſuam. *De peccato*, nihil adeo fugiendū quam peccatum, cum adeo ſit amarum, ut unica eius guttula, oceanum beatæ dulcedinis amaritudine ſua inficiat.

Qui ex Deo eſt verba Dei audit. Ex Deo non ſunt, qui voluntati eius ac verbo reſiſtunt.

Ego non quæro gloriam meam &c. Deo cuncta noſtra relinquenda, qui melius illa ad bonum noſtrum diriget, cum innocentium, id eſt, bonorum cauſam cordi habeat ut propriam.

Dominica VI. quæ eſt palmarum.

Matthæi 21. *Cum appropinquaſſet*, Narr.

I. ECce Rex tuus venit tibi māſuetus, Chriſti manſuetudo & humilitas Chriſtianis imitanda, vide *Patientia, Humilitas.*

II. *Strauerunt veſtimenta ſua in via.* Hinc collige non tantùm affectum internum, ſed etiam ſæpè bona externa pro Chriſto exuenda eſſe, v. *Abnegatio, Amor Dei.*

III. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Benedictus & honorādus Deus in ſuis Sanctis & miniſtris, v. *Amor Dei, Honor parentum*, Item *cultus Sanctorum in cont. part. 2. &c.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

ECce Rex tuus venit tibi māſuetus, *Matth. 21.* Feliciſſimus homo eſt ad quē Dominus Ieſus accedit, infeliciſſimus vero à quo ille recedit, 2. Rex ſummus eſt, qui ſibi in regno cordis nouit imperare.

Aſinam alligatam. Peccatores & ſerui diaboli per aſinam figurari poſſint.

Hoſanna filio Dauid, Non ſunt fideles amici Ieſu, qui eum in ſancta Euchariſtia indignè recipiunt.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Mundi fauor in odium facile euaneſcit, nunc dicit *Benedictus*, poſt triduum *Crucifige.*

Dominica Reſurrectionis.

Marc. 16. *Maria Magdalena &c.* Narr.

I. EMerūt aromata vt venientes vngerēt Ieſum. Aromata Chriſto gratiſſima ſunt virtutes, quę impediū corporis & animę noſtrę corruptionem, & Chriſti membra ungunt in ſuis pauperibus, vide *Caſtitas, Amor Dei, Liberalitas in pauperes.*

II *Nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum.* Non debet timere qui ſeriò Chriſtum quærit, v. *Fides & Fiducia.*

III. *Surrexit non eſt hic.* Per pœnitentiam oportet cū Chriſto reſurgere ex ſepulchro noſtrorum peccatorum, vide *Pœnitentia, Peccat.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

VAlde mane vna ſabbathi veniunt, *Marcus 16.* Primus fructus reſurrectionis feruor eſt pietatis, 2. Saluator ab infantia, diligenti & prompto animo quærendus eſt.

Maria

Maria Magdalena, &c. Mulieres magis orationi, devotioni, virtuti, deditæ ſunt quam viri: qua de re vide à Lap 1.*Cor.* 15. *v.* 3. Item 1. *Timoth.* 2. *v.* 9 *Num.* 35. *v.* 2. Magdalena lachrymas triſtitiæ ſeminans, lætitiæ lachrymas collegit. Iuxta tritum illud, *poſt nubila Phœbus.*

Hæc dies quam fecit Dominus, Pſal 117. Poſt mærorem ſequitur lætitia: nam ut ſol occidens rubicundè, ſerenitatis eſt indicium, ita verus ſol ſanguine tinctus moriens cauſa gloriæ & pacis fuit,

Quis revolvet nobis lapidem? Videntes lapidis impedimentum, non ommittunt inquirere & proſequi intentum, docendo perſeverantiam, & cōſtantiam in bonis operibus & virtutibus neceſſariam; nam illæ virtutes, obices vitiorum fervore ſpiritus tollunt, aut facilitant. Quoties quis aliquod bonū opus aggreditur, plurima intercurrere ſolent impedimenta: aut peccare volentibus omnia favent.

Viderunt lapidem revolutum. Quanto maiores videmus difficultates, tanto magis in Deo confidendum eſt.

Surrexit non eſt hic. Verè non reſurrexit, qui affectus pravos non exuit, 2. Ieſus è ſepulchro ſurrexit, ſed nobis è ſepulchro peccatorum reſurgendum eſt, 3. Signum reſurrectionis noſtræ eſt, renovatio vitæ.

Venit Ieſus ianuis clauſis & ſtetit in medio &c. Inviſit Dominus amicos pacificè, inimicos metu percellens.

Dominica in Albis.

Ioan. 20. *Cum ſerò eſſet.* Narratio.

P*Ax vobis.* Pax ſervanda cum Deo, cum proximo, cum noſtra conſcientia, v. *Pax, Diſcordia.*

II. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Quanta Sacerdotibus conceſſa poteſtas, v. *Confeſſio peccatorum, Pœnitentia.*

III. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Quantum Dei donum vera fides, v. *Fides, Fiducia.* Item *in Catech. c.* 1. *de Fide.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

P*Ax vobis, Ioannis* 20. Pax quadruplex eſt, de qua vide fuſius apud A lapide ad *Philip.* 4. *v.* 7. & *Coloſſ.* 3. *v.* 15. 2. Non intrat pax Chriſti, vt requieſcat, niſi ad pacificos, 3. Refugium & ſecuritas pacis noſtræ in vulneribus Salvatoris.

Nolite timere. Ne in ullum incidamus peccatum, optimum remedium eſt timere Deum non homines.

Vbi diſcipuli erant congregati. Vbi charitas & concordia, ibi Deus, juxta ſcripturam, *vbi, duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Venit Ieſus & ſtetit in medio. Ieſus mediator noſter in medio eſt, omnibus æqualis.

Cum ſero eſſet die illa & fores eſſent clauſæ, Qui Deum recipere cupit, debet omnes feneſtras ſenſuum claudere, ne diabolus intret per fores apertas, 2. Non procraſtinanda eſt vitæ noſtræ emendatio, ne ſero nos pæniteat, quando fores ſunt clauſæ.

Oſtendit ei manus & latus. Retinuit Salvator noſter illas theces medicinales, ut nos ſanet, 2. Fruſtra lingua promittit, niſi cor, manus & opera conſpirent.

Dominica II. poſt Paſcha.

Ioann. 10. *Ego ſum Paſtor bonus,* Narratio.

I. B*Onus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis,* v. *Zelus, Gloria Dei, Fortitudo.*

II. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas,* v. *Chriſtus, Dei benignitas erga ſuos fideles* applicando illi officia boni Paſtoris.

III. *Fiet unum ovile, & unus Paſtor,* v. *Concordia, Pax,* Item *Eccleſia unitas, Controv. par.* 1. *cap.* 3.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

E*Go ſum Paſtor bonus.* Sanctus Paulus inſigne exemplar Pontificum Prælatorum, & Paſtorum: vide A lapide, 2. *Corinth.* 4. *v.* 1. de eorū munere &c. 2. Paſtor (idem dici poteſt de Patribus & Matribus familias) paſcit tripliciter, vide A lapide in Epiſtolas canonicas *pag.* 313.

Ponit animam pro ouibus ſuis An & quando vita pro proximo exponenda ſit, vide ibidem *pag.* 477. 2. Vita noſtra impendenda eſt ei, qui ſuam nobis impendit.

Cognoſco oues meas &c. Tota noſtra amicitia cum Ieſu, dependet à cognitione noſtra de ipſo, 2. Oues Chriſti cognoſcuntur, ex pia vita, virtutibus, & ſigno ſanctæ Crucis.

Et cognoſcunt me meæ. Oues Chriſti ſunt, qui cognitioni ſui ſtudent, uti Auguſtinus ait, *Domine Ieſu, nouerim me, nouerim te.*

Et vocem meam audiunt. Oues Chriſti verbum Dei lubenter audiunt, & correctiones, & mandatorum eius obſeruantes.

Domi-

Dominica III poſt Paſcha.

Ioan. 16. *Modicum &c.* Narratio.

I. I*Terum modicum, & videbitis me.* Totum tempus & bonum huius vitæ modicum cenſeri debet, v. *Mors. Gloria æterna.*

II. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* vide *Tribulatio, tentatio, Patientia, Servorum Dei*

III *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium,* v. *Conſolatio Divina, Gloria æterna, Beatitudo.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

M*Odicum, & jam non videbitis me &c. Ioan.* 16. Sua paſſio Chriſto viſa eſt modica, ob magnitudinem dilectionis, 2. Modicum vitæ tempus malis conceditur, ne peiores fiant, 3. Modicus vitæ tempus & gratiæ à quo pendet æternitas, 4. Apud Deum omnia tempora ſunt modica: vide A Lapide *ad Hebræos* 10. *v.* 37. *n.* 275.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Non eſt verum gaudium, niſi quod ſecura mens parit, 2. Quomodo differant triſtitia ſæculi, & triſtitia quæ ſecundum Deum eſt. vide A Lapide, 2. *Corinth.* 7. *v.* 9. 3. Fructus triſtitiæ ibidem *num.* 136. 4. Conſolationes divinæ ſemper ſunt majores tribulationibus, 2. *Corinth.* 1. *v.* 5. 5. Differentia gaudii Sanctorum & mundanorum, vide A Lapide 2. *Corinth.* 6. *v* 10. 6. Afflictio & tribulatio, quomodo hominem probent, vide A Lapide *in Apochalipſim pag.* 217. 7. Gaudium mundi, quam citò tranſeat idem *pag.* 452. *in Epiſtolas canonicas*, 8. Lætitia ſpiritualis eſt quidam prægustus cœli, ibidem *pag.* 210. & *pag* 232.

Plorabitis & flebitis vos. Cur Deus amicos ſuo ſæpe durius probet, quam impios, 2. Præſtat hoc temporali inferno torqueri, quam cœlum amittere.

Iterum videbo vos & gaudebit &c. Deus ſuos ſubinde deſerit, ut ſolatio majori compenſet.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Ioan. 16. *Vado ad Deum.* Narratio.

I. C*Vm venerit Paraclitus arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio,* v. *Peccatum, juſtitia divina, Iudicium iniquum, rectum.*

II. *Paraclitus Spiritus docebit vos omnem veritatem.* Veritas & fides eſt à Spiritu Sancto, mendacium & hypocriſis à ſpiritu maligno, v. *Fidem, mendacium, Hypocriſis.*

III *Non enim loquetur à ſemetipſo,* Hæretici quia loquuntur à ſemetipſis, non à Deo, ſunt mendaces & fallaces, v. *Mendacium, Fallacia.* Item *vera Eccleſia Contr p.* 1 *c.* 3.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

V*Ado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis, &c. Ioann.* 16. Deus velut ſol, induratos deſerit, 3. Non eſt perniciosior & triſtior ſeparatio, quam Dei ab hominibus, 3. Quiſque ſibi finem ſuum, ac vitæ ſuæ media præfigere debet, 4. Mundus carcer eſt, quo captivi innocentes & rei tenentur.

Nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Ex hac vita diſcedenti, quantum referat ſcire terminum, quo ituri ſimus.

Cum venerit ſpiritus veritatis. Mendacium homini Chriſtiano pernicioſiſſimum, quia multorum malorum origo, 2. Spiritus veritati detegit mundi falſitatem.

Arguet mundum de peccato. Vnicum peccatum ſufficit de quo arguamur & damnemur, 2. Mundus in maligno (id eſt, malo igne) poſitus eſt, eſt enim ſub diabolo ſua malignitate, vide fuſius A Lapide *in Epiſt Can pag.* 514. 3. Peccati pœnæ & fructus A Lapide *in Apoc pag.* 236. 4 Conſcientiam aſſiduè examinandam eſſe. *ibid pag.* 305.

Dominica V. poſt Paſcha.

Ioann. 16. *Amen dico vobis.* Narratio.

I. S*I quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Quanta eſt vis orationis, v. *Oratio.*

II. *Ipſe enim Pater vos amat, quia vos me amaſtis,* v. *Amor Dei & Benignitas.*

III. *Et credidiſtis, quia à Deo exivi:* Fides vera in Chriſtum quanti momenti, v. *Fides, & in Catech. c.* 1.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

E*Xivi à Patre & veni in mundum, Ioann.* 16. Gratias debemus Ieſu ductori, & protectori noſtro.

Petite & accipietis. Dum ſpirituali prius petuntur, non negat Deus temporalia, 2. Deus ab amicis rogari cupit, licet pronus ſit ad largiendum, 3 Preces amicorum armatæ, Deum etiam quaſi invitum cogunt, 4. Debet mens & lingua conſpirare ad impetrandum, 5. Efficaciſſima petitio apud Deum eſt eleemoſynæ

lar-

largitio, 6. Quænam conditiones in oratione requiſitæ, vide A Lapide *Epheſ 6. v. 18.* 7. Ab oratione omnis noſtra actio inchoanda, 1. *Timoth. 2. v. 1.* de loco orationis *ibid. v. 8.* Primum Apoſtolicorum virorum munus eſt oratio, idem *in Acta Apoſt. pag. 113.*

Vt gaudium veſtrum ſit plenum. Conſcientiæ bonæ quantum ſit gaudium, vide A Lapide *pag. 332.* Propendet Deus ad dandam, idem *in Epiſt. canonicas pag. 30. 31. & ſeqq.*

Vſque modò non petiſtis quidquam &c. Fruſtra peccator petit in nomine Chriſti mediatoris, niſi ſe emendare velit.

Amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem, &c. Non petitur in nomine Saluatoris, quidquid eſt contra rationem ſalutis, ita *Auguſt.* 2. Obſtringit ſe Chriſtus promittendo, vt iure debiti exigamus.

Aſcenſio Chriſti.

Marci 16. *Recumbentibus vndecim &c.* Narr.

I. EXprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis. Quantum malum duritia cordis in credendo, & dolendo de peccatis, v. *Duritia cordis Pœnitentia.*

II. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Quantum Dei donum eſt Baptiſmus, v. *Baptiſmus,* Item *Catech c. 4.*

III. *Quanta Dei gratia eſt vera Fides,* v. *Fides, Conſtantia, Perſeuerantia.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

VIdentibus illis eleuatus eſt, *Actor. 1.* Eleuandum cor ad cœlum, alis pietatis & miſericordiæ. 2. Affectus terreni non ſinunt nos à terra eleuari, 3. Spes aſcenſionis noſtræ vnicum ſolamen in hoc exilio, 4. Eleuari ad cœlum debemus velut animantia, terræ affixa.

Sicut Aquila prouocans ad volandũ, Deut. 31. Viam cœli facilitauit nobis Dominus Ieſus velut aquila.

Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum, 1. In cælum oculos defigere identidẽ oportet, vide A Lapide *in Acta Apoſt. pag. 146.* 2. Fruſtra cœlum aſpicimus niſi conemur aſcendere, 3. Typus egregius aſcenſionis Chriſti eſt chryſolithus, vide A lapide *in Apocal. pag. 331.* Aſcenſionis, eius forma & modus *in Acta Apoſt. pag. 46.* plura alia inuenies apud eundem de aſcenſione Domini *in cap. ad Epheſ. 4. v. 8. & 10.* 6. Aſcendit Chriſtus in cœlum vt nobis viam & locum præparet, *ad Hæbreos 7. v. 10.* 7. De aſcenſione ſpirituali in cœlum, idem *Coloſſ. 3. v. 1. n. 2. 8.* Ante Chriſti aſcenſionem nullus cœlum intrauit, *ibid. v. 13. n. 120.*

Sedet à dextris Dei. Vt ibi dexteram Dei vindicatiuam retineat, ne nos puniat.

Dominica poſt Aſcenſionem.

Ioann. 5. *Cum venerit,* Narratio.

I. CVm venerit Paraclitus, Paraclitus idem eſt quod conſolator, Spiritus enim ſanctus conſolatur homines in tribulatione, & operibus bonis, v. *Conſolatio diuina.*

II. *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.* Per fidem, ſpem, amorem, de Chriſto teſtimoniũ perhibemus quod eſt ei grauiſſimum, vide *Fides, Spes, Amor Dei.*

III. *Hæc facient vobis quia non nouerunt Patrem neque me:* Hæreſis, & peccatum excæcat homines, vt non videant quantam iniuriam faciant Deo perſequendo innocentes, v. *Perſecutio, Peccatum, Inimicitia.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

VT non ſcandalizemini, *Ioannis 15.* Scandalum quid ſit & quotuplex, vide A Lap. de *Rom 4. v. 13.* 2. Scandalizantes proximum quomodo in Chriſtum peccent, idem 1. *Corint. 8. v. 12.*

Vos teſtimonium perhibebitis de me. Catholicorum improbitas, ſcandalo eſt, gentibus, hæreticis &c. 2. Doctrinam Chriſti profiteri nos oportet probitate vitæ, 3. Cur mundus oderit viros ſanctos, Vide A Lapide *in Epiſtolas canonicas pag. 474.* Tribulatione ſummum bonum acquiritur, vide A Lapide *ibidem pag. 13.* 4. Crux via ad cœlum, *pag 252.* 5. Chriſtiani ducem ſuum per aſpera ſequantur, *ibidem pag. 351.*

Venit hora vt omnis interficit vos &c. Vtitur Deus malitia improborum, ad probationem iuſtorum, 2. Non excuſat malos, quod Deus eorum malitia vtatur in bonum.

Dominica Pentecoſtes.

Ioann. 14. *Si quis diligit,* Narratio.

I. SI quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum. Quantum bonum diligere Deum, & quomodo diligendus, *Amor Dei, in Catech. c. 3. de Charitate.*

II. *Qui non diligit me ſermones meos non ſeruat.* Quantum malum non diligere Deum eius

præ-

præcepta violando, v: *Obedientiam.* Item *peccata in ſpecie.*

III. *Pacem relinquo vobis.* Teſtamentum vltimū quod Chriſtus hominibus in terris reliquit, eſt pax cum Deo, & proximo, vide *Pax, Concordia.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

A*Pparuerunt illis diſpertitę linguę. Actor* 2. Ignis diuinus illuminat intellectum, & accendit voluntatem, 2. Proprietates ignis Spiritui Sancto applicari poſſunt.

Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes, &c. Separatio à mundo, locum parit ingreſſui Spiritus Sancti.

Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Munienda arx cordis noſtri, gratia Spiritus Sancti contra aduerſarios.

Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cęperunt loqui. Operatio & inhabitatio Spiritus Sancti, lingua & ſermone proditur.

Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Spiritus Sanctus rector, & triumphator eſt cordis filiorum Dei.

Si diligeretis me gauderetis vtique. Chriſtus ab Apoſtolis amore concupiſcentiæ amabatur, quia ſocietate eius gaudebant, ſed amorem amicitia exigebat Chriſtus, vt non ab amicis noſtris.

Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem. Amans cupit amorem ſuum palam facere, vt omnes cognoſcat.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Per Spiritum Sanctum fiunt iuſti hæredes & domeſtici Dei Patris, & cohæredes filij Dei, 2. Spiritus Sancti in habitatio, nos honore & donis replet, 3. Anima cum Deo venienda, vide A lapide 1. *ad Corinth. v.* 17. *& ſeq.* 4. Spiritus Sanctus 4. modis eſt in nobis, idem *ad Romanos* 11. *v.* 36. *n.* 76. 5. Secundum Spiritum Chriſtiani debent viuere, idem *ad Rom.* 8. *v.* 3. 6. Sancti Spiritus ſigillum in anima eſt ſanctitas, *ad Epheſ.* 1 *v.* 13. *n.* 34. 7. Quodnam in nobis ſit teſtimonium Spiritus Sancti? *Rom.* 8. *v.* 16 *n.* 130. 8. Quatuor efficacia teſtimonia, quod quis habeat Spiritum Sanctum in ſe, ibidem *n.* 134. *& ſeqq.*

Dominica SS. Trinitatis.

Matth. 28. *Data eſt mihi &c.* Narr.

I. E*Vntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quanta ſunt dona quæ percipimus à SS. Trinitate per Baptiſmum, & vocationem ad fidem &c. v. *Baptiſmus.* Item *in Catech. exempla c.* 4. *de Sacram. Baptiſmi.*

II. *Docentes eos ſeruare omnia quęcumque mādaui vobis.* Non ſufficit Baptiſmus & Fidei ſine bonis operibus, & obſeruatione mandatorum Dei, v. *Obedientia.* Item *in Controu. tract.* 2. *c* 2. Item *in Catech. cap.* 3. *Precepta decalogi.*

III. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſęculi.* Quantum bonum Chriſtum ſemper habere præſentem, per potentiam diuinitatis, omni loco, per præſentiam humanitatis in ſacra Euchariſtia, vide *Chriſtus.* V. *Euchariſtia* Item *in Catech. cap.* 4. *de Sacramento Euchariſtiæ.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

D*Ocete omnes gentes baptizantes &c. Matth.* 28. In Baptiſmo ſignantur cruce in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, vt iuuet crucem portare, 2. Anima baptizata templum Sanctiſſimæ Trinitatis eſt, 3. Egemus potentia Dei Patris, ſapientia Filij, & iuſtificatione Spiritus Sancti.

Euntes docete omnes gentes. Cura ſalutis noſtræ commiſſa eſt à Chriſto ſoli Eccleſiæ catholicę, 2. Neceſſariò inſtruendi fideles cognitione Sanctiſſimæ Triadeos.

Baptizantes eos, Baptiſmi vis, vide A Lapide *in Titum* 3. *v.* 4. & 5. Et *ad Galat.* 3 *v.* 27. *n.* 88. 4. Baptizatis quare detur veſtis candida, 1. *Corinth.* 1. *v.* 7. & 1. *Corinth.* 5. *v.* 7 *n.* 67. 5. De cæremoniis Baptiſmi, *tit. v* 4. & 5. 6. Immerſione in aqua Chriſto figuramur, *Rom.* 6. *v.* 5. *n.* 10. 7. Baptizati quare ungantur oleo? 1. *Cor.* 9. *v.* 25. *n.* 80. 8. In Baptiſmo quomodo quaſi iterum creemur, *Epheſ.* 2. *v.* 10. *n.* 60. 9. Aqua Baptiſmi eſt aqua purgans & emundans, *Hebr.* 10 *v* 22 *n.* 23. 10 Baptiſmus iterari non poteſt, *Hebr.* 6. *v.* 6. *n.* 266. 11.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Crux ad initium operum noſtrorum formanda eſt, vide A Lapide *Philipp* 3. *v.* 18. *n.* 42. 2. De Sanctiſſima Trinitate, *Rom.* 8. *v.* 33. *n.* 22. 2. Item *Rom.* 11. *v.* 33. Item 1. *Cor.* 12. *v.* 6. Item 2. *Cor* 13. *v.* 13. Item *ad Rom.* 11. *v.* 36. 3. Eam ex creaturis Philoſophi cognoſcere non potuerunt, *ad Rom.* 1. *v.* 19.

Feſtum Venerabilis Sacramenti.

Ioan 6. v. 48. *Caro mea.* Narr.

I. C*Aro mea verè eſt cibus.* In inſtitutione Euchariſtiæ Deus fecit memoriā mirabi-

rabilium ſuorum, vide *Eucbariſtia*: Item *in Catecb. c. 4. Sacrament Eucbariſtia* Item *in Controu. tract. 2. pag. &c, De Eucbariſtiç Sacram. contra hæreticos.*

II. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt*. Quomodo virtus Euchariſtiæ variis figuris in Scriptura adumbratur, *ibid.*

III. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Quanta prœmia dentur Iis qui ad Communionem dignè accedunt, quanta pœna ſi indignè, *ibid. & infra in Diarij, & libri fine.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

CAro mea verè eſt cibus. Ioannis 6. Quanta reuerentia ad hoc Sacramentum accedẽdum in quo Ieſus ſe naturæ noſtræ accommodauit per cibum & potum.

Qui manducat hunc panem &c. Diſpar effectus & fructus communicantium ex eodem cibo.

Vincenti, dabo edere de ligno vitæ, Apocal. 2. Hic cibus antidotum contra venenum ſerpentis tribuens immortalitatem.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam, Cantic. 8. Infinities plus accepimus à Domino, quam reddere poſſumus: proſpexit diuina prouidentia homini non minus de cibo animæ, quam corporis, imò dedit omne quod poterat dare: quando ſuum corpus, & ſanguinem nobis teſtamento donauit.

Notas facit in populo ad inuentiones eius, &c. Iſaiæ 12. Inuenit diuina Sapientia modum veniendi ad nos, & manendi in cœlo per Euchar.

Et verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis, Ioan. 1. Solo verbo è pane carnem ſuam facit, vt habitaret in nobis.

Cum dilexiſſe ſuos, in finem dilexit eos, Ioan. 13. Exceſſus dilectionis Ieſus in S. Euchariſtia vſque ad finem pœtentiæ fuit, 2. Excedit Venerabile Sacramentum, omnem menſuram altitudinis, & latitudinis ſcilicet ad omnes homines, cuiuſuis conditionis ſe extendit, longitudinis uſque ad finem mundi ſine fine dilectionis, profunditatis, humilians ſe ſub vili ſpecie panis.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, &c. Cupit Dominus memoriam ſui ſeruari apud nos per venerabile Sacramentum.

Dominica II poſt Pentecoſten.

Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam*, Narr.

I. ET *cœperunt omnes ſimul excuſare*. Magna ingratitudo eſt, Deum per gratiam & prædicatores ſuos ad cœnam vitæ æternæ inuitantem non ſequi, vide *Ingratitudo, Exhortatio*.

II. *Primus dixit ei villam emi, &c.* Multi excluduntur à conuiuio regni cęleſtis per cupiditatem & auaritiam, v. *Auaritia*, item *in Catech. c. 5. de peccato capitali Auaritia*.

III. *Alius dixit, vxorem duxi non poſſum venire*: Multos etiam cœlo excludit luxuria, vide *Luxuria*. Item *in Catech. 5 de peccato capitali Luxuria*.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

HOmo quidam fecit cœnam magnam, *Luc. 14.* Saluator noſter neminem excuſat à Communione, ſed omnes inuiat.

Et vocauit multos. Quicquid nocumenti gula primi parentis nobis attulit, id cœna Euchariſtica reſtauratur.

Miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis, quia iam parata &c. Ad ſalutem noſtram, cuncta parauit Dominus, tantum deeſt voluntas noſtra.

Vt venirent, non ſingulis cœnam mittit, ſed omnes ad illam conuocat quia vult nos quoque cooperari, & venire, & quærere.

Cœperunt omnes ſimul ſe excuſare. Nulla in negotio ſalutis excuſatio apud Deum acceptatur, nam cuncta videt & cognoſcit, etiam intima cordis noſtri, quia Dominus eſt ſcrutator cordium iuxta illud Scripturæ ſacræ, ego Dominus *Scrutans corda & renes*. 2. Pleique ſtultè præferunt lautitias temporales æternis. 3. Metus & reſpectus humanus neminem excuſare poſſunt, quo minus hanc Sanctiſſimam cœnam frequentent.

Villam emi & neceſſe habeo videre illam. Emerat ille villam & non viderat, en ſtultitiam hominum qui aliquid emunt abſque eo quod videant & rem cognoſcant Hinc enarrari poſſunt incõmoda & mala quæ ex inconſideratione naſcuntur, 2. Per emptorem villæ intelligi poteſt ſuperbus, 3. Chriſtus eſt ſpeculum humilitatis. A Lapide *in Epiſt ad Philip. 2. v. 4. 4.* Humilitatis motiua, idem *Epheſ. 4. v. 2. 5.* Chriſtiana humilitate, *ad Philip. v. 14 6.* Stimulus ad retundendam ſuperbiam, *ad Roman. 3. v. 33. n 170.*

Iuga boum emi quinque. Peccator ſuauiſſimum Chriſti Salvatoris noſtri iugum ferre recuſat, & grauiſſimum difficillimumque dæmonis iugum portare cogitur, 2 Per emptorem bonum auarus poteſt intelligi, Auaritiæ deteſtatio, A Lapide *ad Epheſ. 4. v. 19. n. 151* Et *Epheſ. 5. v. 5. 4.* Diuitiarum appetitus quot ſecum incommoda afferat, *1. Timoth. 6. v. 9 & 10.*

Vxo-

Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Matrimonium neque nullus vitæ ſtatus excuſat à ſeruitio Dei, 2. Conſortia diuerſi ſexus omnino vitanda, nam mulieris affectus virum omnino attrahit, & maxima mala inde naſcuntur, 3. Mulierem tangere quam periculoſum A Lapide 1 *Corinth. 7. v. 1. & ſeqq.* 4. Carnalium hominum deſcriptio, 2. *Corinth.* 10. *v* 2. *n.* 183. 5. Quænam ſit arma carnalia ibidem 24. 6. Ex oppoſito poſſet hic agi de virginitate, eiuſque laude, & commodis A Lapide 1. *Corinth. 7. v. 34 & ſeqq.*

Pauperes & debiles, cæcos & claudos. Omnes afflicti promiſſionem cœleſtem habent.

Compelle intrare. Tribulationes, & pauperies ſtimuli ſunt, nos ad Paradiſum cœleſtem directè incitantes.

Nemo virorum illorum &c Ingens malum eſt hac cœna priuari, & contra, 2. Bona conſcientia iuge conuiuium, & mala conſcientia ferociſſimum tormentum.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Luc. 15. *Erat appropinquantes*. Narratio.

QVia hic peccatores recipit. Quanta Dei benignitas qui paratus eſt omnes peccatores per pœnitentiam in gratiam recipere, v. *Benignitas Dei Pœnitens*, Item *in Catech. cap.* 4. *de Sacram. Pœnit.*

II. *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Quantum placeat Deo ſeria pœnitentia, *ibid.*

III. Item pax conſcientiæ ex pœnitentia & confeſſione peccatorum, *ibid. & V. Confeſſio.* Item *Status gratiæ in fine Part.* 2.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

ERant autem appropinquantes ad Ieſum. Luc. 15. Peccatores pœnitentes Deo gratiſſimi ſunt. 2. Mundi prauitas à Deo homines auertit, quos eius bonitas ad ſe attraxit. 3. Nemo tantus Dei inimicus & reus eſt, quin habeat ſpem veniæ. 4. Gratiſſimum Domino Ieſu opus eſt; peccatorum miſereri. 5. Summa eſt Dei erga peccatores clementia. Vide à Lapide in Epiſtolam 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 13. *num.* 33. Peccatores tantum ad Chriſtum accedere nitantur, quantum peccando ab eo receſſerunt A lapide *Philipp.* 3 *v.* 12. *n.* 22.

Murmurabant Phariſæi. Detractores & murmuratores vt peſtis fugiendi. 2. Quantum malum ſit detractio & murmuratio, ſup. in App. v. *Detractio*, 3. Non deſinit Dominus bene operari propter obloquia & murmurationes præuiſas, ideo reſpectus humanus contemnendus eſt, 4. Conuerſionem peccatorum impedientes, vt Phariſæi Chriſtum denuò crucifigunt.

Hic peccatores recipit. Suſurrones Deo & hominibus odibiles ſunt, malum ſeminant, vt inuidiam alijs concitent.

Gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore. In noſtra manu eſt exhibere lætum aut triſte ſpectaculum in cœlo. 2. Quantum Angeli & Deus lætentur propter bonum noſtrum.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem, etc. Non parcit Ieſus labori vt errantes peccatores ad ſe reducat.

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Lucæ 5. *Cum turba irruerent*. Narratio.

TOta nocte laborantes nihil cæpimus. Superbi, auari, luxurioſi, qui tota nocte, id eſt, tota vita laborant pro honore opibus, voluptate, nullum laboris prœmium à Deo percipiunt, v. *Superbia*, *Auaritia*, *Luxuria*. Item *in Catech. cap.* 3. & 5.

II. *Exi à me quia homo peccator ſum*. Peccatorem omnia mala comprehendunt, quia deſerit illum Chriſtus, v. *Peccatum.*

III. *Relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Bona huius mundi ſunt retia quibus anima capitur, & ideò pro Chriſto abneganda, v. *Abnegatio*, *Fallacia mundi.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

AScendens Ieſus in vnam nauim, Luc. 5. Agi hic poterit de Eccleſia, eiuſque certitudine, qua vectores ſuos ducit ad portum ſalutis, quomodo eam Deus gubernet, per medios & horribiles huius mundi fluctus, 2. Eccleſiam numquam defeciſſe ſupra *Tom.* 1. *in Controuerſiis*. Item nauis eſt fides anchora ſpes, velum, & vexillum, charitas.

Cum turba irruerent. Funibus charitatis Saluator cunctos ad ſe trahit.

Per totam noctem laborantes, &c. In nocte peccati labor inutilis, & fruſtraneus eſt, ſecus in die gratiæ, 2. Diſparitas magna eſt inter ſeruos Dei & mundi huius laborantes, 3. Plures capiuntur retibus diaboli quam Chriſti.

Duc in altum, & laxate retia &c. Enitendum vnicuique noſtrum eſt, vt ad altiorem vitæ perfectionem ſuæ virtutis gradum perueniat, 2. Nemo, niſi propria ſua culpa numero electorum excludetur.

In verbo tuo laxabo rete. Cooperatio Dei & homi-

hominis ad ſalutem neceſſaria eſt, 2. Quam præclara & Deo grata prompta obediẽtia eſt, 3. Omnia noſtra opera ad obſequium Dei referenda ſunt, A Lapide *Rom.* 14. *v.* 8. 4. Deo fidendum etiam in rebus deſperatiſſimi, A Lapide *Hebr.* 11. *v.* 17. 5. Homo ex ſe nihil poteſt, in Deo omnia, 1. *Cor.* 4. *v.* 8.

Rumpebatur rete. Peccatum diſcordiæ, læſionis fraternæ charitatis, & ſchiſmatis, quantum malum ſit, vide A Lapide *Epheſ.* 4. *v.* 3. item *Hebr.* 10 *v.* 26.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Sicuti piſcatori multa toleranda, à ventis, mari, frigore, æſtu &c. ita & ijs qui volunt animas capere multum patientiæ opus eſt, vide A Lapide *in Dominicam* 2. *poſt Paſcha.*

Relictis retibus ſecuti ſunt eum. Omnia ſunt contemnenda, vt ipſum Saluatorem noſtrum lucremur & ſequamur.

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Matth. 5. *Amen dico vobis.* Narratio.

OMnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit Iudicio. Quam rigidè Deus à nobis requirit amorem erga proximum, v. *Amor proximi:* Item *in Catech. c.* 3. *Charitas proximi.*

II. *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quantam pœnam meretur inimicitia, & contumelia contra proximum, Vide *ſupra* in Appar. *Inimicitia, Inuidia.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

NIſi abundauerit iuſtitia veſtra &c. Matth. 5. Iuſtitia Chriſtiana abundare debet, non ſolum interna, ſed etiam externa virtute. 2. Non eſt vera iuſtitia, quæ non ponderat culpas graves. 3. Deus veræ virtutis & iuſtitiæ æſtimator eſt. 4. Victoria ſui, humanæ prudentiæ & iuſtitiæ nutrix eſt. 5. Plura ab ijs exigentur, quibus plura & maiora data ſunt, aut qui plura ſciunt.

Pluſquam Scribarum & Phariſæorum. In operibus bonis, non laus, non propria gloria, ſed Dei quærenda eſt. Externa etiam operatio non ſufficit, ſed interna intentio requiritur. 3. Agi hic poſſet contra ſtolidam hæreticorum confidentiam, qui ſufficere aiunt ſolam fidem ad ſalutem, de qua hic *Tom.* 1.

Non occides: Peccatum homicidij grauiſſimum eſt, cuius malitia non ſolum actu externo fit, ſed etiam ſola mente fieri poſſet.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit &c. Odii fomitem extingues facillimè, ſæpius cohibendo iram. 2. Quantum damnum ira homini afferat, vide ſuprà in Appar. V *Iracundia.*

Quomodo iram cohibebis & domabis, vide A lapide *in Epiſt ad Epheſ.* 4. *n.* 26. Item quomodo iræ alienæ cedendum: *Roman.* 12. *v.* 9. Item ultione non eſſe quærendam ibidem.

Si offers munus tuum ad altare. Nullum ſacrificium Deo gratum eſt, quod non ſale amoris fraterni conditum eſt.

Relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari. Nullus Deo gratus eſſe poteſt qui diſcors eſt cum proximo ſuo.

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Marc. 8. *Cum turba multa.* Narratio.

I. MIſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me. Si tam benignus eſt Chriſtus erga ſuos, qui tantùm triduò illum ſecuti ſunt, qualis erit illis, qui tota vita mundum abnegantes illum ſequunrur, v. *Benignitas Dei, Abnegatio mundi.* Item *in Catech. cap.* 8. *conſilia Euangelica.*

II. *Quot panes habetis: qui dixerunt ſeptem.* Septem panes myſticè deſignant ſeptẽ Sacramenta, quibus populus Chriſtianus roboratur & alitur in vitam æternam. V. *Sacramenta in particulari:* Item *in Catech. cap.* 4.

III. *Et præcepit turbæ diſcumbere:* Chriſti exemplo exercendo liberalitas erga egenos & eſurientes, v. *Liberalitas:* Item *in Catech. cap.* 5. *Opera 7 miſericordiæ.*

Conceptus alii de eodem Euangelio.

MIſereor ſuper turbam. Marc. 8. Dei in nos Miſericordia, vide A Lapide *ad Rom.* 12. *verſ.* 1. & 2. *Corinth* 1. *verſ.* 3 Item *Hebræos* 2. *verſ.* 18. 2. Non poteſt miſericors Dominus ſuorum indigentiam obliuiſci. 3. In Deſerto tribulationis veri Dei ſequaces cognoſcuntur.

Iam triduo ſuſtinent me. De perſeuerantia in virtute, vide A Lapide *Philip.* 1. *v.* 6 Item *Hebræos* 4. *v* 3 2. Dei liberalitas in ſuos effuſa preuenit indigentiam eorum. 3. Plus ſolicitus Deus pro corporis noſtri inopia, quam nos pro ſpirituali noſtra. 4. Amanti longum tempus exiguum videtur, vnde huic turbæ non videbatur longum ieiunium. 5. Agi etiam hic poteſt de Prouidentia Dei non ſolum erga hunc populum, ſed erga omnes creaturas, quas mirè paſcit, gubernat, &c.

Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient. Deus non durus eſt, vt homines, ſed

ſed compatitur ſeruis, infirmis & deficientibus:

Dabat Ieſus diſcipulis ſuis, vt apponerent turbæ. Officium patris familias eſt, non permittere ut pueri, aut ſervi patiantur vel affligantur, dum poteſt mederi, vel auertere.

Suſtulerunt quod ſupererat de fragmentis. Eleemoſyna de bonis ſuperfluis quantum curanda.

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Matth. 7. *Attendite à falſis &c.* Narratio.

I. *ATtendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*: Cavendum ab hypocriſis & ſimulatione, qualis eſt hæreticorum, Vide *Hypocriſis*, *Aſtutia*, *Adulatio*.

II. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur*, Vide *Iuſtitia diuina*, *Mors*, *Infernus*.

III. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum*: Non ſufficit fides ſine bonis operibus, & obedientia mandatorum, V. *Contr. Tract. 2. c. 2.* Item *in Apparatu*, V. *Fides*, *Obedientia*.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

ATtendite à falſis Prophetis, *Matth.* 7. Homo cinctus impoſtorum inſidijs eget divino auxilio. 2. Vitandi hæretici vt peſtis A lapide 2. *Timoth.* 2. *v.* 16. 3. Hæretici quomodo verbum Dei truncant, & adulterant vide ſuprà in *Tom.* 1. *pag.* 122. 4. Eorum vaniloquentia 2. *Timoth.* 2. & 3. 5. Eorum Hypocriſis ibidem *v.* 5. 6. Eorum perverſa conſcientia 1. *Timoth.* 4. *v.* 2. 7. Quomodo cum ijs ſit agendum ad *Titum* 3. *v.* 11. 8. Sunt ſimiles Iudæ, ibidem num. 111. 9. Sunt ſemper ſuperbi 1. *Timoth.* 6. *v.* 1. *n.* 88. A lapide, alijque Interpretes, ibidem.

Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: Sunt tales qui exterius ſe ſanctos ſimulant, & interius odio, furoreque exceduntur.

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: Opera externa Teſtimonium dant interni hominis.

Non poteſt arbor bona malos fructus facere: Ex radice bonæ voluntatis, nihil mali naſcitur, dum talis manet.

In ignem mittetur: Ignis infernalis, quam diuturnus, vorax, horribilis &c. Vide in Appar. *Infernus*.

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Luc. 16. *Homo quidam erat dives.* Narratio.

REdde rationem villicationis tuæ: Reddenda eſt ratio operum noſtrorum in hac vita per Confeſſionem, ne à nobis in morte ſeueriùs exigatur, V. *Confeſſio*, *Mors*, Item *in Catech. cap. 4. Confeſſio, & cap. 5. 4. noviſſima*.

II. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Redimenda peccata per eleemoſynas, V. *Liberalitas*: Item *in Catech. cap. 5. opera miſericordiæ*.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

HOmo quidam erat Diues: Diuitiæ cœleſtis Patriæ his perituris præferendæ ſunt.

Et habebat villicum: Nos omnes in hac vita villici Dei ſumus.

Diffamatus eſt: Cauenda Teſtimonia falſa ſunt, ſeu accuſatione. 2. Amor proprius in ſe prodigus, in alios durus accuſator.

Quaſi diſſipaſſet bona: Adiungit *quaſi*, quia nullus Deũ ſuis & bonis & Dominio priuare poteſt. 2. Etiam bonæ famæ cura habenda eſt, A lapide 2. *Cor.* 3. *v.* 45.

Quid hoc audio de te? Deus ad vindicandum tardus in hac vita eſt: 2. Abuſus diuinę bonitatis rigorem iuſtitiæ prouocat.

Redde rationem villicationis tuæ: Quam horrendum ſit futurũ iudicium poſt hanc vitam: 2. Memoriam iudicijs iſtis ſemper præ oculis habendam eſſe, cum valdè ad ſalutẽ noſtram operandam, conducat: Vide A lapide *Roman.* 14. *verſu* 10. 3. Diem iudicij inſtar, A Lapide *Philippenſes* 4. *verſu* 6. 4. In iudicio iſto quiſque ſuum onus portabit, idem *Galatas* 6. *verſu* 5. 5. Quiſque habeat librum computuum & rationum cum Deo, *Philippenſes* 4. *verſu* 15. 6. Liber vitæ quid ſit, & quomodo in eo ſcribamur, *Philip.* 2 *verſu* 2. 7. Dilatio reddendæ rationis vſque ad finem vitæ noſtræ, incurios haud facere debet: 8. Cura carnis, & neglectus animæ, terribile reddit tribunal Dei: 9. Deus exactè, & uſque ad ultimum obulum requiret in altera vita: 10. Reddenda erit ratio de vita noſtra integra, cui plus impenderimus, an ſenſualitatibus & vanitatibus an vero in ſeruiendo Deo & pauperibus: Permutat Deus munia & ſtatus ad cohibendos homines.

Ait villicus intra ſe: Hic agi poſſet de examine conſcientiæ, quam bona ſit praxis quotidie

ſe

ſe examinare veſperi ante cubitum, & quam utilitatem afferat.

Dominus aufert à me villicationem: Non conquerendum eſt, dum Deus aufert bona temporalia, uxorem, maritum, filiorum, chariſſimum, patrem vel matrem &c. quia Dominus omnium illorum eſt.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Opera miſericordię, patrocinium parant apud judicem.

Quantum debes? Examinando conſcientiam noſtram facilè videre poterimus, quanti ſimus Deo debitores.

Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis. Sapientia hujus mundi ſtulta eſt, vide A lapide 1. *v.* 20. Item 1. *Cor.* 3. *v.* 18. & 19. 2. De prudentiâ carnis & ſpiritus idem *Rom.* 8. *v.* 6.

Dominica IX poſt Pentecoſten.

Luc. 19. *Cum appropinquaret.* Narratio.

I. *Videns civitatem flevit ſuper eam:* Anima peccatrix rectè comparatur Hieroſolymæ brevi deſtruendæ, talem animam Chriſtus luget, quia illa ſeipſam non deflet lacrymis patientiæ, Vide *Peccatum, Pænitentia, etiam in Catecheſi, cap.* 4.

II. Scriptum eſt, quia domus mea domus orationis eſt. In Templo non fabulis, ſed ſoli orationi vacandum eſt, V. *Oratio; Eccleſia item in Catech. cap.* 2. *de Orat. Dominica, &c.*

Conceptus alij de eodem Evangelio.

Videns civitatem flevit ſuper illam. Quomodo Dei amor in hominé & indignatio in peccatum ſimul confligant: 2. Quanti momenti ſint juſtorum lacrymæ etiam peccatorum apud Deum ſi ex contrito corde promanent; 3. Non minus gaudium Deo juſti pariunt, quam impii dolorem: 4. Tam invitus eſt Deus ad punitionem, quam inimicus ad vindictam pronus: 5. Flevit Jeſus præviſas Eccleſiæ ſuæ afflictiones & damna: 6. Cauſa propria animæ noſtrę tam debet nobis cordi eſſe quam Chriſto: adeoque à nobis ſeriò defleri.

Si cognoviſſes & tu: Proſperitas huius mundi oculos noſtros claudit, adverſitas illos aperit: 2. Cæcitas mentis quantum malum: 3. Cæcitas urbis Hieroſolymitanæ cauſa fuit exitii illius, Vide A lapide *Hebræos* 10. *v.* 25. *num.* 360. 4. Sicut ſuo tempore Deus civitatem punivit iſtam, ita nunc peccatore ſcelerum menſura impleta: Idem 1. *Theſſ.* 2. *v.* 16.

Coanguſtabunt te: Tribulationes Ieroſolymitanę civitatis, Symbolum ſunt anguſtiarum quas anima patitur in mala conſcientia.

Dominicę X poſt Pentecoſten.

Lucæ 18. *Dixit Ieſus ad quoſdam.* Narratio.

I. *Non ſum ſicut cæteri hominum:* Vitium eſt jactantiæ præ ſe alios aſpernari: V. *in Appar. Iactantia.*

II *Omni, qui ſe exaltat, humiliabitur.* Superbis proxima eſt Dei vindicta & ruina: V *Superbia* ibidem.

III. *Et qui ſe humiliat exaltabitur.* Proprium eſt Deo humiles exaltare in vita præſenti, & futura: V. *Humilitas* ibidem.

Conceptus alii de eodem Evangelio.

Duo homines aſcenderunt in templum Luc. 10. Cor humile orantis capaciſſimum ad hauriendum gratiam: 2. Acceſſum præbet Deus humilibus in domum ſuam, ſuperbis negat.

Apud ſe orabat: Oratio quę tantùm fit labiis, nulla eſt, nec ab angelis ad cœlum defertur, mens quoque ad Deum elevetur & collaboret juxta illud Chriſti *populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Gratias tibi ago Domine: Immunis à gravioribus tantùm delictis verè probus haberi nequit: 2. Pro omnibus Deo gratiæ agendæ ſunt aſſiduo.

Non ſunt ſicut cæteri hominum: Noſtri non aliorum defectus conſiderandi ſunt. Cornelius A lapide 1. *Timoth.* 1. *v.* 13. Item *Galat.* 6. *v.* 4. 2. Quomodo omnes debeamus putare alios meliores: Idem *Philip.* 2. *v.* 3.

Publicanus à longe ſtans: Verecunda & humilis confeſſio, vincit cor Dei offenſi. 2. Humilitas viam ad cęlum ſterni.

Deus propitius eſto mihi peccatori: 1. Prius deteſtanda delicta ſunt, ut Deo conciliemur: 2. Nihil contra corruptæ naturæ pravitatem præſtantius, quam propriæ imbecillitatis confeſſio.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam: Deus promptiſſimus & paratiſſimus ad peccatorem recipiendum, & peccata ejus condonanda.

Omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Tam avertitur Deus à ſuperbis ſe erigentibus, quam ad humiles convertitur.

Dominica XI poſt Pentecoſten.

Marc. cap. 7. *Exiens Ieſus.* Narratio.

I. Adducunt ei ſurdum, & mutum: Surdus eſt qui non audit verbis Dei præcones: V. *Prædicatio*.

II. Item *mutus* eſt qui non audet peccata ſua confiteri, V. *Confeſſio: item in Catech. cap. 3.*

III. *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui.* Inter maxima Chriſti miracula non minimum eſt tales ſurdos & mutos per gratiam ſuam ad pœnitentiam adducere: V. *Chriſtus*: Item *in Catech. cap. 4. exempla pœnitentiæ*.

Conceptus alij de eodem Evangelio.

Adducunt ei ſurdum & mutum Marc 7. Proximi neceſſitatibus proſpiciendum, la Nuza *Hom. 22. n. 2. 3. 4.* 2. Theophilactus putat per dæmonem hunc ſurdum & mutum effectum eſſe: Dæmoni certè proprium eſt, homines *Surdos* facere *Hom. 19. n. 43. 44. Muto* ibidem *n 49. & ſeq.* 3. Felix quam Dominus periculo ſubducens curat & ſalvat: 4. Non minor miſeria ſpiritualiter, quam corporaliter eſſe ſurdum & mutum: 5. Periculoſum malum, cui curando non quæritur medicina: 6. Surdus & mutus peccator eſt *Rom. 6. v. 9.* A lapide.

Apprehendens eum de turba ſeorſim, 1. Cura & correptio fraterna ſeorſim, & amicè facienda.

2. Si ſanari cup's à Domino, ſubducas te aliquantiſper mundanæ turbæ. *Lanuza Hom. 11. nu. n. 12. 13.*

Tetigit linguam ejus, 1. Linguam particularem, & accuratam requirit medicinam, *Hom. 23. n. 25 & ſeqq.* Item *Hom. 13. num. 5.*

2. Lingua bene cuſtodienda eſt à mendaciis, impudicitiis, detractionibus &c.

Suſpexit in cælum, & ingemuit. Peccatoribus non eſt acerbè iraſcendum, ſed miſericorditer compatiendum, Lanuza *hom 31. n. 56.* item *homilia, 32 n. 68. 69. homilia 25. num. 42. 43. hom. 25 n 89 hom. 38. n. 140.*

Præcepit ne cui dicerent, 1. Bona opera per ſtudium humilitas abſcondenda, idem *hom. 1 n. 28.*

Quanto magis tu abſcondens, tanto Deus aperuit illa manifeſtabit, *hom. 26 n. 17. 18. 19.*

Bene omnia fecit. In utilitatem proximi benefaciendum, non ſicut aliqui mundani homines, qui multa magnificè operantur, ſed in bonum proprium, & in damnum creditorum, pauperum, ſubditorum, proximi, *hom. 8. n. 44. & ſeqq.* item *homil. eadem n. 39. uſque 45.*

Dominica XII. poſt Pent.

Lucæ 12. *Beati oculi*, Narr.

I. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, v. in Appar. *Amor Dei* item *in Catech. c. 3. de Charitate.*

II. *Et proximum tuum ſicut te ipſum*, v. ibid. *Amor, & Charitas proximi.*

Homo quidam incidit in latrones, qui & deſpoliaverunt eum. Hac parabola pulchrè exhibetur ſtatus peccatoris, cuius plagas ſanat Chriſtus tanquam pius Samaritanus, v. ibid. *Benignitas Dei, Chriſtus &c.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum 1. Dilectio proximi prævalet dilectione ſui ipſius, vide *Dominicam 17. poſt Pent.*

2. Sine dilectione eſt, qui ſe à proximi ſubſidio avertit.

3. De dilectione utraque, vide A Lapide *Rom. 13 v. 9. n. 182.*

Quid faciendo vitam æternam poſſidebo &c. Etiam tua hęc eſſe debet præcipua cura & ſollicitudo, nam vita præſens brevis & ærumnoſa eſt, indigna noſtris votis, quibus æternæ & longè maiora parata ſunt, Lanuza *hom. 32. n. 70. 71. 72.* Item *hom. 49. n. 4. 5. 6.*

Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho. Per hunc hominē intelligi poteſt Genus humanum, quod per Adamū, veluti dire protem æternæ felicitatis, exutum eſt donis gratiæ; ac præterea in tribus animę potentijs gravia vulnera accepit. Huic medetur Chriſtus verus Samaritanus oleo charitatis &c.

Infundens oleum & vinum. Peccator manſuetudine & lenitate convertendus, tractandus corripiendus: non iracundia, & aſperitate, ne arceatur a confeſſione & remedijs ſalutis.

Dominica XIII. poſt Pent.

Lucæ 17. *Dum iret Ieſus*, Narr.

I. *Occurrent ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè.* Decem leproſi myſticè ſunt homines infecti peccatis contra decem præcepta, qui ideo longè abſunt à Chriſto, v. *Peccatum*, Item *in Catech. c. 3. in 10. Præcepta.*

II. Ite

II. *Ite oſtendit vos Sacerdotibus*. Remedium contra leprā peccati optimum eſt ſe manifeſtare Sacerdotis per confeſſionem, vide *Confeſſio*. Item *in Catech. de Sacramento Pœnitentiæ*. Item *Remedia ſing. peccat.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

OCcurrerunt ei decem viri leproſi *Lucæ c.* 17. Morbus & vexatio, occaſio fuere, cur hi decem leproſi ad Chriſtum accurrant, ſic tribulario nos ad Deum reducit, *Salazar in Prou. Tom.* 1.*pag.*201.*n.*86.

IV. Lepra contagioſa eſt ideoque vitanda, ita malum conſortium, exemplum &c. A lapide 1.*Corinth.*6.*v.*14.*Hebr.v.* 25.

V. Sicut mala ſocietas noxia, ita bona maximum ad virtutem incitamentum. Idem *Hebr* 10.*v.*24.

Steterunt à longè. Melius fuiſſet propius accedere, nam Dauid dicit *accedite ad eum, & illuminamini*, à longè ſtant, qui volunt ſe emendare, ſed non practicant, id eſt non ad actum perueniunt.

Oſtendit vos Sacerdotibus. Requirit Deus, remiſſa culpa, ſatisfactionem pœnalem oſtendendi ſe Sacerdoti.

Dignitas Sacerdotis maxima, A Lapide 2. *Corinth.*3.*v.*6. *& Hebr. toto capite.*

Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, 1. Ingratitudo repugnat naturæ rationali, & animalibus deteſtabilis eſt, nā ratio docet ſi flagret domus, homines eripere flammis &c. quamquam inimici ſint, multo magis ſi dona ab eis acceperimus: ratio docet, dum aliquis ægrotat, curare vt ſanetur &c. Bruta docent exemplo ſuo gratitudinem. De Leone cui ſpina extracta &c.

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Matth.6.*Nemo poteſt*. Narratio.

I. NEmo poteſt duobus Domini ſeruire Nempe Deo & cupidirari diuitiarum, v. *Auaritia*. Item *in Catech c.*4.*de* 7.*pecc. Capital.*

II. *Ne ſollicitiſitis animæ veſtræ quid manducetis*. Hic pulchro exemplo volucrum, &c. exciramur ad fiduciam in paterna Dei prouidentia, vide *ſup. in Appar. Spes, Fiducia: & in Catecheſic.*12 *de Spe.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

NEmo poteſt duobus Domini ſeruire. *Matth.* 6. 1. Mundus ergo contemnendus eiuſque vanitates, ſed Deo ſoli adhærendum eſt.

2. Eodem loco, non poteſt eſſe habitatio Dei, & Diaboli, quia ædificia illorum nimium differunt, Deus humilis, diabolus elatus, & ſuperbus.

Non poteſtis Deo ſeruire & mamonæ. 1. Qui diuitis acquirendis ſtudent, ſerui & mancipia diuitiarum ſunt.

2. Dæmon homines illos decipit, ſicut perſpicialia punctata, quæ rem in viſione multiplicant, ſed nihil videnti plus tribuunt.

3. Exigit a nobis Deus integrum ſeruitium vt ſolus Dominus, iure creationis, & redemptionis, &c.

4. Qui mammonæ ſeruit, curis euiſceratur, ideoque Deo ſeruire non poteſt.

Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid &c. 1. Cura corporalis moderanda, ne ſpiritualem impediat.

2. Cogitandum non eſt nobis de die craſtina, quem forte non videbimus, ſed hodiernus bene & ſanctè tranſigendus.

Nonne anima plus eſt quam eſca? Prima cura debetur animæ, tanquam parti nobiliori, 2. corpori.

Quærite primum regnum Dei, &c. Seruitium mundi, & Dei ſibi contrarianrur, quia mundus proponit, quæ Deus prohibet.

Deus nobis ſufficit, diuitiæ non poſſunt nos beare A Lapide *Philip.*4.*v.*11.

Dominica XV poſt Pentecoſten.

Lucæ 17. *Ibat Ieſus in ciuitatem*. Narratio.

I. NOli flere. In fletu, & tribulatione recurrendum eſt ad conſolationem diuinā, v. ſup. *Tribulatio, Conſolatio diuina.*

II. *Adoleſcens tibi dico ſurge*. Quanta Chriſti potentia & bonitas vt homines iuuet, & eleuet à morte peccati, vide *Chriſtus, Peccatum.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

ECce defunctus efferebatur, &c. 1. Deflendi ſunt potius ſpiritu quam corpore defuncti, vt ſunt, qui peccarunt mortaliter.

2. Triſtior ſeparatio animæ à gratia Dei eſt, quam à mortali corpore.

3. Nemo ætati fidat ad procraſtinandam vitæ correctionem.

4. Peccatum plus damni, quam mors corporalis homini affert.

5. Quando Deus filios mori permittit, ſæpe per hoc vult ſaluare matrem, ipſoque non exemplo miſericordiam intimat.

Noli flere, 1. Lachrymæ quæ ad bonam, rectam & ſinceram confeſſionem ſeruiunt, vtiliſſimæ ſunt.

Lachrymæ viduarum & pupillorum, cęlum penetrant,& apud Deum iuſtitiam exigunt.

Et acceſſit & tetigit loculum, Chriſtus ad viſum,& contactum cadaveris nihil perterritus, acceſſit, tetigit, mortuum reſuſcitavit: quid enim ſibi vita timeret à morte? Non ſecus nobis obviandum eſt diabolo, & tentationibus eius, veniat licet cum magno apparatu, & multitudine, qui enim in nomine Domini pugnat, vincit.

Reſedit qui erat mortuus,& cæpit loqui. Cadauer defuncti, vivax, & efficax prædicator eſt viuentibus.

2. De morte,& mortificatione huius vitæ, vide A lapide *Coloſſ.3.v.5.n.12.*

3. Quomodo ſit mori lucrum, *Phil.1. v.21.*

4. Sancti quomodo ad mortem aſpirauerint, *ibid.n.4.v.23.n.46.*

5. Pijs mors non eſt timenda, *2.Timoth.4 v. 6.n.196.*

6. Adoleſcentes etiam moriuntur, adeoque ſemper vigilandum. *1.Teſſ.5.v.6.*

7. Mortui moderati ſunt lugendi. *Phil.1.v.21.*

Dominica XVI poſt Pentecoſten.

Lucæ 13. *Cum intraſſet Ieſus*. Narratio.

I. *Si licet Sabbatho curare*, Diebus Dominicis,& Feſtis exercenda ſunt opera pietatis, non verò ſeruilia, ludi, aut ſympoſita. V. *Sabbathi obſeruatio.* Item *in Catech.cap.3 præcepto 2.*

II. *Recumbe in nouiſſimo loco*, Qui quærunt pro Chriſto in hac vita eſſe nouiſſimi, in futura vita erunt primi, & contra, V. *Humilitas, Superbia.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

Homo quidam Hydropicus erat ante illum, *Luc.14.v.1.* Hydropicus hic ab aliis quidem ferebatur, ſed & ipſe optima erga Chriſtum erat voluntate. Quare non ſufficit ut alij pro nobis orent, vel quidpiam boni faciant, ſed debemus ipſi ſaluti noſtrę cooperari. 2. Homo auarus ſiti rerum terrenarum inſatiabilis, hydropicus eſt.

Cum inuitatus fueris ad nuptias. Spiritualiter ad Sacramentales nuptias inuitamur, & vltimo loco collocare nos conuenit, id eſt magna humilitate accedere. 2. Quam ſobriè eſſe conſueuerint conuiuia primorum Chriſtianorum, A lapide ad *Epheſ.5.v 19.3.* Quomodo in nuptijs agendum ſit, nempe parcè bibere, non ſe ingurgitare &c.

Ne forte honoratior te. Nemo ſecurius in hoc mundo ſedet, quam humilis, nam nullus ei ultimum locum invidebit.

Quiſe humiliat exaltabitur. 1. Nemo in cælis altius aſcendit, quàm qui in terris deſcendit: 2. Humilitas ſcala ad gloriam eſt, nam ea Chriſto Domino & Marię Matri Ieſus aſſimilamur, quæ humilitate ſua meruit Mater eſſe Ieſu, iuxta Bernard. *virginitate placuit, humilitate concepit.*

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Matth.22. *Acceſſerunt ad Ieſum.* Narratio.

I. *Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi.* Peccatores debent accedere ad Chriſtum per pœnitentiam: V *Pænitentia, Spes.*

II *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Debent etiam accedere per amorem Dei, & Proximi. De hoc vide *ſuprà in Dominica 12.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 22. Deus à nobis totalem dilectionem appretiativam exigit. 2. Requirit à nobis Deus, filialem dilectionem præ ſeruili obedientia 3. Non patitur Deus partem aut menſuram dilectionis, ſed totũ cor vult habere: 4. Vult Deus prior eſſe in affectu, proximus in executione. 5 Non debet dilectio Dei minor eſſe in adverſis, quam proſperis. 6 Omnia Dei præcepta ſeruatur facilia ſunt, & qui illa obſeruat, diligit Deum, iuxta illud: *Qui habet mandata mea, & ſeruata ea, ille eſt, qui diligit me.*

Vnus ex legis Doctor: Homo ſapiens (id eſt qui multa ſcit) ſi ſcientiam ſuam malitiæ applicet, ad tentandum erit diabolo non multo abſimilis.

Dominica XVIII poſt Pentecoſten.

Matth.9. *Aſcendens Ieſus.* Narratio.

I. *Et ecce offerebant ei paraliticum iacentem in lecto*. Similes ſunt huic paralitico, qui iacent in lecto luxuriæ, acediæ,& aliorum vitiorum: V *in Appar. Luxuria, Acedia.*

II. *Tunc ait paralitico: Surge, tolle lectum tuum*. Id eſt, reſurge à peccatis per pœnitentiam, & deſere conſuetudinem vitiorum in qua iaces: V. *Pænitentia* ibidem.

III. *Et*

III. *Et vade in domum tuam:* Nempe ad Eccleſiam & Patrem cæleſtem cum filio prodigo, dicens, *Peccavi in Cælum & coram te, &c.* V. *Confeſſio peccatorum*, ibidem.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

Offerebant ei paralyticum. Matth. 9. 1. Affectus peccandi, & habitus hominem paraliticum & inſenſibilem reddunt. 2. Opus divinum eſt non humanum, curtare inveteratum peccatorem: 3. Fideles amici, ut hi offerentes, non minus alienum bonum, quam proprium quærunt.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. 1. Solus Deus judex, & ſcrutator cordium, & renum: 2. Quantum malum ſit judicium temerarium.

Surge tolle lectum tuum &c. Nuſquam homo melius eſt, quam dum domum cordis ſui rectè diſponit.

Confide filii: In Deo ſemper ſperandum, A lapide *in c. p. 1. Hebr. 13. v. 5. n. 89. & v. 6.* ſpei & fortitudinis exempla *Hebr. 6. v 17.*

Remittuntur tibi peccata tua. 1. Cauſa multorũ malorum & afflictionum ſunt peccata: 2. Fiducia in Chriſto ſalvatore omnibus neceſſaria.

Vt autem ſciatis &c. Salus corporis, ad ſalutem animę ordinatur, ideo Chriſtus ab hac incipit.

Dominica XIX. poſt pentecoſten.

Matth. 22. *Loquebatur Ieſus.* Narratio.

I. *Miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias.* Deus mittit ſuos Sacerdotes, ut per prædicationem invitent homines ad fidem Chriſti, & vitam æternam. V. *in Appar. Prædicatio, Fides, Gloria æterna.*

II. *Illi autem neglexerunt.* Quam periculoſa eſt negligentia, & duritia cordis quando à Deo vocamur ad animæ ſalutem: V. *Duritia cordis, Inobedientia*, ibidem.

Conceptus alij de eodem Euangelio.

Rex fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22. 1. Quomodo Eccleſia, & quævis anima, ſit ſponſa Chriſti, & Chriſto deſponſata: A lapide 2. *Corinth. 11. v. 2. n. 199.* 2. Perfectiſſimè Deo illa deſponſatur per votum virginitatis. 2. *Corinth. 11 v. 2. n. 105.*

Et nolebant venire. Omnis malitia à voluntate noſtra pendet.

Miſit ſervos ſuos &c. Salus & perditio noſtra ex nobis, cum Deus hic neminem invitandum excipiat. 2. Permittit Deus hominem liberum, ut veniat ad nuptias vocationis divinæ.

Perdidit homicidas illos. Poſtquam Deus homini miſericordiam ſuam oſtenderit, & non ſe emendaverit, gladio juſtitiæ illum aggreditur.

Nuptiæ quidem paratæ ſunt. Indigni ſunt regno Dei, qui temporalia æternis præferunt.

Amice quomodo huc intraſti &c. 1. Chriſtianus ineſcuſabilis, ſine veſte nuptialis gratiæ moriens: 2. Veſtes nuptialis amiſſa, tempeſtivè recuperanda eſt: 3. Sordibus erit, qualitercumque veſtiaris, niſi etiam charitate Chriſtiana amiciaris.

Ligatis manibus & pedibus mittite eum &c. 1. Nuptias cœleſtes reſpuunt, qui hic imparati viuunt: 2. Infernis ignis quam horribilis. De Ponte *Tom 2. Hom. 93.* 3. De pœna damni. ibid. *Hom. 96.* 4. De puritate requiſita in ſumptione venerab. Sacramenti: Ibid. *Hom 82.* 5. De præparatione ad eam neceſſaria: Ibid *Hom. 83.*

Multi ſunt vocati, pauci vero electi. 1. Solatium veris Chriſtianis eſt, plures ex jis ſalvandos, quam damnandos: 2. Paucitas ſalvandorum, nos ſollicitos reddere debet: 3. Solummodo unus hic non veſtitus rejectus fuit, quomodo ergo pauci electi? quia amori divino, unus deperditus, plurimi videntur.

Dominica XX poſt Pentecoſten.

Ioan. 4. *Erat quidam Regulus* Narratio.

I. *Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus:* Si Regulus tam ſollicitè orat pro vita corporali filii ſui, quantò magis oportet habere zelum pro vita ſpirituali proximi ſui: V. *Zelus, Amor proximi.*

II. *Dixit ei Ieſus: Vade filius tuus vivit.* Quam potẽs eſt humilis oratio ad obtinendã à Chriſto ſalutem: V. *Oratio, Chriſtus, Benignitas Dei.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

Erat quidam Regulus, Ioann. 4. Dives in bonis, ſed pauper in fide, pro ſalute corporali filii ſolicitus, pro ſalute animæ ſuæ nihil petit.

Erat regulus. Omnes magnates reſpectu Dei in hoc mundo, tantùm Reguli, imò minores ſunt.

Cujus filius infirmabatur, &c. 1. Afflictio & ægritudo corporis multis ſalutaris eſt: 2. Non eſt dignus Dei ſervus, aut miles Chriſti, niſi exercitatus fuerit; Anima noſtra, peccatis venialibus maculata, infirmatur non moritur.

Abiit ad eum. Tribulatio peccatorem ad Deũ reducit, vide ſuprà *Dom.13. poſt Pent.*

Rogabat eum. 1. Orandum aſſiduè eſt, ut à Deo aliquid obtineamus, vel aliquo malo liberemur. 2. Tribulatio optima orationis magiſtra eſt.

Regulus orat pro filii ſui ſalute. 1. Opes, vitam, & honorem filiorum voluit Deus perdere ob peccata parentum. 2. Parentes filios perficere debent, ut artifex ſtatuam, *Tom.2. pag.18. n.20. Salazar.* 3. Parentum probitas egregios filios efficit: *Tom.2 pag.* 239. 4. Sicut hic Regulus, ſollicitus fuit de ſalute corporis filii ſui, ita parentes eſſe debent, de ſalute animę liberorum: A lapide *Epheſ.6. v.4.* 5. Liberis quantum proſit parentum pietas. 2. *Timoth.1. v.6.*

Domine deſcende priuſquam moriatur. Compellit neceſſitas corporis, quos animæ ſalus non trahit, cupit Dominus in ægritudine, & afflictionibus agnoſci, ut peritiſſimus Medicus.

Credidit ipſe & domus eius tota. 1. Ab exemplo parentum & ſuperiorum pendet probitas ſubditorum: 2. Fides illuminans, & charitas operans, ad ſalutem neceſſaria.

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Matth. 18. *Simile eſt regnum Cælorum.* Natr.

I. *Miſertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Docet tota hæc parabola diligendum eſſe proximum, & iniurias ei remittendas: V. *Amor proximi*: Item *in Catech. cap.3. de Char. proximi.*

II. *Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus donec redderet univerſum debitum.* Deus ex rigore juſtitiæ meritò nihil remittit illis, qui nihil aliis volunt remittere: V. *Iuſtitia divina.*

Conceptus alii de eodem Evangelio.

Voluit rationem ponere cum ſervis ſui. Matth. 18. Tota vita noſtra conſiſtit in ſolutione debitorum, nam ſumus debitores, 1. Deo: 2. Proximo: 3. Nobis: in uſu creaturarum, & proprii corporis, & animæ.

Patientiam habe in me. Debitor & creditor patiens, eſt Deus, ita & nobis faciendum ut ei conformes fiamus.

Miſertum autem Dominus ſervi illius. 1. Deus hominem peccato obnoxium creavit, ut ſuam in eum bonitatem exercet: 2. Divina miſericordia, & bonitas ſuperat malitiam hominum. 3. Nemo hic diffidat de bonitate Dei, cuius thronus gratiæ pater.

Nonne oportuit te miſereri, &c. 1. Meminiſſe miſericordiæ oportet, ius ſuum & iuſtitiam non rigidè exigendo: 2. Mirius agit Deus cum peccatores reo, quã homo cum debitore ſuo. 3. Bonitas & ſatisfactio redemptoris, docet nos miſereri.

Tradidit eum tortoribus quoad vſque redderet: Iuſtitia diuina, nemini parcet poſt hanc vitam, ſed ei ſoluendum erit ad obulum.

Sic & Pater meus cæleſtis &c. Miſericordiam Dei auertunt, qui alieno exemplo non miſerentur: 2. Exemplum aliorum debet nos à peccatis auertere.

Si non remiſeritis. De remittendis iniurijs A lapide *Epheſ 4. v. 13. Roman. 12. v. 20.* Deum oportet imitari, in remittendis offenſis. *Epheſ 5. v.1.*

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Matth. 22. *Abeuntes Phariſæi.* Narratio.

I. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt vt caperent Ieſum in Sermone:* Similes Phariſæis ſunt homines fallaces qui ſtudent alios decipere in verbis, contractibus, &c. V. *Aſtutia, Mendacium.*

II. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo:* Ars fallendi præcipua eſt adulatio, ideò ab adulatoribus cavendum: Vide *Adulatio.*

Conceptus alij de eodem Evangelio.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt. Matthæi 22. 1. Fruſtra improbi impugnant veritatem & iuſtitiam: 2. Captioſi homines, vulpibus ſimiles: *Salazar Tom. 1. pag. 268. numer. 245.* 3. Doloſos & adulatores Deus odio habet *Tom.1. pagina 460. numero 129.* 4. Proprium adulatorum eſt, præſentibus blandiri, & abſentibus detrahere *Tomo 1. pag.922. numer. 240.* 5. Eorum guttur, optime dicitur ſepulchrum patens: *Tom.5. pag.983. n.37.*

Cognita autem Ieſus cogitatione &c. Deus cunctas cogitationes cordis cognoſcit ac intuetur.

Cuius eſt hæc imago? 1. Denarius anima noſtra eſt, imago in ea eſt Dei, quia imagine Sanctiſſimæ Trinitatis inſignita eſt: 2. Omnes apud Deum æquales ſumus ſignatura creationis: 3. Dependet homo totus à Deo, ſicut umbra à corpore: In quo ſita ſit imago Dei in homine, A lapide *Epheſ. 4. verſ. 24.* 5. Imago veri Chri-

Chriſtiani, *Epheſ. 6. v. 13. & ſeqq.* Vt pecunia, ita anima inſignita imagine Dei debet manere, ut pretium habeat.

Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. 1. Hominibus, id eſt, ſuperioribus dandum eſt, & obediendum, in quantum non legibus divinis prohibetur, quod præcipiunt, A lapide *Tit. 3. v. 1. & 2.* 2. Totus homo cum tribus ſuis potentiis & omnia quæ habet, Deo debentur & reddi debent.

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Matth. 9. *Loquente Ieſu ad turbas.* Narratio.

I. *SI tetigero tantum veſtimenta ejus ſalva ero.* Si tangere veſtimenta & reliquias Chriſti & Sanctorum confert ad ſalutem, quanto magis tangere Corpus Chriſti in ſacra Communione, v *Euchariſtia.*

II. *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* Cum viva fide & fiducia ad Chriſtum, & ſacram Euchariſtiam accedendum eſt, v *Fides & Fiducia.* Item *Catech. c. 1. de Fide.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

ADorabat eum, Matth. 9. Tribulationes & miſeriæ, etiam Principes ſe humiliare coram Deo cogunt.

Filia mea modo defuncta eſt. Quia filia in domo Principis mortua erat, tota domus turbata erat, pari modo fieri debet, dum anima peccato mortali mortua eſt.

Veni impone manum tuam. 1. Manus Dei, auxiliatrix omnibus ad ſalutem neceſſaria. 2. Neceſſaria impoſitio manus Sacerdotis, ad animæ vivificationem.

Acceſſit retrò. Qui peccat, retrocedit & Deo deviat, nam peccatum pudorem generat, quo minus proprius accedere audebat.

Dicebat intra ſe, ſi tetigero tantum &c. Ex defectu fidei, exiguus fructus ſacræ Communionis à tangente percipitur, 2. Deus facilius remedium animæ, quam corpori præſcribit, quia illam plures facit.

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Matth. 24. *Cum videritis abominationem.* Narrat.

I. *SVrgent enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ &c.* Monentur Chriſti fideles ut caveant à fallacia, & hypocriſi hæreticorum, vide *Fallacia, Hypocriſis.* Item *in Catech. c. 1. de Fide.*

II. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate.* v. ſup. *in Dominic. 1. Adventus de extremo judicio.* Item *in Catech. de 4. Noviſſimis.*

Conceptus alij de eodem Euangelio.

TVnc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes. Matth. 24. 1. Solitudo quam deſiderabilis, & ſecura, quia hominem à multis malis præſervat, nempe detractione &c. 2. Societas malorum, quantum bonos affligat. *Hebr. 10. v. 27. n. 164.*

Cum videritis abominationem deſolationis Oblivio Dei & ſalutis, rectè dicitur abominatio deſolationis.

Tunc apparebit ſignum Filii hominis &c. Crux Chriſti ſignum erit juſtis ad gloriam, iniuſtis ad confuſionem.

Mittet Angelos ſuos cum tuba. Tuba prædicationis incutiat timore, ne tuba júdicii incutiat æternum dolorem & deſperationem.

Niſi abbreviati fuiſſent dies illi. Peccatores dies ſuos abbreviant, quam maximè pondere peccatorum: & moriuntur ante tempus ſuum. Similitudo ſit horologii, ſi plura pondera ei appendantur, citius curſum ſeu circulum abſolvet, quã ſi pondus conveniens appendatur.

Reliqua vide, prima Dominica Adventus.

PRAXIS
Concionis conficiendæ in Feſtis Sanctorum ex Apparatu ſuperioris &c.

Praxi prima de quovis Feſto.

PRima eſt Communis cum Dominicis. In prima parte Concionis enarrari poterit totum Evangelium quod in Feſto Sancti occurrit, deducendo juxta methodum oſtenſam in Evang. Domin. I. Aduentus.

In ſecunda parte, eligenda eſt in Evang. vel Epiſt. aliqua Sententia particulari, quæ referri poſſit ad aliquam virtutem in Apparatu contentam: v. g. de Apoſtolo referri poterit ad *Amorem Dei, Fidem, Zelum &c.* & *ad Vitia* illis oppoſita in Auditoribus emendanda. De Martyre ad *Fortitudinem, Patientiam, Perſeverantiam &c* De Confeſſore ad *Abnegationem, Liberalitatem, Humilitatem &c.* De Virgine ad *Caſtitatem, Orationem, Amorem Dei &c.* Prout materia & vita requirit.

Tertia pars eodem modo de alia quapiam *Sententia* ex eodem Evangelio vel Epiſtola conficienda erit. Concluſio poterit eſſe brevis repetitio præcedentium, hortando & commovendo ad imitationem Sancti, vel dehortando à vitiis oppoſitis.

Praxi ſecunda de eodem.

Prima & præcipua pars conſiſtet in vita & morte Sancti enarranda, ſive ex Breviario, ſiue ex alio Authore, applicando, eius virtutes ad mores Auditorum, & hortando ad imitationem.

Secunda pars fiet eligendo ex vita Sancti unum particulare punctum quod in ea maximè elucet, v.g. in vita S. Nicolai inſignem ejus Liberalitatem, erga egenos, recurrendo in Apparatu ad v. *Liberalitas*, & eam ex materia ibi inventa fuſius deducendo, & auditoribus inculcando.

Terria pars ſimili modo conficietur, de fælici morte, & gloria hujus Sancti, auditores hortando ad ejus imitationem, fælicem mortem, amorem Dei, ſpem gloriæ, recurrendo in Apparatu ad V. *Mors, Amor Dei, Spes, Gloria cœleſtis, &c.*

Cenſui etiam, pro majori Lectoris commodo, hic in particulari ſubiiciendam ſeriem omnium Feſtorum per annum, cum brevi Annotatione Diei, Menſis, Evangelii, & Materiæ quæ ex Apparatu, aut aliunde in ſingulis adhiberi poſſit.

FESTORVM OMNIVM

Series per Annum, cum Annotatione Diei, Evangelii, Materiæ &c.

Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ, 2. Februarii, Evang.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, &c. Lucæ c. 2. Hoc die aquirenda eſt puritas animi ab omni nævo peccati. Vide in Apparatu, *Pœnitentia, Confeſſio, Peccatum, Caſtitas &c.*

Venit in ſpiritu in templum, ſcil. Simeon. Quo docemur, ſpiritu pietatis, & reverentiæ ad templum, & Euchariſtiam veniendum, ut Chriſtum, in ulnas & animum recipiamus vide in Apparatu, *Euchariſtia, Eccleſia, Amor, Gratitudo.*

Lumen ad revelationem gentium. Quiſque in ſuo ſtatu, lucernam juſtitiæ Chriſtianæ gerere debet bono exemplo. Debent Chriſtiani in Eccleſia Dei lucere velut mundi cerei, qui in hoc Feſto exhibentur.

Nunc dimitte ſervum tuum &c. Securus vivit & moritur Ieſu & Mariæ cultor in lumine fidei, ſpei, & charitatis: qui hæc negligit, mortis metu ſemper trepidat.

Feſtum S. Matthiæ Apoſtoli. 24. Febr.

Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ. Matth. c. 11. Quam neceſſarium eſt firma fide Deum confiteri, & in ejus paterna bonitate confidere, præſertim inter hujus vitæ tribulationes & perſecutiones, vide in Apparatu *Fides, Fiducia, Benignitas divina, Tribulatio, &c.*

Diſcite à me quia mitis ſum, vide *Bona Patientia. Et humilis corde*, vide in Apparatu exempla *Humilitatis*, in Chriſto, & Sanctis.

Cecidit ſors ſuper Matthiam. Matth. 21. Non eſt ſors aut fortuna humana quæ cuncta regit, ſed divina providentia, cujus hæc ſors effectus fuit. Quiſque ſuam à Divina electione reprobatione m ſibi adſcribere debet.

Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Exoneratio cordis à pondere peccati parit ſummam animi quietem. Promittitur auxilium & ſolamen oneratis, & libertinis ad Deum recurrentibus.

Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. In manſuetudine, & humilitate perfecta cordis quies ſita eſt.

Tollite jugum meum ſuper vos. Servitium Dei pacificum & honorabile eſt.

Iugum meum ſuave eſt & onus meum leve. Vnctio gratiæ Dei cum ſpiritu patientiæ, reddit iugum crucis leve.

Feſtum Annuntiationis B. V. 25. Martii.

Ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave gratia plena, Lucæ 1. Quanta ſit plenitudo gratiarum in Virgine Deipara, vide in Appar. *Deipara*, item de culto Deiparæ & Sanctorum contra Novatores *ſup.* Theol. Tripartita, *Tomus 1. pag.* 231.

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Virgo Maria per humilitatem concepit, & Dei mater effecta, & ſupra omnes puras creaturas exaltata eſt: quam ergo nobis operandum humiliari in terris, ut exaltemur in cœlis,

cœlis, V. in Apparatu *Humilitas, Beatitudo, Gloria*.

Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Felix quem Deus oculo gratiæ ſuæ reſpicit, ut exaltet, præcipuè humiles.

Miſſus eſt Angelus Gabriel. Homo humilis maximè Angeli dignus eſt conſortio.

Feſtum SS. Philippi & Iacobi Apoſt. 1. Maii.

NOn turbetur cor veſtrum, creditis in Deum, in me credite, Ioan. 14. Quanti momenti ſit vera fide, vide in Apparatu *Fides*. Sed ſola Fides non ſufficit ad ſalutem ſine bonis operibus, vide de hoc in Theolog. Tripart. *Tom.* 1. *pag.* 191.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. In cœlo quam vaſta ſint beatis cœlorum ſpatia. Quanta & quam diverſa animi, & corporis felicitas, vide in Apparatu *Beatitudo*.

Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. Abnegandæ ſunt creaturæ ut Creator inveniatur, qui ſolus animum ſariat, V. *Abnegatio*.

Non turbetur cor veſtrum. Difficillimum ſanè eſt in hoc tribulento mundi pelago ſe quietum, & imperturbatum conſervare. Stoici omnem ſollicitudinem ex corde humano auferre ſtudebant, ſed iti vanum laborarunt, ſolus id poteſt mundi propter Deum contemptus.

Feſtum Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ. 24. Iunij.

ELiſabeth impletum eſt tempus pariendi, *Luc. cap.* 1 Non ſufficit concipere bona propoſita, ſed debet adeſſe tempus pariendi in exequendo: Vide *Pænitentia, Abſtinentia*, & alias virtutes. Nec parentibus ſufficit prolem parere, ſed debent illam in bonis moribus educare: Vide in Apparatu *Filiorum educatio*.

Et Zacharias Pater eius repletus eſt Spiritu Sãcto. Multi magis ſtudent repleri vino, aut opibus, quam Spiritu Sancto orationis, & amoris Dei, vide in Apparatu *Ebrietas, Avaritia, Oratio, Amor Dei*.

Quis putas puer iſte erit, Luca 1. Præſtat magnum eſſe coram Domino quam mundo. Quiſque hic in Theatro mundi placere debet Creatori ſuo, & ſpectatori Deo apud quem præferuntur pauperes, & humiles ſervi Dei cum ſancto Ioanne.

Feſtum SS. Petri & Pauli Apoſt. 29. Iunii.

QVem dicunt homines eſſe Filium hominis. *Matth. cap.* 16. Notæ & ſigna quibus vera Chriſti Eccleſia à modernis Sectis diſcernitur, Vide *in Theol. Trip. Tom. I pag* 52.

Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Agnoſcenda eſt neceſſariò auctoritas infallibilis in Pontefice Romano Petri ſucceſſore, Vide *in Theolog. Trip. Tom.* 1. *&c.*

Quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis: Vide ibidem de Confeſſione peccatorum, & in Appar. V. *Confeſſio*.

Caro & ſanguis non revelabit tibi Fides & zelus gloriæ Dei à carne & ſanguine non docentur: Contraria ſuggerunt homini caro, & Spiritus Dei: Terrena tantum non cœleſtia à carne & ſanguine ſuadentur.

Feſtum Viſitationis B. Mariæ. 2. Iulii.

EXurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, *Luca cap.* 1. Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, Vide in Apparatu *Amor, Zelus*.

Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? Accommodandum hoc eſt adventu Chriſti ad nos in Communione, Vide in Appar. *Eucharistia*.

Beata quæ credidiſti. Vera Fides radix beatitudinis, vide in Appar. *Fides, Beatitudo*.

Abiit in montana cum feſtinatione. Mulieres extra domos ſuas feſtinantes ſua peragere debent ſine orioſa evagatione.

Et viſitavit Quomodo nos Deus ſæpiſſime viſitet unum tribulatione, alterum conſolatione, alterum deſolatione, alium ægritudine &c.

Exultavit ſpiritus meus. Lætitia iniquorum ſpiritum non tangit, ſicut lætitia juſtorum.

Feſtum S. Iacobi Apoſtoli. 25. Iulii.

ACceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi adorans & petens aliquid ab eo. *Matth cap.* 20. Oportet Deum adorare, id eſt per Bona opera Iuſtitiam, Abſtinentiam, Obedientiam mandatorum, prius honorare, & poſtea beneficia ab eo poſtulare: aliqui contrarium faciunt, & ideo quod petunt a Deo non impetrant, vide in Apparatu, *Obedientia, Abſtinentia. Opus bonum &c.*

Chriſtus autem dixit ei. Quid vis? Quanta benignitas Dei, paratus eſt nobis dare quod volumus, modo bona bene velimus, & ad noſtram

ſtram ſalutem, vide *Benignitas Dei*. Sed ecce ſtultam matris poſtulationem, *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram:* Vide, *Superbia*. Reſpondit meritò Chriſtus, *Neſcitis quid petatis*. Hinc diſce quid, & quomodo orandum: Vide in Apparatu, *Oratio*.

Sampſoni fortiſſimo ſimilis videtur ſanctus Iacobus Apoſtolus: etenim ſicut ille ſponſam gentilem acceperat; hic in Hiſpaniam pergendo, primus extitit Apoſtolorum qui Gentibus prædicauit: 2. Si Sampſon moriendo plures occidit inimicos, quam viuendo, ſanctus Iacobus plures poſt mortem quam in vita conuertit: 3. Si ille in ore Leonis mel reperit, hic in ore crudelis Leonis carnificis inquam, fidei confeſſionem inuenit: 4. Si illa in manus inimicorum ſuorum à dilecta ſua traditus fuerit, hic propter amorem, quem erga ſponſam ſuam, Iudæam nempe, gerebat, ab Herode captus, & condemnatus fuit: Vterque denique fortitudinem à Sancto Spiritu ſe recepiſſe cognouit.

Dic vt hi duo filij mei ſedeant, &c. Matth. 20. Prius hic ſtandum, & laborandum, & patiendum, quam ſedendum in regno Dei: Qui Deum ex amore proprio colunt, ſibi non Deo ſeruiunt.

Neſcitis quid petatis. Qui temporalia præ cœleſtibus petit, neſcit quid petat: Neſciunt parentes & homines carnales, quid ſibi & filijs expetant.

Feſtum Aſſumptionis B. Virginis. 15. Aug.

INtrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum ſuam. Quanta merces Hoſpitalitatis, & liberalitatis, præcipuè erga Sacerdotes, & Miniſtros Chriſti: Vide in Apparatu *Hoſpitalitas, Liberalitas.*

Martha, ſolicita es, & turbari erga plurima. Sic turbatur qui nimis multa volunt habere in diuitijs, delicijs &c. Vide in Appar. *Auaritia, Gula &c. Porro vnum eſt neceſſarium*. Veræ diuitiæ, deliciæ, beatitudo ſunt in ſolo Deo: Vide in Appar. *Beatitudo vera.*

Fuit Beata Maria fons exiguus præ humilitate, & creuit in flumen magnum propter abundantiam gratiæ: & in ſolem conuerſa eſt, propter gloriam, ideoque de ea melius quam de regina Eſther illud dictum fuit.

Mariam optimam partem elegit, quæ non &c. Lucæ cap. 10. Pars optima in electione vitæ actiuæ, & contemplatiuæ inueniendæ: In amicitia Ieſum, & Mariæ nobis pars optima quærenda.

Martha, Martha ſollicita es: Non oportet ſe nimis dare in conquirendis rebus tranſitoriis, ne ſic æterna obliuiſcamur.

Feſtum S. Bartholomæi Apoſt. 24. Aug.

EXijt Ieſus in montem orare, & erat per noctens in oratione Dei, Lucæ 6. Quantum abſunt qui noctes & dies totos tranſigunt in ſympoſitijs, aut in otio, & vix mediam horam in oratione, Miſſa &c. vide *Ebrietas, Otium, Oratio.* Et exemplum eſt in ipſo *BARTHOLOMÆO*, qui ſcribitur centies de die, & centies de nocte, & quidem flexis genibus Deum orare ſolitum.

Et omnis turba quærebat eum, i. Chriſtum, *tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Quare nos non ſanamur à morbis noſtris animi, & corporis? Quia non ſatis ſæpè, & deuotè quærimus Chriſtum tangere in ſacra Communione: Vide in Apparatu, *Eucbariſtia.*

Sponſa in Canticis dilectum ſuum quærens male excepta fuit ab excubiis. *Tullerunt pallium meum vulnerauerunt me*. De hoc tamen minime conquerebatur, ſed præ amore Sponſi languebat. Pari modo S. Bartholomæus, adeo diuino amore inflammatus fuit, vt nihili faceret pallium, id eſt, pellem ſuam amittere, modo Saluatorem ſuum retinere poſſet.

Apoſtolus Paulus corpus noſtrum Domum vocat: Sancti de corpore exire non magis curabant, quam domo egredi. Sic S. Bartholomæus libenter propriam reliquit pellem, ſciens ſibi aliam præparatam.

Rurſum circumdabor pelle mea &c. Iob 19. Induenter bonis æternis qui hic pro Chriſto temporalibus ſe exuerunt.

Feſtum Natiuitatis B. Virginis 8. Septemb.

LIber generationis Ieſu Chriſti, Matthæi 1. vide in Apparatu, *Deipara*, & eius prærogatiuas, & *Caſtitatem, Charitatem, &c.* vt ſupra in aliis eius Feſtis, præſertim Annunciationis.

Liber generationis, Matth. 1. Felix nobilitas Chriſtianorum eſpirituali generatione in Ieſu & Maria.

De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Fortitudo animi cohæredes nos facit Ieſu & Mariæ.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, Ap ●. 21. Sub protectione tabernaculi Mariani cultores eius quieſcunt.

F. S. Matthæi Apoſt 21. Septemb.

V*Idit Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me.* Matthæi 9. Vide hic *Benignitatem Dei* omni generi hominum dicentis, ſequere me, 2. Quam felix de quo exemplo Matthæi dicitur, *Surgens ſecutus eſt eum.* Vt Chriſtum ſequaris neceſſe eſt prius ſurgere de cœno vitiorum, *Avaritia, Luxuria &c.* Item ſurgere de lecto Otii & Acediæ in quo pigri jacent: vide in Appar. *Acedia.*

Vidit Ieſus hominem ſedentem, Matthæi 9. Virtus in oculo Chriſti trahente miraculoſa. Deſerenda ſunt viliora bona mundi, pro pretioſis cæli. Oculos divinæ miſericordiæ miſeros peccatores benignè reſpicit & vocat:

F. S. Michaelis Archang 29. Septemb.

Q*Vis putas major eſt in regno cælorum?* Matth. 18. Sola humilitas hominem exaltat, Superbia autem præcipitat in ruinam, uti patet in lapſus Angelorum, & primorum parentum: vide in Apparatu *Superbia, Humilitas.* Ideo Reſpondit Chriſtus, *Niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Expende proprietates parvulorum eſſe, non ſtudere opibus, aut honoribus, aut luxuriæ, non ſimulare, non mentiri, ſed potius aliis ſe regendos, & docendos præbere; vide in Appar. *Avaritia, Luxuria, Aſtutia, Mendacium.* E contra qui volunt in mundo magni eſſe, ſtudent artibus politicis, ſimulationi, mendacio: vide in Appar. *Simulatio, Mendacium, Hypocriſis.* De his ſimulandi artibus politicis, præclara ſunt quæ deducit S. Gregorius in lib. 10. Moral. cap. 6. & habentur in Lect. 2. Nocturni de communi Confeſſoris non pont. *Deridetur juſti ſimplicitas &c.*

Angelis ſuis mandavit de te &c. Pſal. 90. De auxiliis protectione & dignitate Angelorum. Vita humana periculis multis obnoxia, eget Angelo tutelari. Angelorum cuſtodia omnibus neceſſaria, ob infirmitatem & ignorantiam.

Feſtum SS. Simonis & Iudæ. 28. Octob.

H*Æc mando vobis ut diligatis invicem.* Ioan. 15. vide in Apparatu *Amor proximi.* Cui contrariatur, *Odium, Invidia,* ibidem. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit:* vide in Apparatu, *Patientia, Perſecutio.*

Si mundus vos odit, ſcitote quia me &c. Ioa. 15. Amicis & diſcipuli Chriſti parum curandum mundi odium.

Mementote ſermones mei, non eſt ſervus major Domino ſuo. Solatium afflictis affert Chriſti exemplum, & monitum.

Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis &c. Culpa cuiuſque eſt, non uti mediis in ſtatu ſuo ad ſalutem neceſſariis.

Mundus me odit quia ego teſtimonium perhibeo. Veritas correptionis odium parit, improbis & ſuperbis.

F. Sanctorum omnium. 1. Novemb.

B*Eati pauperes ſpiritu,* Marci c. 5. Mundus ponit ſuam beatitudinem in divitiis, & honoribus, Chriſtus in paupertate & contemptu mundi: vide in Appar. *Beatitudo vera, Abnegatio mundi:* cōtra, *Avaritia, Superbia,* ibid. *Beati qui lugent,* v. Pœnitentia. *Beati miſericordes,* vide *Liberalitas, Eleemoſyna &c.* ibid. *Beati pacifici,* v. Pax. *Beati qui perſecutionem patiuntur,* v. *Perſecutio Odium &c.*

Beati qui perſecutionem patiuntur &c. Hinc Beatitudo cæleſtis contraria lege obtinenda, quam mundana.

F. S. Andreæ Apoſtoli 30. Novemb.

V*Enite poſt me* Quanta felicitas abnegare mundum & ſequi Chriſtum: Vide in Apparatu, *Abnegatio, Obedientia,* & alias virtutes hominis Chriſtiani. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Tales hominum piſcatores ſunt qui alios hortatione & exemplo docent, & ad ſalutem adiuvant: vide in Apparatu, *Exhortatio Zelus animarum.* Denique amor Crucis in S. Andrea cruci affixo, v. *Perſecutio Tribulatio, Amor Dei.*

Ambulans juxta Mare &c. Matth. 4 Mare tribulationis ſæpè optima diſpoſitio ad converſionem & ſalutem.

Venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum. Filius Dei omnes ad te trahere venit ex retinaculis mundis per ſe & alios. Invitamur omnes ad arborem crucis ad carpendos fructus ſalutis. Explicanda retia zeloſæ charitatis ad animas capiendas.

F. Conceptionis Immaculatæ B. V. 8. Dec.

L*Iber generationis Ieſus Chriſti &c.* Matthæi 1. Non poſſumus eſſe amici, aut imitatores Virginis immaculatę niſi per caſtitatem, & puritatē à macula peccati: vide in Appar. *Caſtitas,*

ſtitas, Baptiſmus, Peccatum. De Immac. Conceptione, & cultu Deipar. Vide aliqua in Theolog. Trip. *Tom* 1. *pag.* 137.

Pſal. 19 *Opus grande eſt non enim homini præparatur habitatio ſed Deo.* Omnes ſuos theſauros & perfectiones Deus impendit Deiparæ Virgini, tamquam ſuo throno, & habitaculo.

Sanctificabit tabernaculum ſuum altiſſimus. Pſ. 45. Tabernaculum Marianum ſoli Dei Filio ſummo Sacerdote ſacratur.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, Gen. 2. Sola Virgo Maria nova Eva ſerpentis morſum evaſit, tam originalem, quam actualem.

F. S. Thomæ Apoſt. 21. Decemb.

T*Homas unus ex duodecim non erat cum eis quando venit Ieſus*, Ioan. c. 20. Quam periculoſum eſt abeſſe à cōſortio fidelium in templo, concione, ſacro *&c.* vide in Apparatu, *Eccleſia, Exortatio, Euchariſtia.* Et contra Hæreticos, v. in Theol. Trip. *Tom.* 1. notas veræ Eccleſię pag. 32. *&c* & de Sacramento Eucharistiæ & Sacrificio Miſſæ ibid. 6. *Beati qui non viderunt, & crediderunt:* vide in Apparatu, Fides, & Euchariſtia: in his Chriſtus feliciter creditur, etſi non videatur.

Venit Ieſus Ianuis clauſis Ad Apoſtolos clauſis januis intravit in cor tamen Sancti Thomæ intrare noluit, niſi illud aperiret, quia hominis libertatem conſervare volens, non illi violentiam adhibet.

Pax vobis. Iuſti in mediis quoque tribulationibus pacem habent.

Dicit Ieſus Thomæ, noli eſſe incredulus ſed fidelis Ad fidem igitur etiam pia voluntas concurrit. Requiritur fides viva, & operativa ad ſalutem non ſufficit mortua.

Beati qui non viderunt & crediderunt Magnum hinc nobis ſolatiū qui credimus non per ſenſum ſed per intellectum.

F. S. Stephani Protomartyris 26. Decemb.

E*Cce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & ex illis occidentis*, Matth. c. 23. Boni & sācti homines ſunt qui præcipuè à malis perſecutionem ſuſtinent: vide in Apparatu, *Perſecutio, Tribulatio: Odium.* Sed illæ tribulationes ſunt claves cæli. Hinc Stephanus cum lapidaretur dixit, *Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem:* vide in Apparatu, *Beatitudo, Gloria cæleſtis, Benignitas divina.*

Ecce video cælos apertos. Iuſſus patiens iucundum Deo & cælo ſpectaculum eſt. Et viciſſim ſolatium juſtis patientibus Chriſtum habere ſpectatorem, & remuneratorem.

Lapidabunt Stephanum invocantem & dicentem. Lapidibus & malleis afflictionum aptari debemus ædificio cæleſti.

F. S. Ioannis Evangeliſtæ 27. Decemb.

C*Onverſus Petrus vidit illum Diſcipulum quē diligebat Ieſus.* Quare Ieſus Ioannem tantopere diligebat? Propter Ioannis ſingularē Caſtitatem, Humilitatem, Zelum Apoſtolicum, Amorem erga Chriſtum; ſicut enim ignis ignem excitat, ita amor amorem: Vide in Appar. illas Virtutes; & vita illos oppoſita, ut *Luxuriam, Superbiam, Acediam.*

PARS

PARS TERTIA SUMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

P. Petri Caniſii Soc. IESV

Cum brevi Elucidatione, & ſelectis Exemplis nunc primum adiectis.

PRAEFATIO, & notitia operis.

Poſtquam præcedentes Tractatus penè ad calcem adduxi, viſum eſt multis ad ſubſidium animarum, à nobis unicè intentum, plurimum conducere, ſi huic operi adiungeretur ipſa Doctrina Chriſtiana brevi expoſitione & exemplis illuſtrata: ut hac opportunitate iam commoda Curatores animarũ ad Doctrinæ adeò neceſſariæ frequentem explicationẽ facilius inducantur. Eoque magis quod ſimul in eodem Libro adiunctas habeant Controuerſias Fidei, Theologicas reſolutiones, atque Apparatum ſelectæ materiæ: quæ omnia ad ſingulas Doctrinæ Chriſtianæ partes doctè accurateque exponendas, ac probandas ſubſidium optatiſſimum ſuppeditant.

Vt igitur huic opportunitati, & amicorum votis operam meam accommodarem, reliquo Operi hanc Doctrinę Sacræ Elucidationẽ adiungere decreui, non ſine auxilio quorundam Theologorum huius Collegij Lovanienſis, qui ad hoc animarum ſubſidium operam, exempla quædam opportuna ſeligendo, promptiſſima voluntate obtulerunt; in hoc imitati non tantum Bellarminum ſummoſque Theologos, ſed ipſum quoque Sanctum Auguſtinum, qui inter ſublimes rerum diuinarum commentationem ſibi decorum exiſtimauit de Catechizandis rudibus *tractum vtiliſſimum elaborare.*

Aſſumpſi autem præ cæteris hac expoſitione elucidandum Catechiſmum P. Petri Caniſij Societ. IESV Theologi eximij, tum propter dilucidum eius ordinem & breuitatem, tum propter communem vſum atque approbationem; quam in Republica Chriſtiana paſſim obtinuit. Nam, vt alios prætercam, tam Ferdinandus Imperator, quàm Philippus Rex Hiſpaniarum, hunc vnicum Caniſij Catechiſmum in ſuis ditionibus prælegendum ſua auctoritate aut publico diplomate propoſuerunt. Et vſus ipſe etiamnum docet quanta verborum energia, quanta ſoliditate Doctrinæ, quamque perſpicuè præ cæteris breuitate totam Doctrinæ Chriſtianæ Summam complectatur.

Pro vſu autem adiunctæ à nobis expoſitionis: Aduerte primò, pro meliori diſtinctione, ipſum Catechiſmi contextum ſiue Quæſtionem & Reſponſionem ſeorſim imprimi, & poſt modicum ſpatium, Expoſitionem cum exemplis ſingulis penè Catechiſmi quæſtionibus ſubiungi, ut vna cum quæſtione, quæ explicatur, ipſa quoque expoſitio ante oculos habeatur; quod in nullo hactenus Catechiſmo factum reperimus.

2. Aduerte, ex peculiari delectu aliquas quæſtiones præ alijs fuſiùs illuſtrari, eo quod ad myſterium aliquod fidei exponendum, vel mores formandos plus momenti habeant, aliquas verò breuius perſtringi, quia vel earum doctrina ſpectat ad quæſtionem principalem, quæ explicatur, vel quia in alia Catechiſmi parte magis appoſitè elucidantur, non enim debent de ſingulis ſemper quæſtionibus exempla proferri.

3. Quamuis ſæpè de vna quæſtione plura exempla apponantur, neceſſe non eſt vt Catechiſta omnia ſimul producat, ſed poterit ſeligere vnum vel alterum quod præſentibus magis conuenire iudicabit.

4. Nar.

4. Narratio exempli, ſimilitudinis, aut ſententiæ quam ſelegit, vt maiori cum gratia, facundia, & arte proponatur: plurimum conducet expendere ſingulas exempli partes & circumſtantias, quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando, &c. *Iuxta praxim ſupra traditam in fine Apparatus ad Doctrinam ſacram.*

Praxis tradendi Doctrinam Chriſtianam.

PRimò, debet Catechiſta ex maturioribus ſtatuere vnum vel alterum ſyndicum, qui pueros aduenientes ſuis locis ordine conſtituat, & in modeſtia ac ſilentio contineat.

II. Hora audita, & dato per campanam ſigno, Catechiſta ſtans in medio populi ſui, ex utroque latere ſecundum ſexum diſcreti, ſicut ab omnibus videri & audiri facilè poſſit, formabit ſignum Crucis vernaculè; & dum procurat ut omnes ſe præeuntem clara & diſtinctâ voce ſequantur, cavebit ne quis verba ſua vel antevertat, iuſto ſerius ſubſequatur.

III. Curabit deinde per unum à ſe deſignatum, & in medio flectentem clara voce recitari oratione Dominicam vernaculè, cuius verba cæteri per partes diſtinctè repetent: hoc enim modo myſteria fidei facillimè memoriȩ mandantur tam à parvulis, quàm à maioribus natu, qui alio ferè modo ea addiſcere erubeſcunt.

Tum iterum efformabit crucem, vt ſupra.

IV. Primum horæ quadrantem dabit petendis quæſtiunculis facilioribus, potiſſimum de ijs quȩ ſcitu neceſſaria ſunt neceſſitate medij, vt Deum eſſe unum in Natura, trinum in Perſonis, Remuneratorem noſtrorum operum, ac Filium Dei eſſe noſtrum Mediatorem ac Redemptorem. Deinde neceſſaria neceſſitate Præcepti, vt Symbolum Apoſtolorum, decem Præcepta, ſeptem Sacramenta, unaquaque vice unum punctum accuratè enucleando, & identidem idem repetendo varijs modis & formulis ut altius inhæreant, errantes ſuaviter corrigendo, balbutientes iuvando, omnes quo merito laudando: neque de facili quemquam corripiat, ob ignorantiam, niſi ortam ex ſupina negligentia.

V. Secundo quadrante quȩſtiones proponat paulò difficiliores, eaſque fere deſumptas ex ea lectione quȩ Dominica proximè præcedenti publicè recitata, & explicata fuit.

Tum iubebit ex modeſtioribus, doctiorem aliquem clara voce pronunciare Exemplum, quod præcedenti Dominica Catechiſta attulit ad Lectionis explanationem.

VI. Tertio quadrante, iubebit binos vel plures ex adverſo ſtantes in medio Catechiſmi, & ſi fieri poſſit, loco etiam eminentiori, clarè pronuntiare de memoria lectionem ea die explicandam.

Mox Catechiſta lectionem iam recitatam clarè & breviter explicabit ſermone facili, & ad parvi ſui auditorii captum accommodato, idem ſæpiuſcule aliis, atque aliis verbis repetens, adhibitis brevibus ſubinde interrogationibus, & reſponſionibus ut maiorem ſibi conciliet attentionem.

VII. Quarto quadrante, unum aut alterum producat exemplum ſelectum, quod tragicè quidem, & cum emphaſi, ſed vulgari ſermone & phraſi pueris accomodato narrabit: poſtea prȩmonebit, ſe proxima vice viſurum quis narratum Exemplum optimè retinebit.

VIII. Poſt hæc iterum formabit crucem, iubebit legi ſalutationem Angelicâ, vel Symbolum Apoſtolorum, &c. per vices; ut hoc modo omnes, qui adveniet, ea addiſcant. Concludet ipſe omnibus iterum præeundo in formanda cruce, vt dictum ſupra. Poſtea pueros ſine tumultu binos vel ternos ex ordine dimittat.

Advertat autem ne Catechiſmus ſpatium horæ excedat, cum fructus temporis diuturnitate ſæpius vel minuatur.

IX. Singulis quos interrogauit præmiolum aliquod vel notam elargiatur ſtatim, vel his deficientibus eorum nomen in librum referat vt poſtea præmio afficiatur: & adiungat ad bona reſponſa ſubinde encomium aliquod: mirum enim quantum etiam queri laude animentur.

Oblata opportunitate ſæpius inculcet obligatione quam habent Parentes ut mittant prolem ad Catechiſmum, ut Domini mittant ſervos & ancillas, Ludimagiſtri ſcholares, Magiſtratus ſibi ſubiectos, præſertim pupillos & orphanos; ac ſæpius vſu venite, ut quando hac in parte officio ſuo deſunt, & ipſi graviter peccent, & illos quorum curam gerunt, peccatis & erroribus exponant.

Obligatio Curatorum.

VT autem ipſi Curatores animarum intelligant quanta ipſis obligatio incumbat ad plebem ſibi commiſſam Doctrina Sacra inſtituendam, audiant ea de re Decretum Concilij Tridentini Seſſ. 5 cap. 2. *Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales vel qui alias curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe vel alios idoneos, ſi legitimè impe-*

impediti fuerint, diebus ſaltem Dominici & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo quæ omnibus ſcire neceſſarium ad ſalutem, annunciandoque eis cum breuitate & facilitate ſermonis Vitia quæ declinare, & Virtutes quas ſectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtate negligat, etiam ſi ab Epiſcopi iuriſdictione quauis ratione exemptum ſe eſſe prętenderet; etiam ſi Eccleſię quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio, etiam extra Diœceſi exiſtenti, forſan annexæ, vel vnitæ, modò re ipſa in Diœceſi ſint; prouida paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleantur, *Ieremiæ Thren. cap.* 4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Atque Epiſcopis ibidem demandatur, vt qui poſt admonitionem trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, ad illud exequendum, ſi neceſſe ſit, per Cenſuras Eccleſiaſticas, aut alias ad Epiſcopi arbitrium cogantur. Idemque de explicanda Doctrina Chriſtiana ſingulis Dominicis, & Feſtis Solemnibus ſub graui obligatione iterum denunciatur in Triden. *de Reformat. Seſſ.* 24. *cap.* 4 *his verbis*.

Iidem etiam ſaltem Dominicis, & alijs feſtiuis diebus pueros in ſingulis Parochijs (Vide Conſtit. Pij V. Ex debito 1571. *quam ampliauit Gregorius XIII. 30. Octobris* 1572.) *fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab ijs, ad quod ſpectabit, doceri curabunt, &, ſi opus ſit, etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas compellent: non obſtantibus priuilegijs & conſuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere Seſſ. 5. c. 2. de Refor ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.*

Quod ſi ad hoc munus explendum Curatores animarum ſeuerissimis Conciliorum Decretis vbique adſtringantur, quantò magis ea obligatione vrgentur illi qui in partibus Hæreticorum Paſtoris officio funguntur. Facilè enim inſerent Hæretici teneris puerorum mentibus errorum ſuorum ſemina niſi prouida veri Paſtoris cura, & inſtitutione præueniantur. Inficient paulatim incautos plebis incultæ animos falſæ doctrinæ veneno mortifero, niſi, contra illud virus, Doctrinæ Chriſtianæ antidoto muniatur. Cumque pedetentim hæc peſtifera lues occultè irrepſerit, ignaros tenellæ ætatis animos infecerit, & cum adoleſcentibus error, & ignorantia ſenſim adoleuerit, tum demum deprehenditur per longā incuriā morbus incurabilis, & cui fruſtra ſanioris Doctrinæ medicina admouetur. Ne igitur Curatores animarum hanc gregis ſui ruinam ſerò lugeant, & neglecti officii rationem in diſtricto Dei iudicio reddere cogantur, ad hoc curam ac cogitationem ſuam ſeriò adjiciant, vt à teneris annis commiſſum ſibi populum in Doctrinæ Chriſtianæ myſterijs, ac Dei timore conſtanter erudiat: quo fiet vt animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas ab interitu conſeruent, & amplam ſibi in cœlo laboris ſui mercedem acquirant.

INDEX CAPITUM

Summæ ſequentis.

Caput Primum. *De Fide, Eccleſia, & Symbolo Apoſtolorum.*
Caput Secundum. *De Spe, Oratione Dominica, &c.*
Caput Tertium. *De Charitate, Præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.*
Caput Quartum. *De Sacramentis ſingulis.*
Caput Quintum. *De Officijs Iuſtitiæ Chriſtianæ. Peccatis, Virtutibus, & 4. Nouiſſimis. Cum Exemplis* Conſtantiæ *illuſtribus inter perpetuas pro Fide Romana Perſecutiones, &c.*

SUMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

CAPVT I.

De Fide & Symbolo Apoſtolorum.

QVAESTIO.

Quid dicendus eſt Chriſtianus atque Catholicus?

RESP. Qui Baptiſmatis Sacramento initiatus, *Ieſu* Chriſti veri Dei atque hominis ſalutarem doctrinam in eius Eccleſia profitetur: neque Sectis vel opinionibus vllis ab Eccleſia Catholica alienis adhæret.

Expoſitio.

SVmma dignitas eſt habere nomen veri Chriſtiani. Quia per Baptiſmum, & Fidem Chriſtianam homines fiunt filij Dei, & hæredes regni cæleſtis. *Quot quot autem receperunt eũ dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, Ioan. 1.

S. Auguſtinus lib. de Catechizandis Rudibus *cap. 16.* comparat veros Chriſtianos cum optimo Tritico, & falſos cum Palea, quæ quamuis ad tempus cum tritico permixta ſit in Area, id eſt, in Eccleſia, non erunt tamen ſimul in Horreo, id eſt, in Cœlo Non, inquit, ſibi blandiatur quod in Area poſſunt eſſe cum frumento Dei, quia in Horeo cum illo non erunt, ſed igni debito deſtinabuntur.

Exemplo illuſtri patet, quanta ſit Virtus in doctrina veri Chriſtiani, ex facto S. Dominici, qui cum diu diſputaret pro Chriſtiana Religione, contra hæreticos Albigenſes, tandem conuentum eſt, vt libellus S. Dominici, & alter libellus Albigenſium pro experimento veræ doctrinæ in ignem proijceretur. Et ecce, libellus partis hæreticę ſtatim comburitur, libellus verò doctrinæ Chriſtianæ non tantum ab igne non leditur, ſed etiam ex igne longè proſilit. Et cum ſecundò ac tertiò in ignem proiectus fuiſſet ſemper in virtute veræ ac Chriſtianæ doctrinæ illæſus permanſit. Ita fuſius tradit S. Antoninus in Chronico *par. 3. tit. 19. c. 1.* & Surius *S. Auguſt.*

Tantam quoq; *Virtutem*, ac robur ſuppeditat nomen *Chriſtiani*, vt S. Blandina Virgo cum inter acerbiſſima tormenta inclamaret, *Sum Chriſtiana*, nullum doloris ſenſum paſſa fuerit, imò viſa eſt inter ſummas delicias verſari, vt refert Euſeb. in Hiſtoria Eccleſ. lib. 1. cap. 5.

Tantus *honor* eſt nominis Chriſtiani, vt S. Ludouicus Rex Galliarum ſolitus fuerit dicere, ſe in nulla parte Regni ſui tantum honoris unquam accepiſſe, quantum Poſſiaci. Quia nempè ea in vrbe Baptiſmo initiatus Chriſtiani nomen accepit, ideoque profitebatur ſe ſummo cum lætitiæ ſenſu prę cæteris omnibus in ea vrbe commorari, vti per Belleforeſtum in eius vita narratur.

Hinc Reges Galliæ nomen *Chriſtianiſſimi*, & Reges Hiſpaniæ nomen *Catholici* pro ſummi honoris titulo à Sede Apoſtolica acceperunt, & hactenus ſemper retinuerunt.

Hęretici verò, etſi vocentur Chriſtiani, quia in nomine Chriſti Baptiſmum ſuſceperunt, non ſunt tamen Catholici. quia *Sectis & opinionibus ab Eccleſia Catholica alienis adhærent*; exempli gratia negant Miſſam, cultum Sanctorum, & alia puncta fidei, quæ contra hæreticos probatur ſuprà *de Controuerſ. Fidei par. 1. tract. 2 pag 67. 69. & 74.*

Q. *Quod ſignum hominis Chriſtiani?*

RESP. Signum Sanctæ Crucis, quod formatur hoc modo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Expoſ. Signum Crucis docet nos vnum eſſe Deum: quia dicimus, *In nomine*, non verò in nominibus. Et tres eſſe perſonas diuinas, quia additur nomen trium perſonarum, *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Deinde manum demittendo à frõte ad pectus, profitemur ſecundam perſonam ſcilicet Filium Dei pro hominum ſalute deſcendiſſe in vterum B. Virg. Mariæ. Poſtremò transferendo manum à ſiniſtra ad dexteram, declaramus per Chriſtum nos tranſlatos eſſe à maledictione ad benedictionem. Hæc Myſteria ſcire & credere omnibus adul-

adultis neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate medii, ſic ut ignorantia non excuſet. *Vnde cum prædicta praxi formanda Crucis valdè aptè doceri, & retineri poſſunt.*

Signum Crucis eſt Armatura hominis Chriſtiani, ut exemplo declaratur. Conſtantinus Imperator ad Chriſtinam fidem converſus circa annum Chriſti 312. a Maxentio tyranno cladibus variis affectus eſt: & poſtea à Licino Imperatore circa annum 318. Cum autem divino auxilio fretus cum paucis copiis hoſti potentiſſimo occurre pararet, virtute ſalutiferæ Crucis ab imminenti periculo liberatus fuit. Nam ſupra eius copias lucidiſſimum Crucis ſignum in aere apparuit,& vox de cęlo audita eſt, *In hoc ſigno vinces*, cuius præſidio munitus præclaram victoriam ab hoſtibus reportavit: In cuius rei memoriam deinceps ſignum Crucis ſuis vexilis inſcribi curavit. Baronius tom.3.ad annum 312.& 318.

Refert S. Gregorius l. 3. Dial. c. 7.quemdam Iudæum nocte ingruente urbe excluſum, in vetuſto Appollinis templo pernoctaſſe. Hic à tenebricola dæmonum caterva circumcingitur. In his periculis miſero Iudæo nulla ſpes auxilii affulget. Tandem occurrit Chriſtianos ſoliros adverſus pericula ſe Crucis,ſigno munire. Signat igitur ſe ſigno Crucis, & ecce tota dęmonum turba ex templo in fugam agitur, exclamans, *Vas vacuum,ſed ſignatum.*

Genevam verſus Catholicus cum hæretico iter agebant: orta ſubita tempeſtate cum tonitru & fulgure,Catholicus de more ſeſe identidem cruce ſignabat: hæreticus verò per jocum & ludibrium percunctatur, an Catholicus ſe ſignando muſcas abigeret. Sed Deus non irridetur: horrendo ſtatim fragore crucis contemptorem fulmen è dubibus lapſum extinxit, Catholicus qui eius lateri adhærebat in columnis permanſit Florimon.l.8. c.4.§.1.

Q. *Quibus de rebus primum docendi ſunt Chriſtiani?*

RESp. De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis,& officiis juſtitiæ Chriſtianæ.

Q. *Quid eſt Fides?*

RESp. Donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo, firmiter aſſentitur omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit: ſive ſcripta illa ſint, ſive non ſint.

Expoſ. Fides debet eſſe integra: quia qui peccat in uno factus eſt omnium reus. Sicut navis, quæ in cæteris integra eſt, ſi unam rimam habeat, per eam ſubmergi poteſt.

Hinc ergo erant huius temporis Libertini & hæretici,qui dicunt quemlibet Chriſtianum in ſua fide poſſe ſalvari, quod ſupra refutatur *Tom* 1.in contr.p 1.c.3.

Quanta ſit vis veræ fidei ſingulari Exemplo declaratur. Anno Chriſti 471. Duo philoſophi, quorum alter erat Ariana hæreſi infectus, de fide acriter diſceptabant. Tandem orthodoxo Philoſopho viſum eſt, relicta verborum contentione, virtute potius divina fidei ſuæ veritatem comprobare; obtulitque Ariano, ut accenſo igne luculento uterque in medias flammas deſcenderet, victor haberetur, qui in igne immunis perſiſteret. Hanc conditionem cum Arianus detractaret, orthodoxus fidei veritatis confiſus, ardentem rogum ſolus ingreſſus eſt, & inde cum Ariano illæſus, & intactis etiam veſtibus diſputavit: Baron. Tom. 6. anno 471. & Nicephor. Lib. 15. cap.23.

Simile exemplum legitur in vita Sancti Patririi, qui ut Magnum Fidei obſiſtentem convinceret, juſſit Benignum comitem ſuum collocari in domuncula ex aridis lignis & ſtipulis confecta, Magnum ex adverſo in domo ex humido & viridi ligno erecta: iniecto utrimque igne, Benignus penitus illæſo, Magus cum tecto viridi continuò exarſit.

Huc facit exemplum S. Gregorii Thaumaturgi, qui virtute fidei montem è ſuo loco tranſtulit, & plura in Martyrum vitis prodigia. Vide ſupra in Apparatu, Ver. *Fides*.

Vide etiam obligationem ad Profeſſionem externam Fides, ſine reſtrictione pure mentali, &c. ſupra *Tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 6. *pag.* 180.

Q. *Quæ ſumma eſt Fidei ſeu omnium credendorum?*

RESp. Symbolum Apoſtolorum, in duodecim diſtinctum arriculos.

Expoſ. Symbolum Apoſtolorum quivis Catholicus ſcire & credere tenetur: & Peccant parentes filios ſuos illud docere negligant. Eſt enim norma fidei, qua Chriſti fideles ab infidelibus diſtinguuntur, Sicut per teſſeram & Sacramentum militare Imperator proprios milites ab alienis diſcernis, & dignoſcit.

Præclarum in hoc genere eſt exemplum S. Petri Martyris ex illuſtri Ordine S. Dominici. Cùm natus eſſet ex parentibus Manichæorum hæreſi infectis, ab ipſa tamen quaſi infantia contra hæreſes pugnavit. Deum puer

ſeptem annorum ſcholas frequentaret, à patruo hæretico interrogatus, quid in ſcolis didiciſſet: reſpondit intrepidè ſe Chriſtianæ fidei Symbolum didiciſſe. Et quamvis multis Patris, Patruique blanditiis, & minis tentaretur, nunquam potuit ab illa fidei conſtantia & Symboli profeſſione dimoveri. Huius Profeſſionis magnam illi Dominus coronam præparavit. Cum enim poſtea factus Religioſus, magno ardore fidem & pietatem prædicaret, Deumq; ſæpè rogaret ut pro ea poſſet vitam profundere. Ecce tibi Mediolanum redeuntem hæreticus Sicarius ex inſidiis aggreſſus eſt, & ſtricto mucrone eius capiti repetitis ictibus lethale vulnus inflixit. Ille verò, in ipſo mortis articulo, conſuetum fidei ſuæ ſcutum aſſumens, Symbolum Apoſtolorum quod à pueritia conſtanter tenuit, magno animi gaudio recitavit, & cum ea teſſera ad perpetuam conſtantiæ palmam in cælum migravit, uti patet ex Breu. Rom. 29. Aprilis.

Q. *Qui ſunt illi duodecim articuli.*

RESp. Hi videlicet:

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

2. Et in *Ieſum* Chriſtum filium eius unicum, Dominum noſtrum.

3. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

5. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

6. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

7. Inde venturus eſt iudicare vivos & mortuos.

8. Credo in Spiritum Sanctum.

9. Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum comunionem.

10. Remiſſionem peccatorum.

11. Carnis reſurrectionem.

12. Et vitam æternam, *Amen*.

Q. *Quid ſibi vult primus Symboli articulus, Credo in Deum Patrem.*

RESp. Oſtendit primum in Dietate perſonam, Patrem ſcilicet cœleſtem & æternum, cui nihil factu impoſſibile ſit, vel difficile, qui cœlum & terram, viſibilia ſimul & inviſibilia cuncta ex nihilo produxerit; & producta uſque conſervat, & gubernat ſumma bonitate, & ſapientia.

Expoſ. Omnipotentiam ſuam Deus vel maximè oſtendit, creando, ſeu, è nihilo producendo totum hoc univerſum, idque ſine labore, ſed ſolo nutu, & imperio voluntatis. *Dixit enim, & facta ſunt omnia, mandavit, & creata ſunt. Pſalm.* 148. Hanc Dei omnipotentiam (ut refert Polidorus) inſigniter edoctus eſt Canutus Angliæ Rex, qui ob magnam ſuam poteſtatem arrogantior, ſedili in tumidi maris littore poſito, ipſum mare ſic allocutus eſt: Mare tu regni mei pars es, ego tibi impero, tu mihi volo obtemperes: vix verba protulerat, continuò intumeſcens mare impetu in Regem facto è ſolio illum in terram deiecit: Ad ſe reverſus auream hanc protulit ſententiam: *Vana eſt omnium Regum poteſtas; ſolus Deus omnipotens:* & corona Cruci impoſita pietatis poſtea, ac modeſtiæ cultor extit egregius. *Polyd. Virg. ex Chronic. Germanorum.*

Aliud exemplum divinæ potentiæ notius, & illuſtrius patet *Exodum capit.* 7. Quando Deus per Moyſem debellavit Regem Pharaonem convertendo virgam in ſerpentem, & omnes aquas in ſanguinem, & dividendo mare rubrum, dum populus Dei tranſiret, Ægyptios autem omnes maris fluctibus obruendo. *Ibid.* etiam *Exod. c.* 14.

Si coram adultis doctrina ſacra exponatur, poterit Dei exiſtentia & potentia doctè demonſtrari ex rebus creatis, per argumenta ſuperius tradita in Controver. *Part.* 1 *c.* 1. Vel per exempla ex Apparatu, verbo, *Benignitas Dei*.

Q. *Quid verò ſecundus articulus; Et in Ieſum Chriſtum filium ejus?*

RESp. Commonſtrat ſecundam in Deitate perſonam, *Ieſum* Chriſtum ſcilicet, filium Dei naturalem, unicum illum, ab æterno genitum, & Patri conſubſtantialem, Dominum ac Redemptorem noſtrum, ut qui nos perditos liberavit.

Expoſ. Auguſtiſſimum nomen *Ieſu* in amore & veneratione habendum docuit Apoſtolus Paulus ad Philip. 2 v. 9. *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sed an etiam utile eſt nomen illud invocare in anguſtiis ſuis? Multo maximè: Refert Athanaſius *in vita Sancti Antonii* 17. *Ianuariis.* S. Antonium, invocato ſolo *Ieſu* nomine, non ſemel integram dæmonum cohortem fugaſſe. Simile exemplū refert P. Petrus Ribadineira in vita S. Ignatii

Societatis *Ieſu* Auctoris, *Lib.5.Cap.9.* his verbis: Dormientem Ignatium ſtrangulare diabolum voluiſſe Romæ anno 1541. audivi: Guttur eius quaſi manu iniecta præfocare conatus eſt, tam fortiter ut nullo conatu poſſet Ignatium *SS. Ieſum* nomen invocare: ſed cùm nervos omnes intenderet, vim vi repellens in ſuauiſſimam vocem tandem erupit, Ieſumque inclamavit; qua voce diaboli conatus repulſus eſt. Porrò ex contentione Ignatius, quod poſtea vidimus, per dies aliquot raucus omninò & ſine voce fuit.

S. Bernardinus ex ordine S. Franciſci nominis *Ieſum* ſummus cultor fuiſſe legitur.

Sed qui concipi poteſt *Ieſum* Chriſtum eſſe verum Filium Dei Patris, & ab illo per veram generationem procedere? Id facilè colliges ex ſequenti ſimilitudine: Deum quis ſpeculum intuetur, illicò producit imaginem adeò ſibi ſimilem, ut nullum poſſit inveniri diſcrimen: quæ imago ſine ullo labore, ſine inſtrumento; in ictu oculi momentoque formatur. Pari modo Deus Pater oculo intellectus ſpeculum divinitatis ſuæ ab æterno intuitus, ſtatim imaginem ſibi ipſi ſimillimam formavit, & hæc imago eſt Filius. Sed dum nos in ſpeculo producimus noſtri imaginem, illa imago non vocatur noſter filius; cur magis divina imago vocatur Dei Filius? Ideò ſcilicet, quia Deus huic ſuæ imagini, totum eſſe ſuum totamque naturam communicit, quod nos intuendo facere non poſſumus. Si opus ſit, plura de Chriſtum dabit Apparatus ſupra, verbo, *Chriſtus*.

Q. *Quid porro tertius: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?*

RESP. Myſterium proponit Dominicæ Incarnationis. Quia idem Dei filius de cælis deſcendens, humanam naturam aſſumpſit: ſed modo ſingulari prorſus, ut qui conceptus fuit ſine patre, ex virtute Spiritus Sancti, & Maria Virgine illibata.

Expoſ. Mirabilem hanc Chriſti in utero Virginis Conceptionem, partumque virgineum & illæſam Deiparæ virginitatem ante partum, in partum, & poſt partum, iam olim à Prophetis prædictam non uno loco teſtantur Scripturæ. Iſaiæ 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, &c.*

Et verò quamvis hæc verba de Myſterij veritate dubitare non ſinant, tamen voluit illam Deus aliquando triplici miraculo certiſſimâ reddere. Hærebat dubius in re certiſſima magnus Theologiæ Doctor ex ordine S. Dominici, propoſita, ſibi non fidei, ſed rationis difficultate, qui fieri poſſet ut Maria Mater eſſet, & Virgo? multos annos hæc anxia fluctuatio viri animum occupauit, cùm tandem illi Magiſtrum miſit Deus: quem putatis? Eximium fortaſſis Theologum? Minimè: ſed humilem Fratrem AEgidium ex Ordine S. Franciſci, qui hominis tentationem divinitus edoctus, baculo, quo ſe ſuſtentabat, terram pulſans his illum verbis antevenit: Frater Prædicator, Maria, Virgo eſt ante partum: ſtatimque candidiſſimum è terra ortum eſt lilium. Mox iterum percuſſa homo: Frater, Maria, Virgo eſt in partu, alterumque exortum eſt lilium. Dein tertiò terram feriens, Maria, inquit, etiam Virgo eſt poſt partum, ſimulque tertium prodiit lilium, quo viſo miraculo Doctor Dominicanus omnem deinceps dubitationem libebenter depoſuit. *In vita S. Ægidij apud Surium 23. Aprilis.*

Similitudinem, ſi deſideres, quæ mirabilem hanc clauſtri Virginalis ipſo partu integritatem aliquo modo exhibeat; hanc habe: Sol effectum ſuum, calorem, & lumen producit per medium aliquod corpus vitreum, ita tamen vt vitrum integrum omninò maneat & illæſum ſic & Chriſtus in hunc mundum prodiit ex vtero Virginis, hunc omninò integrum relinquendo & inuiolatum. Plura in Appar. V. *Deipara.*

Q. *Quid vero quartus; Paſſus ſub Pontio Pilato?*

RESP. Myſterium tractat redemptionis humanæ. Nam idem verus Dei filius ſecundùm humanam illam naturam aſſumptam, extrema verè paſſus eſt pro nobis & peccatoribus omnibus redimendis. Vnde licet agnus eſſet ſine macula, tamen ſub Pontio Præſide in crucem ſuffixus, in cruce mortuus, & ſepultus fuit.

Expoſ. Seriem totius Chriſti Paſſionis, paucis his verbis contentam dabunt fuſius Euangeliſtæ *Matth 27. Marc. 15. &c.* imò & Prophetæ, qui de Paſſione & morte Domini multa vaticinati ſunt, ut Davidem omittam, Iſaiæ oracula tam clara ſunt, ut rectè dici queat eum, rem geſtam potius expoſuiſſe, quam futuram prædixiſſe. *Iſaiæ cap. 53. & alibi.*

Sed ſi Chriſtus Deus fuit: qui mori potuit. Verè mortuus eſt Chriſtus, qui Deus erat & homo, ſecundùm humanam naturam: ſicut rectè loquimur dû dicimus ille homo mortuus eſt: cum tamen anima, quæ altera hominis

pars eſt, mori non poſſit. Figura hujus myſterii in Veteri Teſtamento fuit Iſaac divinam naturam repreſentans, qui occiſus non fuit, ſed ejus loco aries, qui humanam naturam referebat. *Vt notat S. Ambroſius in Pſ. 39.*

Sed age videamus quam gratia ſit Paſſionis Chriſti memoria, de qua Albertus Magnus ſic ait: *Simplex recordatio Paſſionis Dominicæ plus valet, quam ſi integrum annum ieiunaret quis in pane & aqua, vel ſi quotidie virgis & flagellis cæderetur uſque ad effuſionem ſanguinis.* Idem ferè revelaſſe Deum Sancto cuidam Eremitæ teſtatur Ludovicus à Saxonia *de Vita Chriſti cap. 58.* SS. Gertrudi, Birgittæ, Mechtildi, Catharinæ, paria fere revelata tradit Ludov. Bloſius *cap. 2. Montil. Spirit.*

Rem ſubinde prodigio confirmavit Deus. Serviebat tyranno cuidam gentili captus quidam adoleſcens Catholicus, qui gemebundus & dolens regiam obibat, cum tamen liberaliſſimè haberetur, cauſam petit tyrannus; repoſuit Dei ſervus, ſtigmata Domini ſui ſe in cor corde portare. Indignatus Tyrannus, experiar, inquit, num vera ſint quæ dicis: Iubet itaque aperto Iuvenis pectore cor ejus evelli, & bifariam ſecari: mirum dictu! apparuere in ipſo corde, Chriſti Paſſionis inſtrumenta: rei novitate attonitus Tyrannus cum ſuis ad Chriſti fidem converſus eſt. *Cantiprat. lib. 1. cap. 25. Part. 8.*

Similia Chriſti Paſſionis inſtrumenta inventa ſunt in corde B. Claræ de Monte Falco, ut legitur in ejus vita 17. Auguſti. *Faſti Mariani ex Monum. Eccl. Mont. Falconis.*

Q. *Quid autem quintus: Deſcendit ad inferos?*

RESP. Myſterium Reſurrectionis Chriſti complectitur, qui ſecundùm animam quidem Patres è limbo liberaturus deſcendit: tertio vero poſt mortem die, reſumpto corpore, vi propria factus eſt redivivus.

Expoſ. Reſurrectionem ſuam die poſt mortem tertia crebrò in Euangeliis legitur Chriſtum prædixiſſe Matt. 13. *Oportet filium hominis pati, & tertia die reſurgere.* Et cap. 20. *Filius hominis tradetur ad crucifigendum, & tertia die reſurget.* Figuram hujus Reſurrectionis habemus in Veteri Teſtamento, *Gen. 42.* In Ioſepho qui è carcere ad regnũ evectus, Chriſti poſt mortem ad ſuos reditum expreſſit. Et *Ionæ c. 2.* in ipſo Propheta Iona, qui tribus diebus, & tribus noctibus in ventre Ceti, ſepulturam Chriſti & tempus reſurrectionis expreſſit, ſicut ipſe Chriſtus expoſuit, *Matth. 12. & Luc. 11.*

Sed nec poteſt Chriſti tempora defuerunt figuræ hujus reſurrectionis. Septem erant germani Fratres ſub Decio Imperatore à patre proditi, quia Catholici, & in ſpecu concluſi, fame omnes enecandi. Mirum dictu, poſt aliquot ſecula vivi comparuerunt, eo ſcilicet tempore quo ſurrexerat hæreſis, quæ reſurrectionem morruorum negabat; ex his Fratribus unus civitatem ingreſſus omnia videt mutata, pecuniam profert alimenti aliquid ceteris comparaturus, ſed nec ipſe nec moneta agnoſcitur. Ad loci Epiſcopum, quin & ipſum Imperatorem Theodoſium protrahitur, qui re prudenter examinata comperiunt ſeptem illos fratres annis omnino 372. dormiiſſe. Paulò poſt omnes ſacro epulo refecti pariter objerunt, & cum illis ſimul iſta hæreſis extincta eſt.

Exemplum aliud poteſt eſſe in Lazaro poſt quatriduum à Chriſto ad vitam reſuſcitato, & pluribus aliis. Quod Deo non eſt magis difficile, quam efficere ut ex ſemine quod in terra ſepelitus flores & fructus exurgant, de quo plura infra *Ar. 11.* de Carnis Reſurrectione.

Q. *Quid ſextus articulus. Aſcendit ad cælos?*

RESP. Myſterium affert glorioſæ Aſcenſionis Chriſti, ut qui poſt expletum Redemptionis noſtræ opus, ad Patrem tranſivit ex hoc mundo, & cœlos ſua virtute Triumphator aſcendit, atque in ipſa æterna Patris gloria ſuper omnia eſt collatus.

Expoſ. Chriſti glorioſa in Cœlos aſcēſio nobis deſcribitur Act. 1. *Videntibus illi elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum, &c.* Et olim illa videtur vaticinatus Propheta David Pſ. 46. *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce Tubæ.*

Hæc Aſcenſio in Cœlos, uti Chriſto glorioſa, ita illius grata & pia memoria hominibus ſalutaris eſt: Confirmat id Bloſius hoc exemplo *tom. I. de ſignis Eccleſ. lib. 5. cap. 2.* Nobilis quidam ethnicus jam pluribus annis jacuerat in lecto paralyticus, inviſit illum forte Chriſtianus, narravitque non omninò de ſanitate deſperatum, ſi ſpem poneret in Chriſto, ejuſque nomen imploraret, cujus rei cauſa, imaginem ægro reliquit Chriſti aſcendentis in cœlum Aegrotus, hortante Chriſtiano, maximo animi ſtudio Dei nomen imploravit, rogavitque ut per glorioſam in cœlos aſcenſionē, poſſet è lecto ſanus aſcendere. Mirum dictu! multis aſpicientibus repente è lecto ſanus aſcendit, & Chriſto nomen dedit: quo cognito Imperatore Cochinchinæ Legatos Macaū miſit qui

qui legis Chriſtianæ prædicatores ad ſe accipetent, quo ipſe & ſui ſubditi veram Chriſti legem amplecterentur.

Q. *Quid ſeptimus: Inde venturum eſt iudicare?*

RESp. Demonſtat extremum judicii diem, quando Chriſtus humana in carne viſibilis rurſus de cœlo deſcendet, ac tremendum aget judicem omnium, proborum ac improborum, & reddet unicuique ſecundum opera ejus.

Expoſ. Sanctum Divini hujus & extremi Iudicii timorem conceperat S. Iob, de quo in Scripturis legitur Iobi 9. *Verebar omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti.* Et cap. 30. *Quid faciam cum venerit ad iudicandum Deus?* Sanctus Clemens Petri Succeſſor de Beato Apoſtolorum Principe ſcribit, frequenter dicere ſolitum: *quis peccare poterit ſi ſemper ante oculos poſtremum iudicium ponat:* Quam lectionem adeò altè mentibus ſuis impreſſam voluerunt viri Sancti, ut ſemper poſtremum hoc judicium ſibi ob oculos ponerent, quo ſe à peccatis immunes ſervarent. Sanctus Hieronymus de ſe ipſo teſtatur ad Euſtochium: *Quoties diem illum conſidero toto corpore contremiſco: ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliud quid facio, ſemper videtur mihi turba terribilis ſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Exemplum de adoleſcente quodam narrat S. Vincentius Ferrerius *Concion. 3. in Sexag.* Illum propoſito ſibi extremo judicio, ita cohorruiſſe, ut repente ex timore omnes ejus capilli inſtar ſenis canitiem contraxerint. Vide plura exempla ſupra in Apparatu v. *Timor Domini.* Et v. *Iuſtitia Divina.*

Q. *Quid verò octavus. Credo in Spiritum Sanctum.*

RESp. Exhibet tertiam in Trinitate perſonam Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedens, unus verus æternuſque Deus eſt, & regnat cum Patre & Filio, & proindè cum utroque ſimul adoratur & conglorificatur.

Expoſ. Articulus hic exhibet Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio eundem eſſe natura, non perſonalitate: ut clarè teſtatur S. Ioannes Apoſtolus, Ioann. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Et verò bona non mediocria à Spiritu Sancto in homines deſcendunt. Exemplum eſt in adoleſcente ex ſtudioſa juventute, qui ad monita ſalutaria ſurdus jacebat. Intempeſta nocte virum videt majeſtate vultus venerandum, Deum ſcilicet Patrem, qui illum æternæ damnationis reum denunciavit. Sub alteram noctem vir adeſt integra ætate crucem humeris bajulans, & ſanguinem ſuum in faciem ejus proiiciens: hæc addens: *Erubeſce, & theſſeram damnationis cape, futuram ſalutis ſi maluiſſes.* Deſperabat jam æger de ſalute: Fratris tamen ſuaſu ad Spiritum Sanctum ſe convertit, qui tertia nocte apparens miſero ſcelerum veniam, & beatam mortem nuntiavit. *Ex Specul. Exempl. & Faſt. Mar. in Feſt. Pentecoſt.* Vide infra in Catech. cap. 5. ad finem de 7. donis Spiritus Sancti, & 12. fructus ejuſdem.

Q. *Quid nonus articulus. Sanctam Eccleſiam Catholicam: & Sanctorum Communionem.*

RESp. De Eccleſia docet quatuor nobis credenda eſſe: Primum, Eccleſiam eſſe unam, nimirum in uno Spiritu Chriſti Ieſu, in una fide, fideique & Sacramentorum doctrina, in uno capite ac rectore univerſalis Eccleſiæ, Vicario Chriſti ſcilicet ac Divi Petri Succeſſore. Secundo, hanc ipſam ſanctam eſſe, quia tum à Chriſto capite & ſponſo ſuo, cui per fidem & Sacramenta conjungitur, & ſanctificatur: tum à Spiritu Sancto perpetuo gubernatur. Tertiò, eamdem eſſe Catholicam ſeu univerſalem, quia toto orbe diffuſa, Chriſti fideles omnes omnium temporum comprehendit. Quartò & poſtremò, in hac ipſa Eccleſia Communionem eſſe Sanctorum, puta non eorum ſolum, qui in terris credentes peregrinantur, verum etiam qui carnis mortalitate exuti, vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi, in igne purgatorio, ſuorum peccatorum ſordibus expiantur. Qui quidem veluti unius corporis membra, ſe invicem juvant mutuis officiis, meritis, orationibus: & ſacroſancti Miſſæ Sacrificii Sacramentorumque Eccleſiæ virtutem participant.

Expoſ. In Sanctorum Communione fundantur Indulgentiæ ad quas diſpenſandas in Eccleſia eſſe authoritatem patet ex Scripturis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta, & in cœlo.* Matth. 18.

Exemplum eſt in eo quod contingit S. Fràciſco, qui cum à Chriſto ad eius Capellam de Portiuncula, ipſius Virginis Mariæ inſtinctu, petiiſſet Indulgentiam plenariam omnibus qui illam Eccleſiam contriti & confeſſi ſubi-

ſent. Annuit Dominus, mandavitque ut Vicarium ſuum Summum Pontificem ea de cauſa adiret, à quo hujuſcemodi Indulgentias impetraret, quas paulò poſt illi Honorius III. Summus Pontifex liberaliter indulſit: *In vita Sancti Franciſci cap. 88.*

Indulgentiarum vim & efficaciam hinc colliges: Confluebant ad orbis caput Romam ad Indulgentias lucrandas ex omni orbis parte non pauci; inter alios qui ex Slavonia aderant, mulier fuit, quæ dum in Patriam omnes iter & reditum parant, repentè moritur, ſuis apparet in via, & declarat ſe vi Indulgentiarum rectè cœlum petiiſſe, addens, ſi indulgentias lucrata non fuiſſet, multis annis ſe igne purgatorio fuiſſe torquendam. *Pædagog. Chriſt. de Indulg.*

Unde qui Indulgentias, vel negligunt, vel contemnunt, non minus ſtulti ſunt quàm ii, qui cum debita ſua gravia facilè poſſent diſſolvere ex ærario Regis aperto, id negligunt. Dum enim indulgentias lucramur, diſſolvimus pœnas quibus per peccatum obnoxii eramus ex publico Eccleſiæ theſauro per indulgentias ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactione nobis conceſſas.

De Indulgentiis fuſius agitur ſuprà Tom. 2. in Reſol. Theol. *part. 3. pag. 171. & ſeqq.*

Q. *Quid porrò decimus. Remiſſionem peccatorum*;

R Eſp. Offert præſentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de venia peccatorum ſuorum conſequenda unquam deſperet, modò in Eccleſia perſeveret Catholica, & ritè ejuſdem Sacramentis utatur.

Expoſ. Duo hic articulus comprehendit: videlicet non ſolùm remiſſionem peccatorum in Eccleſia Catholica reperiri, quod omnes Catholici admittunt, & paſſim extat in Scripturis; ſed etiam in ea eſſe poteſtatem peccata dimittendi per Sacerdotes, quam Petro & Succeſſoribus dedit Chriſtus Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Unde deplorandum omninò eſt aliquos Chriſtianos, mediis, quæ in Catholica Eccleſia reperiuntur, non perindè ac deberent, uti ad ſalutem. Nemo, vel qui læſus eſt, vel adverſa laborat valetudine dubitat ea adhibere remedia quæ ſanitati reſtituendæ poſſunt conducere, quantò magis illi qui ſpiritualiter ægri ſunt, & in peccatis ſuis hærent, deberent ea media adhibere quæ Dei ſapientia ad curationem animorum, atque adeò ad vitam reparandam inſtituit, & in ſua Eccleſia reliquit?

Porrò in Eccleſia per Chriſtum indubitatam eſſe peccatorum remiſſionem declarat exemplum S. Mariæ Magdalenæ *Lucæ cap. 7.* & boni Latronis *Lucæ cap. 24.* Accedit exemplum Clodovæi Regis Francorum de quo in officio Eccleſiæ Tornac. legitur: Cum excitus fama Sancti Eleutherii Tornacum advenisset, occultum gerens animi vulnus, ſeu peccatum mortale quod confiteri erubeſcebat: motus pii S. Eleutherii monitis crimen profuſis lachrymis faſſus eſt. Sed cum dubius hæreret num crimen ſibi eſſet condonatum, Sanctum Eleutherium rogavit ut pro ſe Deum deprecaretur, quo id ſibi ad ſecuritatem animi conſtaret. Poſtero die Eleutherio ad aram facienti adfuit Angelus, qui peccatum Clodovæo remiſſum nuntiavit. Unde Rex Eccleſiæ Romanæ, cui recens ſe adiunxerat, dein acerrimus defenſor extitit.

Pro expoſitione Confeſſionis Sacramentalis contra Sectarios, vide argumenta ſupra *Tom. 1.* in Contr. tract. 2. c. 6. Caſus ad eam pertinentes traduntur fusè in Reſol. Theol. *Tom. 2.* part. 2. c. 1. 2. & deinceps.

Q. *Quid autem undecimus. Carnis reſurrectionem?*

R Eſp. Mortuos ad vitam excitandos aſſerit, & noviſſimum judicii diem confirmat: Nam ante Chriſti tribunal in carne redivivi omnes apparebimus, ut recipiat unuſquiſque, prout geſſit in ſuo corpore, ſive bonum, ſive malum.

Expoſ. Carnis reſurrectionem tam Vetus quàm Novum Teſtamentum certam facit: illud quidem Iob cap. 19. *Et in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum.* Hoc verò Ioan. cap. 5. *Qui bona fecerint procedent in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in reſurrectionem judicii.* Sed qui fieri poteſt ut exuſtum corpus v. c. cineres qui in flumen projecti ſunt, reviviſcat? Mirum id minimè videbitur, ſi Deum omnipotentem eſſe recolamus, qui ſi potuerit cœlum & terram è nihilo producere, cur nequeat corpus in favillas redactum ad ſtatum priſtinum revocare? cum hoc facilius ſit quam illud. Et cum cernamus arbores ornatum ſuum, fructus, & vitam quaſi in hyeme amittere, ſed vere dein appetente, velut quadam reſurrectione adveniente, erumpere folia, flores germinare, fructus producere, cur

ita

ita inquit S. Gregorius *Homil. 28. in Evangelio.* mortuorum corpora Deus nequeat ad vitam reducere?

Myſterii hujus veritatem exemplo comprobat S. Gregorius Turon. *de glor. Confeſſ. c. 50.* S. Severinus cum obequitans fortuitò meſpilo arbore graviter percuteretur, illi maledixit, ipſoque momento arbor arefacta eſt. Poſt dies aliquot rediens, videnſque arborem aridam, orare cœpit Dominum: *Tu Domine in ſignum quod corpora noſtra reſurgent, præcipe ut reviviſcat hæc arbor*. Mirum dictu! ipſo momento arbor frondeſcere cœpit, & paulatim priſtino vigori eſt reſtituta. Huc reduci poſſunt quæ dicta ſunt de Reſurrectione Chriſti ad hujus Symboli *Art. 5.*

Q. *Quid demum poſtremus. Et vitam æternam?*

RESP. Fidei & virtutis Chriſtianæ præmium beatam immortalitatem oſtēdit, ut certò ſciamus, poſt hanc vitam ſupereſſe aliam longè diverſam, vereque ſecuram, beatam, ac ſempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus Chriſto deſtinata ſit.

Expoſ. Hanc vitam æternam, ſeu gloriam cœleſtem certam faciunt paſſim ſacri Codices, quanta verò ea ſit non explicant, nec porro explicare poſſunt, ut fatetur Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Sed qua in re illa gloria ſeu vita æterna conſiſtit? In eo potiſſimum quod ſimiles Deo futuri ſimus in gloria, beatitudine & claritate. *Similes ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Ioan. 2. Non minus quam ferrum ignitum, quod etſi ferrum maneat, magis tamen ignis apparet quam ferrū. Vel ut ait S. Cyprian. *de Singul. Cleric.* Sicut ſol in ſpecula apparens vero ſoli ſimillimus eſt, ita homo ad cœleſtem viſionem elevatus Deo ſimilis erit.

Gloriæ hujus magnitudinem ipſe dæmon alias mendax aliquando profeſſus eſt F. Iordano Ordinis Prædicatorum, viro Sanctiſſimo. Interrogatus enim ubi foret lubentius? In cœlo reſpondit, idque ut faciem creatoris mei poſſem intueri: Lubentiſſimè enim unus omnia omnium damnatorum tormenta ſubirem uſque ad diem judicii, ut vel ad minimum temporis ſpatium Deum, & ejus gloriam poſſem intueri. Rogatus dein aliquam cœleſtis pulchritudinis cum terrenis rebus comparationem: fruſtra id, quæri reſpondit dæmon, cum nihil omnino in terris ſit, quantumcumque pulchrum, quod vel per ſpeciem cum cœleſti illa beatitudine poſſit comparari: *Herold. in Promptuario exempl. Littera G. & aliis.*

Q. *Quæ eſt ſumma omnium Symboli articulorum?*

RESP. Corde & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil aut majus, aut ſapientius, aut melius poteſt excogitari, eum & unum in eſſentia ſeu natura divina, & trinum in perſonis eſſe, utpotè Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: ita ut hi tres unum ſint, unus verus, æternus, immenſus & incomprehenſibilis Deus: ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Pater eſt Conditor univerſorum, Filius Redemptor hominum, Spiritus Sanctus, Eccleſiæ, ſeu Chriſti fidelium ſanctificator & rector. Igitur huic ſanctiſſimæ & individuæ Trinitati reſpondent Symboli tres præcipuæ: Prima, quæ de Creatione eſt, Patri; Secunda, quæ de Redemptione, Filio: Tertia, quæ de Sanctificatione, Spiritui Sancto accommodatur.

Q. *Quid eſt Eccleſia?*

RESP. Eſt omnium Chriſti fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ ſub uno & ſummo poſt Chriſtum capite & Paſtore in terris gubernatur.

Q. *Qui ab Eccleſia prorſus alieni ſunt?*

RESP. Primùm Iudæi & infideles omnes, atque à fide apoſtatæ, deinde hæretici, ii ſcilicet, qui cum baptizati ſint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errorem. Præterea Schiſmatici, qui à pace & unitate Catholica ipſi ſegregant. Poſtremò qui à Communione Sanctorum, à participatione Sacramentorum, & ab Eccleſiæ ſuffragiis, diviniſque officiis per Eccleſiaſticam poteſtatem legitimè excluduntur: undè & Excommunicati dicuntur: Qui omnes à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſeiuncti & alieni ſunt, proindeque ſpiritualis vitæ ac ſalutis expertes manent, Satanæ mortique perpetuæ, obnoxii. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, ſed imprimis hæretici, & ſciſmatici, non minùs quàm peſtes quædam exitiales, fugiendi ac execrandi ſunt.

Q. Quæ

Q. *Quæ demum eſt ſimplex, brevis & recta fidei regula, qua Catholici ab hæreticis diſcernuntur?*

RESp. Ea eſt, Chriſti fidem atque Eccleſiæ auctoritatem integram profiteri, illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod Eccleſiæ Catholicæ Paſtores atque Doctores credendum definierunt. Cæterum ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi, inquit Chriſtus ipſe, ſicut ethnicus & publicanus. Non enim habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluit habere Matrem.

Expoſ. Vnica eſt Chriſti Eccleſia, ſicut *unus eſt Deus, una Fides, unum Baptiſma*, eaq; Romana Apoſtolica, Vniverſalis, extra quam, ſicuti durante diluvio, extra arcam Noe nullus emerſit, ita nullus omnino ſalvari poteſt, ut præclarè S. Auguſtinus Lib 4. de Symbol. ad Catech. cap. 13. *Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem.* Vnde Hæretici & Schiſmatici neque ſalvi eſſe poſſunt, neque vera ſunt membra Eccleſiæ, ſed à S. Cypriano dicuntur membra putrida à corpore abſciſſa, & comparantur ramo ab arbore præciſo; item radio, qui ſi à Sole ſeiungatur, deficit: & fluvio, qui ſi à ſuo fonte ſeparetur, neceſſe eſt illum exſiccari.

Hanc Eccleſiam contra hoſtes ſuos ſemper Deus defendit, ut ſtaret inconcuſſa veritas, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Fridericus II. Imperator Schiſmaticus, Eccleſiæ Romanæ meditabatur exitium, ſi ribebatque Pontifici Innocentio IV. propediem deſtruendam omnino Romanam Eccleſiam: repoſuit illi Pontifex, brevi illum, ni reſipiſceret, moriturum, & æterno igne puniendum Ita evenit, nam paulo poſt à proprio filio Manfredo ſtrangulatus fuit Anno Domini 1250. Ita ex Alberico refert Criſpinianus, quamvis Pontificum hoſtis acerrimus, & ex his Bozius *Signo* 19.

De vera Eccleſia, & Hæreticis extra Eccleſiam, explicatio & exempla data ſunt initio hujus Capit. 1. ad Quæſt. *Quis dicendus eſt Chriſtianus? Quod eius ſignum? Quid eſt Fides? &c.* Argumenta 8. pro Eccleſia Romana vera & unica, habes ſupra in Controv. part. 1. cap. 2. & 3. &c. Item pro Pontifice, & aliis fidei Articulis contra Hæreticos, vide ibidem.

CAPUT II.

De Spe & Oratione Dominica.

Q. *Quid eſt Spes?*

RESp. Virtus eſt divinitus infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis & æternæ vitæ bona expectantur.

Q. *Vnde modum rectè ſperandi & petendi diſcimus?*

RESp. Ex Oratione Dominica, quam Chriſtus ipſe Dominus & Magiſter noſter ore ſuo ſacroſancto tradidit & præſcripſit.

Q. *Recita per partes Orationem Dominicam?*

RESp. Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum.

2. Adveniat regnum tuum.
3. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.
4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
5. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
6. Et ne nos inducas in tentationem.
7. Sed libera nos à malo. Amen.

Q. *Quid ſibi vult initium huius Orationis, Pater noſter, qui es in cœlis?*

RESp. Præfatiuncula eſt quæ nos memores reddit ſummi beneficii quo Deus Pater per Chriſtum nos ſibi in filios adoptivos, & hæredes cooptavit. Atque hoc dulci Patris nomine provocantur, tum ad eum redamandum, tum ad precandum magna cum fiducia.

Q. *Quid explicat prima petitio. Sanctificetur nomen tuum?*

RESp. Proborum filiorum juſtum & liberale deſiderium. Hi petunt ſemper, & ubique in ſe aliiſque promoveri cognitionem timorem, honorem, amorem, & cultum æternæ majeſtatis, & quidquid demum ad ſummi optimique Patris gloriam ſpectat.

Q. Quid

Q. *Quid ſecunda petitione agimus. Adveniat regnum tuum.*

R Eſp. Petimus gloriam regni cœleſtis; æternæque felicitatis nobis donari, ut cito cum Chriſto in ſempiternum regnemus.

Expoſ. Orationis hujus præſtantiam præ cęteris omnibus orationibus inde collige, quod ab ipſo Chriſto Domino noſtro facta ſit: ſi enim picturas & alia manu facta eo majoris ſolemus æſtimare, quo auctorem habent magis celebrem, quomodo hanc non æſtimabimus orationem, quæ auctorem habet ipſum Deum?

Quanta autem ſit hujus orationis vis, & efficacia docebit nos hoc exemplum: Epiſcopus quidam in extaſim raptus puerum vidit aureo hamo mulierem è profundo lacu expiſcãtem. Ad ſe reverſus cępit ea, quæ viderat, ruminari; ad templum ſe conferens offendit, eundem parvulum ſepulchro matris ſuæ inſidentem & orantem rogatus puer quid ageret; reſpondit: orare ſe, & identidem recitare Orationem Dominicam pro anima matris defunctæ, cognovit ergo Epiſcopus hunc eſſe, quem aureo hamo piſcantem viderat, hoc eſt, Matris animam ex piacularibus flammis per Orationem Dominicam liberantem, *Auctor Speculi Exemp. Tituli. Defuncti Exemp.* 23.

In ſecunda Petitione, Regnum Dei quærere jubemus, juxta dictum Chriſti Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei, &c.* Quæ fuerunt hoc diligenter adeo S. Ignatius de Loyola, & S Nicolaus Tolentinas, ut legitur in eorum vita, ut continuò ferè ad Deum aſpirarent cupientes diſſolvi hoc mortali corpore, & eſſe cum Chriſto. Peregrinamur enim hic omnes in terra, dum ad patriam perveniamus, quæ regnum Dei eſt quod his petimus. Pulchrum eſt quod legitur in hanc rem de Sancto Adriano apud Adonem Viennenſ. in *Martyr.* 8 *Sep.* Hic Sanctus etiamnum ethnicus videns Chriſtianos maxima tormenta cum gaudio ſuſtinere, ab illis petit, quodnam pro his præmium exſpectarent? Repoſuerunt illi, *Adveniet nobis regnum Dei.* Hæc audiens Adrianus ſuum etiam petiit in Chriſtianorum numerum nomen ręferri, & poſt gravia tormenta ad regnum illud Dei illuſtris etiam Martyr evolavit.

Q. *Quid tertia, Fiat voluntas tua?*

R Eſp. Petimus divinæ gratiæ nobis opem adeſſe, ut Patris voluntatem in terra, ſicut Beati omnes in cęlos faciunt, ſyncerè, alacriter, & conſtanter adimpleamus.

Expoſ. Ad regnum Dei perveniet, qui voluntatem Dei fecerit, *Qui facit voluntatē Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum Cœlorum*: Matth. 7. Quare S. Gertrudis, ut legitur in ejus vita, ſubinde trecenties ſexageſies quinies hæc verba: *Fiat voluntas tua*, piiſſimè iterabat, hocque gratiſſimum Deo fuiſſe ſacrificium, ipſi Deus revelavit. Vnde quodam tempore à Chriſto juſſa eligere ſanitatem aut morbum; reſpondit: *Vehementiſſimè deſidero Domine non facias voluntatem meam, ſed tuam.* Plura de hoc exempla leguntur ſupra in apparatum verbo *Obedientia.*

Q. *Quid quarta, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?*

R Eſp. Petimus ſuppeditari nobis, quæ ad vitam ſive corporis, ſive animi fovendam & ſuſtentandam ſpectant, ut victum & veſtitum, verbum Dei & Eccleſiæ Sacramenta.

Expoſ. Panem quotidianum ſic rogantibus Deus elargietur uti promiſit: *Quærite primum regnum Dei & Iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*: Matth. 6.

Id aliquando miraculo comprobavit, uti legitur in vita S. Dominici *lib. 3. cap. 4.* Cum domi nihil cibi eſſet, juſſit hic vir ſanctus Fratres menſæ nihilominus accumbere, & illi benedixit. Vix accubuerant, ecce ingreſſi duo Angeli eleganti ſpecie ſingulis fratribus (erant numero centum) ſingulos candidiſſimos panes appoſuerunt, quo facto exhibita reverentia diſparuerunt. Simile eſt exemplum quod legitur in Annal Minorum P. Lucæ VVaddingi *Anno Chriſti* 1219. Accumbente S. Franciſco cum quingentis Fratribus, pari modo viginti Angeli ſuccincti, panes & vinum miniſtrarũt. In Appatatu V. *Benignitas Dei.*

Q. *Quid quinta, & dimitte nobis debita noſtra?*

R Eſp. Petimus veniam ac remiſſionem peccátorum, paracti viciſſim remittere, quod in nos alii peccaverint.

Expoſ. Si Proximo non dimittamus, neque Deus dimittit nobis peccata, uti Chriſtus diſertè aſſerit Matth. 6. *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Et patet in Exẽplo quod pręclarè refertur in vita S. Nicephori apud *Henſchenium, 16. Februarii.* Venit in odium Sapricii Sacerdotis

Nice-

Nicephorus, hic ſæpius tum per ſe, rum per internuncios dimitti ſibi petierat, ſi quid peccaſſet, ſed inexorabilis perſiſtebat Sapricius. Poſtea capitur Sapricius, quia Chriſtianus erat, & pro Chriſto tormentis admovetur. Ibat jam ad palmam Mrtyr Sapricius; per viam ad genua ejus accidit Nicephorus veniam petens: ſed iterum repulſam paſſus eſt; tandem Sapricius cervicem præbere juſſus, mortem turpi vita redemit, Chriſti fide ejurata, quo viſo ſe Chriſtianum proclamat Nicephorus, & coronam Martyrii quam Sapricius amiſerat, juſto Dei judicio, adeptus eſt.

Vide in Apparatu *Amor proximi*.

Q. *Quid penultima, Et ne nos inducas in tentationem?*

RESp. Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate divina virtute fulciri, atque adverſus Mundum, Carnem, Dæmonemque defendi, ne quocumque modo tentationi ſuccumbentes, peccato conſentiamus.

Q. *Quid ſeptimo & poſtremo, Sed libera nos à malo?*

RESp. Petimus Dei benignitatem, qua ipſe nos liberet, & vindicet à miſeria rum corporis, tum animi, ſive in hac vita, quoad ſaluti noſtræ congruir, ſive in futura. Et additur: *Amen*, hoc eſt, fiat, ſive fiet, ut ſpem deſideriumque monſtremus accipiendi ea, quæ ſeptem his petitionibus continentur.

Q. *Quæ ſumma eſt priorum orationis huius Petitionum?*

RESp. Priores quatuor oſtendunt, quæ his bona ſperare ac petere debeamus: Inter quæ primum ac ſummum eſt, divinæ Majeſtatis honor & gloria: proximum, noſtra fælicitas: huic accedit Deo debita obedientia: Poſtremum eſt, corporis animæque ſuſtentatio neceſſaria. Hæc ſummatim continentur prioribus quatuor.

Q. *Quæ ſumma eſt reliquarum Petitionum?*

RESp. Tres poſteriores continent mala, quæ deprecari debeamus: ut ſunt peccata, quæ nobis Dei regnum præcludunt: Tum tentationes, quæ, niſi ope divina protegamur, ſuavi ad peccandum nos pertrahunt: ac poſtremò hujus ac futuræ vitæ calamitates.

Docet igitur Dominica precatio ſimul & bona petere, & mala deprecari.

Expoſ. In Petitione 6. & 7. liberari petimus à malis animæ potiſſimum, cum mala corporis multum ſubinde conducant ad ſalutem, & gloriæ augmentum, uti colligimus ex eo, quod Deus multa mala viris Sanctiſſimis evenire patiatur.

Pulchrum eſt quod ad hanc rem declarandam exemplum adfertur ex actis Nerei, & Achillei cap. 9. *Apud Surium 13. Maii.* Cum S. Petrus cum diſcipulis domi ſuæ pranderet, ex iis unus Titus nomine à Petro petiit, ne, cum tam multos curaret, filiam ſuam Petronillam ex phralyſi pateretur decumbere? Cui Petrus, hæc ei infirmitas facit ad ſalutem: in cujus rei veritatem mandavit ut ſurgeret & accumbentibus miniſtraret. Surrexit & miniſtravit incolumis, ſed miniſterio expleto, juſſit eam Apoſtolus iterum ad lectum redire, ne ſcilicet facili hoc ad perfectionem obtinendam medio fruſtraretur.

A malo autem animæ Deus hominem liberat per gratiam ſuam efficiendo ne conſentiat tentationi & peccato. Sic liberavit Suſannam quando à duobus Senibus ad committendum adulterium tentata fuit, præbendo illi, ad divinam opem confugienti, tantùm gratiæ robur ut diceret: Melius eſt mihi incidere in manus veſtras & mori, quam peccare in conſpectu Dei mei. Plura exempla haberi poſſunt ex Apparatu ſupra.

V. *Tentatio, Tribulatio.*

Q. *Quomodo Salutationem Angelicam recitas Virgini Matri?*

RESp. Ave *Maria* gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui *Ieſus*, Sancta *Maria* Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ: *Amen*.

Q. *Vnde hic modus Deiparam Virginem ſalutandi profluxit.*

RESp. Primum ab exemplo Angeli Gabrielis, & ſanctæ Eliſabethæ: deindè ex uſu ipſo, & conſenſu Eccleſiæ Catholicæ ortum ducit.

Q. *Quem vero fructum adfert hæc ſalutatio?*

RESp. Sacroſanctæ Virginis & Dominicæ Incarnationis gratã, & æquè ſalutarem no-

nobis refricat memoriam, ac præterea monet, ut gratia à Virginis favorem, atq; apud Deum intercessionem nobis conciliemus.

Q. *Quid diſcimus ex hac ſalutatione?*

RESp. Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, ut quòd Dei donis ac virtutibus ampliſſimis referta, quòd eadem Virgo & Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Christi Dei & Domini nostri Parens, ac perindè inventrix gratiæ, ac Genitrix vitæ nobis extitit.

Expoſ. Quam gratum ſit Beatiſſimæ Virgini hanc Angelicam Salutationem frequenter recitari collige ex Exemplo S. Gertrudis, quod refert Bloſius *Mon. Spir. c.3.§.9.* S. Gertrudis lectoaffixa eum horas legere non poſſet, aliaſque preces ex voto Beatiſſimæ Virgini perſolvere: quod unum ægrè poterat hęc verba identidem repetiit, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Apparuit illi Deipara Virgo induta pallio aureis floribus exornato; eumque flores hos laudaret Gertrudis, repoſuit Virgo: hos flores eſſe Salutationes Angelicas, quas illa non ſine labore protulerat, hoc tam inſigni pallio ſe à Gertrude exornatam, ſiquidem nihil magis placeret, quam frequens illius orationis repetitio.

Quanta autem ſit huius orationis vis & efficacia ſequens declarabit exemplum. Cùm quidam è familia B. Catharinę Suedię ſomno correptus è curru decidiſſet equorum ungulis obtritus, & rotarum pondere oppreſſus animam ageret. B. Catharinæ Virginis opem imploravit, recitata ſemel Salutatione Angelica. Res mira! è veſtigio ſurrexit, & ita ſibi reſtitutus eſt; ut nullum mali veſtigium ſupereſſet. In vita B. Catharinę Svedię *apud Surium, & P. Henſchen. Martii* 22. Alia in Apparatu verbo *Deipara*.

CAPUT III.

De Charitate & Decalogo.

Q. *Quid eſt Charitas?*

RESp. Infuſa à Deo virtus, qua ipſe propter ſe proximus autem propter Deum diligitur.

Expoſ. Vim Charitatis Divinæ inſigniter experta eſt Beata Virgo Thereſia, quæ tanto divini amoris incendio conflagravit, ut viderit Angelum ignito iaculo ſibi præcordia transverberantem. Ita habetur in vita illius.

S. Ignatius Martyr tanta in Christum charitate flagrabat, ut ſummis votis exoptaret pro eius amore omnium tormentorum genera ſuſtinere, his verbis; Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. Cum verò in tormentis jam conſtitutus ſanctiſſimum *Ieſu* nomen ſæpius repeteret, rogatus cur nomen illud toties ingeminaret? Reſpondit: *Quia nomen hoc cordi meo inſculptum gero.* Et hoc ita ſe habere miro prodigio deprehenderunt illi qui poſt eius mortem in medio cordis nomen *Ieſu* aurei litteris expreſſum invenerunt. *Ita Pedagog. Chriſtianum ex S. Chryſ. in Epiſt. ad Epheſ.* 4. *verſ.* 14. Alia de Charitate hic ſequuntur.

Q. *Quot ſunt Charitatis præcepta?*

RESp. Duo ſunt principalia. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis. Hoc eſt primum & maximum mandatum. Secundum verò ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his præceptis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.

Expoſ. Rectè dicitur Charitas Dei primum & maximum mandatum: qui ex perfecto Dei amore cæterorum mandatorum obſervatio procedit. Sicut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multę virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. Ideò ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam. *Cantic.* 8. Sæpiſſimè S. Ioannes Evangeliſta, diſcipulos ſuos ad charitatem proximi his verbis adhortabatur: Filioli, diligite alterutrum, præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. *Ribadenera in eius vita.*

Magnus ille Ioannes cognomento Eleemoſynarius, qui in charitatis exercendæ occaſiones continuò invigilabat: Cum ob eximiam planeque profuſam in pauperes munificentiam à quodam plurimum laudaretur: *Quieſce, inquit, frater, nondum pro te ſanguinem fudi, ſicut mandavit mihi Dominus meus Chriſtus.* Lorinus in 1. Ioan. c. 2. v. 17.

Q. *Quo judicio ſe prodit Charitas erga Deum?*

REſp. Si eius obſerves mandata. Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius gravia non ſunt. Et Chriſtus ipſe docet: qui habet mandata mea, & ſervat ea ille eſt qui diligit me.

Expoſ. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum ſunt præcepta Dei, *& dulciora ſuper mel & favum: Et enim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa*, Pſalm. 18. Hac ſuavitate allectus Rex David exclamat Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum:* nempe per ardorem charitatis. S. Gregorius Niſſenus Oratione 2. de pauperibus amandis, explicans hæc verba Chriſti Ioan. 5. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. ait: *Talem iugum ne detractemus, ne excutiamus, ſuave eſt leve eſt, ſubeuntis cervicem non atterit, ſed demulcet*.

De hac Charitate plurima dicta & exempla, ſi cupis, vide ſupra in Apparatu verbo *Amor Dei*, & *Obedientia mandatorum*. Motiva idonea ad Amorem Dei excitandum habentur hic in fine *de part. 4. Praxi Aſſiſtendis moribundis*.

Q. *Quomodo ſe procedit & agnoſcitur Charitas erga proximum.*

REſp. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Expoſ. Omnis homo eſt hominis proximus, nec ulla eſt cogitanda longinquitas generis, ubi eſt natura communis. Ita Sanctus Auguſtinus ſcribens in Pſalmum 118. Sanctus Paulinus Nolæ Epiſcopus, ut viduæ filium à Barbaris captum redimeret, ſeipſum in ſervum vendidit, vide in *Breviarium Romanum 22. Iunii.* Sanctus Ignatius de Loyola ut laſcivum juvenem ad amaſiam properantem corrigeret, aquis ſe collo tenus hyemali tempore immerſit, cumque infelix libidinis mancipium id adverteret exclamavit Ignatius, Perge miſer ad fœdiſſimas tuas voluntates, impendentem capiti tuo ruinam non vides? Ego me hic tui cauſa frigore conſtringam, donec iuſtiſſimum Dei furorem in te paratum avertam. *Ribadeneira in eius vita.*

Sed præterire non poſſum illuſtre exemplum ſummæ in proximum Charitatis, ſimul & humilitatis, *in S. Eduardo Anglorum Rege.* Cum hic in palatio ſuo juxta Eccleſiam S. Petri moraretur, ſupervenit unus natione *Hibernus* pedis utriuſque officio priuatus, ſicut retrorſum fœdum in modum pedum articuli carnibus inhærerent, & ſuppoſitis ſcamnis repere cogeretur. Hic ad Regis cubicularium nomine Vgolinum converſus, Sexies, inquit, limina Apoſtolorum ſic rependo viſitavi, & ſanitatem nondum obtinui: ſed ab ipſo Apoſtolo Petro in mandatis accepi Regem adire, ut me ſuo dorſo ſubvectum ad Eccleſiam palatio vicinam perferret, & hoc ſi fecerit, me membrorum meorum integrã ſanitatem obtenturum. Hæc ubi nunciata ſunt Regi, ſumma ſtatim charitate commotus, pauperem, ut erat, ſordibus & ſanie oppletum, in Regios humeros attollit, eiuſque brachia ſquallida circa ſuum collum complexus, capit eum inſpectante populo ad templum deportare. Alii pauperis arrogantiam, alii Regis ſimplicitatem ab eo deluſam irridebant. At cum Rex paululum proceſſiſſet, ecce ſubito pauperis nervi extenduntur, emergunt ex carne marcida pedum articuli, crura jam vegeta in rectum protenduntur, ex ſanie ac ſanguine largè profluente Regia veſtis ornatur magis quam fœdatur. Quid plura? Omnes ſtupore attoniti proclamat, Pauperem iam ſanatum, ac tempus eſſe ut Rex ſarcinam tam moleſtam deponat. Rex autem, ut cæpit, populi clamores nihil moratus, uſque ad ipſam Eccleſiam conſtanter pergit, & ante ſanctum Altare holocauſtũ illud charitatis quod hactenus detulerat, Deo ac Sancto Petro reſignat, atque integrè ſanatum dimittit. Pauper autem ille tanto beneficio, & conſueta Peregrinandi pietate commotus, ſuſcepto à Rege itineris viatico, gratias Deo, & S. Petro acturus, Romam profectus eſt. *Ludovicus Granatenſis in Concione 3. de Sancto Petro part. 1.*

Vide aliqua exempla &c. ſupra in Apparatu verb. *Amor proximi.*

Q. *Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?*

REſp. Et ſi duo ſunt Charitatis præcepta, in quibus plenitudo Legis verſatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adiiciuntur, ut præcipuè magis omnes intelligant, quæ ad Charitatem tum Deo, tum proximo exhibendam pertinent.

Q. *Qua*

Q. *Quæ ſunt præcepta Decalogi?*

RESp. I. Ego ſum Dominus Deus tuus. Non habebis Deo alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, vt adores illud.

II. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.

III. Memento vt diem Sabbati ſanctifices.

IV. Honora patrem tuum, & matrem tuam vt ſit longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

V. Non occides.

VI. Non mœchaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

IX. Non concupiſces vxorem proximi tui.

X. Non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, & vniverſa quæ illius ſunt.

Q. *Quid ſibi vult primum præceptum, Non habebis Deo alienos?*

RESp. Prohibet ac damnat idololatriam ſeu cultum falſorum Deorum, artem magicam vel diuinatoriam, obſeruationes ſuperſtitioſas, omnem denique cultum impium: è diuerſo autem requirit, vt vnum Deum optimum maximum credamus, colamus & inuocamus.

Expoſ. Sæpius in hac vita vindictam ſumit Deus de iis qui diuinationibus, vanis obſeruationibus, maleficijs & incantationibus magicis animum addicunt. Ochoziæ Regi ob conſultum Belzebub Deum Accaron, mortem Dei iuſſu prædixit Elias, 4. *Regum* 1. Saul coarctatus ab hoſtibus, Pythoniſſam conſuluit, & poſtridie in peccatis ſuis mortuus, ſeipſum gladio peremit, 1. *Reg.* 28.

Quæ ſpectant ad ſuperſtitionem, magiam, & alia contra hoc præceptum exponuntur ſupra *Tom.* 2. *Reſol. Theol. part.* 5. *c.* 1.

Q. *Licetne Sanctos colere & inuocare?*

RESp. Licet: non ad eum quidem modum quo iubemur Deum colere & inuocare, tamquam Creatorem & Redemptorem & Largitorem bonorum omnium: at longè inferiori gradu, nimirum, veluti, dilectiſſimos Dei amicos, noſtroque apud ipſum interceſſores & patronos.

Q. *Huicne Præcepto aduerſatur vſus Imaginum Chriſti ac Sanctorum?*

RESp. Nequaquam: quia Præcepto huic Non facies tibi ſculptile, cauſa mox additur, Vt adores illud, videlicet Ethnicorum more, qui falſorum deorum ſtatuunt ſimulachra, & idola ſua impiè colunt. Nos autem in imaginibus Chriſtum & Sanctos, quos repræſentant, pio à maioribus tradito more veneramur.

Expoſ. Cultum Sanctorum nobis commendat Deus, qui teſte magno Auguſtino, *Multa non concedit, niſi mediatoris ac deprecatoris opera, & officium interceſſerit.* Sermone 4. de S. Stephano. Quapropter SS. Patres Chriſtianos adhortantur vt Sanctorum opem implorent: cæteros vt prætercam, loquentem audiamus S. Baſilium Oratione ad 40. Martyres: *qui aliqua premitur anguſtia ad hos confugiat, hos oret vt à malis liberetur.*

Quam vtilis nobis ſit Sanctorum, & maximè Reginæ Sanctorum cultus, probat exemplum quod ſubijcio. Conſueuerat pius quidam Virginis cliens Roſarium quotidie perſoluere; die quodam iter faciens cum non nullis, aliqui ipſum præceſſerant, qui in latrones incidentes miſerè ſunt occiſi, incidit & hic in eoſdem, qui & hunc ſtricto ferro ſunt aggreſſi, mortem iam iam inferre parati. Procidit hic in genua, breue vitæ ſpatium tremulo ore flagitat, quo ſuum de more penſum Virgini perſoluat. Conceditur, & ecce mirabile viſu, vix preces ad Virginem miſericordiæ Matrem fundere inceperat, vident latrones ex ore orantis ad *Aue Maria* cadentes Roſas candidas, & ad *Pater noſter* rubras; quo facto perculſi latrones, & rei nouitate permoti Virginis clientem vita donarunt. *Specul. Exemplor ſub titulo B. Maria Virgo.*

Pro cultum Sanctorum, & veneratione Imaginum argumenta Theologica vide ſupr. *Tom.* 1. *in Controu. Tract.* 2. *cap.* 8 & 9.

Q. *Quid ſecundum prohibet, Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum?*

RESp. Vetat abuſum diuini nominis, & irreuerentiam, quæ committitur à periuris, & blaſphemis per Deum, Sanctos, vel creaturam aliquam, abſque graui cauſa, veritate, ac reuerentia iurantibus.

Expoſ. Iurationi, inquit Eccleſiaſt. cap. 23. *non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa: Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet*

det à domo eius plaga. S. Gregorius *Lib.4.Dialogor.cap.17.* ſcribit de quodam quinquenni puero, qui eo quod blaſphemare didiciſſet, nec ideo à patre redargutus fuiſſet, è ſinu parentis à dæmonibus in infernum abreptus eſt.

Horrendum eſt quod narrat Martinus Delrio *Tom.2.Diſquiſitionum Magicarum Lib. 3. quæſt.7.ſect.8.* In Saxonia Virgo opulenta formoſo iuveni, at tenuioris fortunæ, matrimonium promiſit: at hic cum illam prædivitem &nobilem eſſe ſciret, fidem verbis illius ſe minimè habere indicauit: illa vero vt fidē dictis ſuis faceret, diris ſe devovere cœpit in hæc verba, Si alteri quā tibi nupſero, dęmon me vivam in illis nuptijs auehat. Poſt interuallum aliquod animum mutat, nubit alteri priore ſponſo ſpreto, qui eam non ſemel promiſſi, diræq; imprecationis admonuit; ſed illa poſthabitis his omnibus nuptias cum altero celebrat. Ipſo nuptiali die cognatis, & amicis genio lætitiæque indulgentibus, ſponſa ex remorſu conſcientiæ periurij memor, redditur ſolito triſtior: Quod dum ſponſus, & parentes obſcruate incipiunt, duo mali ingenij ſub ſpecie duorum equitum ædes pulſant, benignè excipiuntur, & menſæ adhibentur; A menſa choreæ inſtituuntur, & equitibus tamquam magnis, & nobilibus amicis ſponſa honoris cauſa adiungitur, qui vbi cum ſponſa aliquamdium ſalrauerant, eamè conſpectu parentum, & cognatorum auexerunt. Altero die parentes & amici, dum ſponſam quærunt, ecce ijdem equites occurrunt, veſtes & muliebrem mundum referunt, & hæc verba trunci vultu adijciunt: Non hæc ornamenta, ſed ſponſam nobis conceſſio Deus, filia veſtra in inferno æternis flammis torquetur; nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei fruſtra.

Iuramenti & voti ſi cupis fuſiorem explicationem, vide ſupra Tom.2.in *Reſol.Theol.Part. 5. de Pracept. cap. 2.* Et eodem exempla in Apparatu, verbo *Iuramentum*.

Q. *Quid imperat tertium Preceptum, Memento vt diem Sabbathi ſanctifices?*

RESp. Vult Sabbathum, ſeu die feſtum, in Eccleſia pijs operibus celebrari: quod fit adeundo templum, & audiendo Miſſam.

Laborare autem hoc tempore, & occupationibus deditum eſſe ſeruilibus, plane interdicit.

Expoſ. Feſta celebremus non corporis nitore, non veſtitu: mutatione, ac magnificentia, non comeſſationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias eſſe didiciſtis, ſed animi puritate, & mentis hilaritate. S.Gregorius Nazianzenus Orat.4. in Iulianum, S. Gregorius Magnus in Regiſtro: *Recte* ait, *Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodè orationibus inſiſtendum, vt ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem Dominica Reſurrectionis precibus expietur.*

Nicanor contemnes Sabbathum Iudæorum, ab his in prælio cæditur & ſuperatur, 2. *Machab.cap.5.* Plura exempla de violatione Sabbathi aſſignantur ſupra in Apparatu, verbo *Sabbathi obſeruatio* Et explicantur fusè *Tom.2. in Reſolut.Theolog.Part.5.cap.3.*

Q. *Quid iniungit quartum, Honora patrem & matrem?*

RESp. Vt his qui ſecundùm Deum vitæ noſtræ ſunt auctores, reuerentiam, obedientiam, opemq; pręſtemus, ac omni demùm officij genere illis ipſis ſatisfaciamus. Deinde iubet vt Magiſtratus, tum Ciuiles, tum Eccleſiaſticos, parentum & maiorum loco habeamus, illorum dicto lubentes pareamus, & reuereamur poteſtatem atque auctoritatem.

Q. *Qua ratione poteſtatem & auctoritatem Eccleſiaſticam reuerebimur?*

RESp. Videlicet, ſi receptis œcumenicis Concilijs, ſi receptis Apoſtolorum ac Patrum inſtitutis ac decretis, ſi probatis maiorum Conſuetudinibus; denique ſi ſummis Eccleſiæ Paſtoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam ſingularem illis debemus obſeruantiam, obedientiamque. Vbi vel maximè peccant, qui cultum diuinum, & ſanctiones cæremoniaſque Eccleſiaſticas conuellunt, atque contemnerant: tum qui Synodis, & Pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum iura, & templa inuolant, ſacra profanantes.

Expoſ. Apoſtolus ad Coloſſ. 3. hortatur liberos vt *parentibus obediant per omnia* Rechabitę ne à patris conſilio vnquam diſcreparent vino in perpetuum abſtinuerunt: Ierem. 35. *Maledictus qui non honorat Patrem & Matrem.* Deuter. 27.

Noſtra ætate (ait S.Bernardinus) in quodam Hiſpaniæ oppido, adoleſcens fuit, qui per parentum in obedientiam eo deuenerat vt anno 18. propter latrocinia, & publica facinora in vincula coniectus, & ſuſpendio damnatus ſit. Erat tum prorſus imberbis, pendenti vero atque exanimi ſubitò prorupit barba, moxque ſpectante populo comæ capitis planè caneſcunt,

ſcunt, ita vt ætatem referret hominis non agenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Epiſcopus, omnes in genua proſtrati Deum orant, dignetur huius adeo nouæ & miraculoſæ rei cauſam patefacere. Non vanæ fuere horum preces; diuinitus Epiſcopo reuelatur, adoleſcentem illum victurum fuiſse ad ætatem 90. annorum, niſi parentibus inobediens & contumax extitiſset. S. Bernardinus *Tom. 2 Serm. 17. Quadrageſimæ*.

Quomodo honorandi ſunt parentes explicatur ſuprà *in Reſolut. Theolog. Part. 5. cap 4.*

Q. *Quid ſibi vult quintum, Non occides?*

R Eſp. Prohibet vim externam, cædem, & iniuriam omnem, quæ corporis & vitæ proximi adferri poſſit. Ad hæc, iram, odium, rancorem, indignationem, & quoſuis affectus ad proximi læſionem quouis modo ſpectantes excludit, & penitus relecat.

Expoſ. Propter homicidium Deus maledicit Caino: *quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, maledictus eris ſuper terram*: Geneſ. 4. de quo S. Ambroſ. Cum pœna à Domino ceſsaret, torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum, latebat miſer tremens, & timens, & cum adhuc percuſſor deeſser, ipſa ſe iniuſti vita cruciabat *S. Ambroſ. in Pſal. 35.*

Narrat de ſicario, Abbas Sabbatius, qui à patrata per ſummam immanitatem innocentis pueri cæde, quo ſcelus occultum melius expiaret, & conſcientiam oblatrantem obmuteſcere faceret religioſæ vitæ rigorem & habitum aſſumpſit, iamque aliquandiu in religione piè vixerat, cùm ecce ſcelus ſemper animo, & vultus exanguis occiſi parvuli identidem oculis obuerſans, exturbat tandem hominem è monaſterio. Pueri enim voces continuò auribus eis inſonare illud videbatur, Cur me occidiſti? Nec ſinebat, vt auctor ait, vna hora conquieſcere. Quare ſemper tremens ac pauens, tanti cruciatus impatiens vt vmbram hanc triſtem affugeret, è monaſterio exceſſit, vrbem ingreſsus Dioſpolim, iudici ſe ſiſtit, carceri traditur, & capite plectitur. Ita P. Engelgraue in cœlo empyreo, *Tom. 2. in Feſto SS. Innocentium.*

Plura ſi cupis Exempla reperies in Apparatu. V. *Homicidium.* Et de præcepto non occides agitur ſuprà *Tom. 2. Part. 3. cap. 6.*

Q. *Quid vetat ſexta, Non mœchaberis?*

R Eſp. Fornicationem, adulterium & obſcænos, illegitimoſque concubitus, cum quid quid honeſtati, verecundiæ, & ingenuo pudori aduerſatur. Nam & qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.

Expoſ. Quam graue malum ſit luxuria, & quantopere fugiendum declarat S. Paulinus *Epiſt.* 2. qui eam vocat paralyſim animarum, Clemens Alexandrinus, epilepſiam appellat, S. Baſilius Seleucienſis *Orat. 5.* Luxuriam cenſuit eſse *peſtem viuacem*, quæ ſcilicet interiore animæ depaſcitur. Graues huic vitio Deo vindice decernuntur pœnæ.

Exemplo erit infelix mulier cula, cum qua clericus vnus aliquot annis male vixerat. Hic in morbum incidit, qui ſcilicet illi erat opportunus monitur, verùm vt illi eſset non fuit impudenti fœminæ, quę etiam illum vbi primum conualuit, ad illicitā venerem pellicere dum conatur, eadem qua ille priùs tabe corripitur, contabeſcit, & infelicem expuit animam. Vix illius iacuerat cadauer, cum ad ſunt & oſtium pulſant AEthiopes bini, quorum vnus frenum manu geſtabat, pulſantibus adeſt clericus, quęritque ecquid velint, cui illi, mulam, inquiunt quærimus, quam hic habes domi, negat pernegat ille ſibi aliquam eſse mulam. Tum illi vim inferentes, domumque ſubingreſſi muliebri cadaueris ori frenū imponunt, & cum eo mox avolantes domum immani ac tartareo fœtora, clericum ingenti horrore complent, illudque & auribus, & animo Clerici ingerebant, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Ex litteris annuis Soc. Ieſu in Regno Peruano, anno 1652. 31. Iulij.

Plura ex Sacris Litteris vindictæ diuinæ exempla vide in Apparatu, verbo, *Luxuria*. Alia item notatu digniſſima caſus & remedia luxuriæ Vide ſuprà *Tom. 2. de Præceptis cap. 6.*

Q. *Quid ſeptimo cauetur, Non furtum facies?*

R Eſp. Omnis rei alienæ illicita contrectatio & vſurpatio, vt ſit in furto, rapina, vſura, lucris iniuſtis, dolis malis, & iniquis contractibus: denum quibuſuis commutationibus & diſtributionibus, quibus Chriſtiana charitas læditur, & proximus circumuenitur.

Expoſ. Neque fures, neque rapaces Dei Regnum poſſidebunt. *1. Corinth 6.*

Vſurarius quidam nobilis in Italia confitebatur Sacerdoti peccata ſua iniuſtitiæ abſque propoſito uſuris deinceps abſtinendi, aut anima ablata reſtituendi. Confeſſarios, quod rectè monerent de reſtitutione facienda, & propterea abſolutionem negarent, diverſis vicibus mutavit. Tandem incidit in quemdam confeſſarium, qui ut iſti nobili placeret, hominem iniuſtum toties quoties relapſum abſolvebat, & quod prædives eſſet uſurarius ille, epulabatur quotidiè ſplendidè Confeſſario ad menſam ſæpius adhibito. Cum autem veſperè quodam lautè ſimul fuiſſent epulati, Confeſſario domum reverſo, ſubitanea morte defungitur dives, & una cum confeſſario à duobus dæmonibus, qui in ſervorum ſpecie eumdem acceſſerant tamquam hero agenti animam ſpirituales ſuppetias laturum, ad inferos detruditur, ut qui iniuſtitiæ particeps fuerat, eſſe & pœnæ. *In Pædag. Chriſtiano Part. 2. cap. 3 §. 2.*

Furta oriuntur ex Avaritia, de qua exempla in Apparatu, verbo, *Avaritia.* Reſolutiones de furto, & rapina *Tom. 2 part. 5. cap. 7.*

Q. *Quid in octavo agitur, Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium?*

R Eſp. Interdicitur Teſtimonium falſum, mendacium, & omnis linguæ contra proximum abuſus, ut eſt in ſuſurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus, ac perjuris.

Expoſ. Abominatio Domino, labia mendacia, Prover. 12. & Pſalm. 5 *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Ananias & Saphyra Chriſtiani coniuges interrogati ab Apoſtolorum Principe, num tanti agrum ſuum vendidiſſent, quanti allatum pretium eſſet? cum per voculas tantùm duas falsò reſpondiſſent, *etiam tanti*, nece repentina quaſi fulmine tacti corruerunt ambo, *Actor.* 5. Poterant illi retinere ſua, nulla eos lex cogebat in alienum ærarium facultates omnes inferre, ſed quia videri volebant falsò omnia ſua dediſſe, ſubitò ſunt extincti. Hinc optimè Iob apud animum ſuum decernens, inquit, *Donec ſuperest halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Iob. c. 27.

Plura in Apparatu. V. *Mendacium, Aſtutia, Detractio.*

Q. *Quid poſtrema duo præcepta, Non concupiſces uxorem, nec rem proximi?*

R Eſp. Vetant concupiſcentiam uxoris, ac rei alienæ: quoniam quod alienum eſt haud solùm iniuſtè & pro libidine noſtra occupare non licet, ſed ne voluntate quidem ad illud expetendum ferri debemus; ita ut noſtris rebus contenti, abſque omni invidia, æmulatione, & cupiditate vivamus.

Expoſ. Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide & inſeruerunt ſe doloribus multis, tu autem ò homo Dei hæc fuge, 1 Tim. 6. Cantipratanus Lib. 2. apum, Vidi, inquit, Sanctum magiſtrum Guidonem, qui cum ſcholas regeret adoleſcens, incautè ſemel fœminam contemplatus, per annos tres etiam ipſa mortua ſenſit acres motus concupiſcentiæ & graves tentationes, adeò ut die nocteque illi præſens videretur. Vt turpes & impuras has concupiſcentias refrænaret, ad locum in quo ſepulta iacebat mulier, ſe contulit: De nocte clam tumulum defunctæ aperit, nares & faciem putrefacto cadaveri tamdiu admovet ut pœnè fœtore nimio ſuffocatus extingueretur. Quæ res, ita compreſſit carnis ſtimulos, ut nulllum concupiſcentiæ motum tota vita paſsus ſit.

Plura in Apparatu. V. *Luxuria, Avaritia:*

Q. *Quæ ſumma, quiſve finis præceptorum Decalogi?*

R Eſp. Nimirùm, ut Deus & proximus ſincerè diligantur, cujus rei Symbolum fuit in duas tabulas Decalogi à Deo facta diſtinctio. In priori quidem tabula tria docentur, quæ ad charitatem Dei; in ſecunda verò ſeptem, quę ad dilectionem proximi ſpectant, explicantur.

Q. *Qua ratione præcepta pima tabula Charitatem Dei edocent?*

R Eſp. Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui honorique Dei maximè contraria, idololatriam, apoſtaſiam, hæreſim, perjurium, ſuperſtitiones; admonent autem verum puruṁque Dei cultum corde, ore ac opere fideliter exhibendum eſſe: quod ubi fit, utique ſolus verus Deus cultu latriæ colitur, & adoratur.

Q. *Quomodo præcepta ſecundæ tabulæ Charitatem proximi explicant?*

RESP. Eo ipſo, quod noſtrum erga proximum officium ordine complectuntur: videlicet, vt non ſolùm maiores honoremus, ſed etiam opere, verbis ac voluntate prodeſſe omnibus, & nocere nemini ſtudeamus, ſiue corpus proximi, ſiue perſona iuncta coniugio, ſiue bona fortunæ conſiderentur.

Q. *Quæ ſumma eſt præceptorum de proximo diligendo?*

RESP. Hæc ipſa nimirum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia verò quæcumque vultis, vt faciant vobis homines & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.

Expoſ. Omnes hæ 4. Quæſtiones recolunt ea, quæ dicta ſunt de Charitate Dei & proximi in ſingulis præceptis Decal. de quibus iam actum eſt.

Q. *Suntne præter Decalogum alia præcepta?*

RESP. Sunt vtique, nec ſolùm vtiliter illa, verùm etiam neceſſariò obſeruanda; præterea tum Eccleſiæ præcepta, cui veluti ſanctiſſimæ Matri, Sponſæque Chriſti aures, & mentes præbere Catholici omnes debemus.

Q. *Quot ſunt Præcepta Eccleſiæ?*

RESP. Præcipua quinque numerantur:
1. Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato.
2. Sacrum Miſſæ officium diebus feſtis reuerenter audito.
3. Indicta certis diebus ieiunia, & à quibuſdam cibis abſtinentiam obſeruato.
4. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, ſingulis annis confiteor.
5. Sacroſanctam Euchariſtiam, ut minimùm ſemel in anno, idque circa feſtum Paſchæ, ſumito.

Q. *Quem fructum adfert horum obſeruatio Præceptorum.*

RESP. Hæc, atque id genus alia Eccleſiæ tum inſtituta, tum præcepta, primùm fidem, humilitatem, & obedientiam Chriſtianam exercent: deindè cultum diuinum, honeſtam diſciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conſeruant, & ornant, eoque mirificè conferunt, vt decenter & ordine cuncta in Eccleſia peragantur, præterquam quod æternam vitam meremur, ſi illa ex charitate obſeruemus.

Expoſ. Circa 1. & 2. Eccleſiæ præceptum. De ingenti fructu Sacrificij Miſſæ (quod in diebus feſtis præcipitur) ſic loquitur Trident. Seſs. 22. cap. 2. *Docet ſancta Synodus ſacrificiũ illud* (ſcilicet Miſſæ) *verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt, ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippè oblatione placatus Dominus gratiã & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingenia dimittit.* Etiam bona temporalia per Miſſæ Sacrificium a Deo obtinemus.

Mechanicæ duo erant artis, quorum vnus copioſa prole grauatus ditior quotidie fiebat, alter vero ſine prole & vxore pauperior, cum tamen vterque æquè ſtrenuè operam ſuam impenderet. Rogatus à ſocio ditior, quid id fieret? Reſpondit nullam ſe ſcire cauſam tam blandæ fortunæ, niſi quod ſacro quotidiè intereſſet antequam operari inciperet. Hoc vbi alter intellexit, ſumma pietate deinceps quotidie ſacro interfuit, & ditior illico factus, beneficium Miſſæ agnouit. *Surius in vita S. Ioannis Eleemoſynarij.* Plura in Apparatu. Ver. *Euchariſtia. Sabbathum.* Item Tom. 2 in Contr de Sacrificio Miſſæ: Et in Reſol. Theolog. Tom. 2. Part. 3. Tract. 2. de Sacramen. Euchariſtiæ. Et Tract. 5. Capitul. 3 De celebratione Feſtorum.

Ad Præceptum 3. de Ieiunio ſeruando, S. Leo Serm 2 de Ieiun veriſſimè dixit: *Quid poteſt efficacius eſſe ieiunio, cuius obſeruantia appropinquamus Deo, reſiſtimus diabolo? ſemper virtutis cibus ieiunium fuit: de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates ſalubriora conſilia, & per Voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.* S. Edmundus à teneris vnguiculis ſextas ferias in memoriam Paſsionis Dominicæ, pane & aqua contentus tranſigebat. *Surius in vita 16. Nouemb.*

Narrat Pelagius interpres Græcus, teſte Drexelio tractatu de Ieiunio *l. 2. cap. 3. §. 1.* ad Religioſum ſenem veniſſe iuuenem, qui ſeipſum accuſauit, dixitque: Mi Pater, mea me caro trahit ad vetita, nec dæmon feriatur, ſuggerit impura, non ſum ferendo tam prauas cogitationes. Cui ſenex, hæc talia, inquit, mihi

nunquam negotium exhibuerunt. Miratur iuvenis, & dicti rationem depoſcit: ſenex oratione placida reſpondet: ex quo Monachus ſum, nec panis, nec aquæ, nec ſomni vnquam ſatis admiſi. Hinc ergo talibus cogitationem moleſtijs non vrgeor. Alios fructus ieiunij vide in Apparatu, ver. *Abſtinentia* Et gulæ damna, ver. *Ebrietas Gula*.

Ad quartum Eccleſiæ præceptum: de vtilitate annuæ Confeſſionis, Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 12. *Exomologeſis, inquit, gehennam in corde extinguit, theſaurum ignis æternis diſſipat, & aduerſus gehennam ſecunda ſubſidia præbet: muta quidem animæ & irrationales medicinæ ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt, ceruus ſagitta confixus vt ferrum & irrevocabiles mores eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendū, hirundo ſi excæcauerit pullos, novit illorū oculos rurſus de ſua chelidonia iuvare: & peccator reſtituendæ ſibi ſanitati, inſtitutam à Domino exomologeſim ſciens præteribit?* Non præteribit certè ſi modò attendat, quę ſibi ab exomologeſi parata animæ bona, ſi admiſerit, & quæ mala ſi eam reſpuerit, aut ſacrilegè peregerit.

Exemplum refert Lobbetius Dominica 3. Quadrageſimæ, ex hiſtoria indica anno 1590. In Vrbe Itaa, ſita in India Orientali, puella fuit Chriſtianis ſacris imbuta, quæ fœdæ libidini aliquandiu ſe dedit: porro magis dederet eam tetigit vindex Dei manus & lethalem morbum immiſit. Ægrotanti adfuit Sacerdos è Societate Ieſu, cui nouies eſt confeſſa, at leuiora tantum peccata, ſemper enim grauiores noxas alto ſilentio preſſit. Moritur ſacrilega, & ſe à morte vni ex domeſticis ſed horribili ſpecie inter circumſtantes flammas ſiſtit, & addit, æternis illis ignibus addictam ſe, quod ſacrilegè leuiores in Confeſſione edixiſſet, celaſſet autem culpas grauiores, Alia in Apparatu, V. *Confeſſio*. Et de hoc præcepto annuæ Confeſſionis plurima ad Praxim explicantur. Tom. 2. in Reſolut. Theol. part. 3. cap. 2. &c.

Ad quintum præceptum, de Communione Paſchali, curandum eſt, vt ea cum omni cordis puritate accipiatur. Qua licet Sanctiſſima Euchariſtia in ſe omne bonum complectatur, non omnes tamen, qui Sacramentaliter communicant, eumdem fructum referetur, vt indicat S. Thomas in hymno a ſe compoſito: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus: mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quam ſit diſpar exitus.*

De hoc exemplum contigit Cordubæ in viro familiæ ſatis illuſtris, qui ſacro epulo in ſtatu lethalis peccati munitus obijt. Nocte in ſequenti poſtquam terræ mandatus eſt, en tibi duo ephœbi, pulſant portam Collegij Cordubenſis Societatis Ieſu, facem manu geſtantes, rogant loqui Confeſſario defuncti, habere ſe rem momenti illi communicandam. Adeſt Confeſſarius, quem face prælucente deducunt ad ſummum templum, vbi hic ſepultus. Dum ad fores templi ventum eſt, vnus eorum claves patri exhibet dicens audacter aperiret, non eſſe quod timeret: hinc deducunt ad ſummam aram & dant in manus clauem tabernaculi in quo hierotheca aſservabatur: iubet ciborium ſecum deferat, illumque cum facibus deducunt ad ſepulchrum defuncti, quo vt peruenit, vnus eorum dixit: Pater, hic conditus eſt Dominus qui ſeriò à Reuerentia veſtra admonitus vt cum inimico in gratiam rediret, ſi ſalutarem abſolutionem accipere vellet, fictè tantùm id præſtitit, & maledictum eius cadauer adhunc in ore habet Sacram Hoſtiã quam non valuit deglutire. Quo dicto pede terram pulſant, & ecce cadauer arcana vi aſſurgit, aperit ſacrilegum os, & Hoſtiam exhibet, quam Sacerdos in Ciborium recondit. Tum rurſus pede terram pulſant, & ſubitò corpus in abyſſum concedit. His peractis Patrem deducunt ad Collegium, & illico diſparent. *Ex P. Engelgraue in prima parte Lucis Euangelicæ, Dominica ſecunda poſt Penteсoſtes.*

De requiſitis in Praxi ad Communionem Paſchalem, vide ſupra *in Reſol. Theol. Part. 3. Tract. 2. cap.* 4. in Apparatu videri poteſt, verbo, *Euchariſtia*.

CAPVT IV.

De Sacramentis.

Q. *Quid eſt Sacramentum?*

Reſp. Eſt inuiſibilis gratiæ ſignum viſibile, ad noſtram ſanctificationem diuinitus inſtitutum. Aliud eſt enim, quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus. Signum videmus externum, occultam verò & ſpiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti accipimus.

Expoſ. Huius quæſtionis explicatio de Sacramenti materia, forma, miniſtro, intentione, effectu, charactere, *&c.* fusè habetur ſuprà *Tom. 2. Tract. 2. cap. 1. de Sacramentis in communi.*

Q. Quot

Q. *Quot ſunt Sacramenta?*

RESp. Septem, quæ à Chriſto Domino inſtituta, ab Apoſtolis tradita, & in Eccleſia Catholica ſemper conſeruata ad nos vſque peruenerunt. Sunt autem hæc, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium.

Expoſ. Cur ſeptem Sacramenta ad hominum ſalutem à Chriſto inſtituta ſint, declaratur ex ſimilitudine, quam illa habent cum rebus ad vitam corporalem conſeruandam, & promouendam neceſſarijs. Primò enim per Baptiſma homo ſpiritualiter renaſcitur: per Confirmationem augmentum gratiæ & robur ſpiritus additur: nutritur per Euchariſtiam, iuxta illud Ioann. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*: Per Pœnitentiam ſanitati reſtituitur. Per Extremam Vnctionem peccatorum reliquiæ abolentur, gratiaque contra hoſtium noſtrorum inſidias confertur. Per Ordinem Miniſtris Eccleſiæ poteſtas datur in Republica Chriſtiana ad muniæ Eccleſiaſtica ritè decenterque obeunda. Per Matrimonium denique datur gratia, legitima coniunctione prolis ſuſcipiendæ & in Domino educandæ.

Numerus ſeptenarius Sacramentum defenditur contra hæreticos ſupra *Tom. 1. in Contr. Part. 1. Tract. 2. cap. vlt.*

Q. *Quare Sacramenta veneranda, & ſumme in pretio habenda ſunt?*

RESp. Primum quidē, quia à Deo & Chriſto Domino in lege noua inſtituta: deindè, quia gratiam Dei nobis neceſſariam, eamque vberrimam non modo ſignificant, verum etiam ſeu vaſa quædam ſacra diuini ſpiritus continent, & ritè ſuſcipientibus conferunt: ad hæc, quoniam aduerſus peccatum præſentiſſima ſunt remedia, ſeu diuina medicamenta noſtri Samaritani: Poſtremò, quia bonis gratiam habentibus, eam ipſam conſeruant, augent, amplificant.

Q. *Cur Sacramentis cæremoniæ ſolemnes, & Eccleſiaſticæ adhibentur?*

RESp. Multis profectò & grauibus de cauſis. Primum, vt Sacramentorum adminiſtrationem ſpectantes admoneantur, nihil hic profanum, ſed arcana quædam, & diuinis plena myſterijs geri, quæ ſingularem reuerentiam exigant: Deindè, vt ad Sacramenta ipſa accedentibus cultū promoueant interiorem, quem Deus præcipuè poſtulat, & cuius veluti ſigna, Teſtimonia & exercitia ſint cęremoniæ. Præterea, vt Sacramenta miniſtrantes maiori cum dignitate & fructu munus ſuum obeant, dum veteris Eccleſiæ inſtitutis, Sanctorumque Patrū veſtigijs fideliter in hærent. Conſtat etenim huiuſmodi cæremonias pleraſque inde à temporibus Apoſtolorum, per continuam ſucceſſionem ad nos vſque in Eccleſia perſeueraſſe. His demum retinetur honeſta religioſaque diſciplina, his fouetur publica tranquillitas, quæ ſæpè rituum externorum aut immutatione, aut innouatione grauiter interturbatur.

Q. *Quid eſt Baptiſmus?*

RESp. Primùm maximèque neceſſarium legis nouæ Sacramentum, quod ſemel in aqua confertur, quo ſpiritualiter renaſcimur, & peccatorum plena remiſſione percepta, in filios Dei adoptamur, hæredeſque vitæ cœleſtis adſcribimur.

Expoſ. Baptiſmus eſt inſtar Ianuæ, qua Eccleſiam ingredimus. Neque poreſt aliquis, niſi per hanc ianuam intrare regnum cœlorū. Eſt enim Baptiſmus primò infantibus neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij: Secundò: adultis neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, & medij ſaltem in voto, (extra Martyrium) quando ſcilicet iuſtificantur per actum Amoris Dei, quo implicitè deſiderant implere omnia præcepta, adeoque ſuſcipere Baptiſmum à Deo præceptum: iuxta decretum Chriſti. Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei.*

Plura de Baptiſmo traduntur ſupra Tom. 2. de Sacram Tract. 4. cap. 2. Et alia in Apparatu. V. Baptiſmus.

Exemplum de virtute Baptiſmi narratur In vita S. Xauerij *Lib. 4. cap. 3.* Refertur puellam quamdā viuis exceſſiſſe, cuius mors ſummopere parentem affligebat. Hic auditis à Xauerio patratis prodigijs, ad ſui alloquium beneuolè eum inuitat, adeſt opportunè Xauerius intellecta afflictione animi eius, bene ſperare iubet, filiam viueredum pater interim anceps hæret, occurrunt famuli, qui filiam à mortuis reſuſcitatam nunciēt, prę gaudio vix ſuę mentis compos ad locū, in quo mortuā reliquerat, adnolat, filiam viuam reperit, illa ſe ab inferis Xauerij precibus ereptā teſtatur, quibus æternum fuerāt ob Baptiſmi defectum addicenda. Prima itaque illa ardentiſſimis votis Baptiſmū expetijt, deinde ſecuta cū patre vniuerſa familia, omnes ſacro fonte luſtrati ſunt.

De Baptiſmi virtute præclarum eſt exemplum de Coſtantino Imperatore à lepra per Baptiſmum ſanato, quod refertur *in Breuiar. in vita S. Silueſtri 31. Decembr.*

Non licet Catholici infantes ſuos baptizandos tradere Miniſtris Hæreticis extra neceſſitatem: varijs prodigijs id ſibi diſplicere Deus oſtendit. Refert *Bredembachius lib. 7. cap 52. Amſtelrodami anno* 1579. Catholicam mulierem prolem enixam, cuius maritus Caluiniana hæreſi erat infectus. Vrgebat hic, vt infans in templo Caluiniſtarum baptizaretur, illa verò à Catholico Sacerdote, vt ſacro fonte luſtraretur, multis precibus inſtabat. Cum itaque nihil his proficere ſe cerneret, clà ipſa infantem baptizauit. Facti huius ignarus coniux, puerum defert ad Caluiniſtarum templum: at cum hæreticus Miniſter eum baptizare iam vellet, contigit, vt de repentè factus ſit mutus. Rei nouitate perculſus parens domum regreditur, quod circa infantem peregiſſet curioſè vxorem rogat. Hæc intrepidè ſe puerum priùs baptizaſſe confeſſa eſt, & maritus eiurata hæreſi cum ſancta Matre Romana Eccleſia ſe reconciliauit.

Exorciſmi adhibentur in Baptiſmo, ad infringendam dæmonis poteſtatem, ſi quam forte in baptizandum habeat.

I. Per Crucis ſigna in diuerſis corporis partibus formata ſignificantur primo, per Baptiſmum certum animæ caracterem imprimi.

II. Vt ſenſus omnes aperiantur ad Deum, & Ieſum Chriſtum cognoſcendum & amandum.

III. Vt baptizatus non erubeſcat, publice fidem ac Catholicam Religionem profiteri.

IV. Vt ſint quaſi ſigna quo baptizatus ſe ſuaui iugo Chriſti ſubijciat, paratus mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo portare.

V. Vt baptizatus intelligat membra ſuæ Deo conſecrata, & facta habitaculum Spiritus Sancti.

VI. Denique vt ſignificentur vim omnem baptiſmatis virtutem ſuam, & efficaciam à Paſſione, & Morte Chriſti recipere.

Reliquæ verò cæremoniæ adhibentur, vt eiuſdem dignitatem, æſtimationem, gratias, virtutem, effectuſve varios denotent.

Iacobus de Vitriaco *Lib. 2. vitæ Mariæ D'Ognies* refert, Beatam hanc Virginem vidiſſe certo tempore, cum puer in quodam propè Niuellas pago ad Eccleſiæ ianuam baptizaretur, quod dæmon ſumma confuſione ex infantis corpore egreſſus ſit. Et cum ipſa accurrens puerum de fonte ſacro lauaret, viſibiliter SpiritumSanctum in animam eius deſcendentem, ſeque cum eo magna Angelorum multitudine cinctam deprehendit.

Q. *Quid eſt Confirmatio?*

RESP. Eſt baptizatis collatum ab Epiſcopo Sacramentum, in quo per ſanctum Chriſma, & verba ſacroſancta confertur gratia, & robur ſpiritus abditus, tum ad firmiter credendum tum ad nomen Domini, quando ſic eſt opus, liberè confitendum.

Expoſ. Pro præparatione neceſſaria vt hoc Sacramentum validè quis ſuſcipiat, requiritur vt prius ſit baptizatus: Vt verò dignè, debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Quoad fructum quem confert hoc Sacramentum, hæc doctrina eſt Sancti Auguſtini in Pſalm. 141. Conſignat illis crucem frontem quæ pudoris eſt ſedes, vt conſtanter, & intrepidè nomen Domini confiteantur: impingit & alapam, vt Chriſtianam militiam inuicta patientia exercendam, & ornandam eſſe ſibi perpetua memoria retineant. Debent autem parentes habere curam, vt quando pueri peruenerunt ad annos diſcretionis Epiſcopo offerantur.

Miraculum in conſeruatione Sacri Chriſmatis refert Mileuitanus Lib. 2. contra Donatiſtas. Ampullam Chriſmatis per feneſtram, vt frangeret, Donatiſtæ iactauerant, at non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpirituali ſubuectione ſic deduceret, vt proiecta ca[s]um ſentire non potuerit, atq; ita Deo muniente illæſa inter ſaxa conſedit. *De Confirmationibus Doctrina, V. Plura Tom. 2. in Reſol. Theol. Tract. 5. cap. 3.*

Q. *Quot præcipua de Eucharistiæ doctrinæ Capita ſcitu neceſſaria?*

RESP. Quinque: Primùm eſt eius Veritas. Alterum eſt panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſio. Tertium, adoratio debita. Quartum, eius oblatio. Quintum & poſtremum, eiuſdem Sacramenti ſumptio.

Q. *Quæ eſt veritas Sacramenti Eucharistiæ?*

RESP. Nimirum hæc, Chriſtum verum Deum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adeſſe, vbi Sacerdos ritè ordinatus panem, & vinum verbis illis arcanis, & à Chriſto traditi conſecrarit.

Q. Quæ

Q. Quæ ſit converſio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos conſecrat?

RESp. Ea, ut per ipſa verba operante Chriſto panem, & vinum in corpus & ſanguinem Dominicum convertantur, & tranſubſtantientur, atque ita panis & vinum eſſe deſinant in Euchariſtia.

Q. Quæ Sacramento huic debetur adoratio?

REſp. Eadem ſanè, quæ Chriſto Domino ac æterno Deo debetur, quippè quem illic præſentem agnoſcimus. Ideoq; Religioſo tùm corporis, tum animi cultu, ut par eſt, hoc Sacramentum ſupplices veneramur.

Q. Quare cenſetur hoc Sacramentum oblatio?

REſp. Quia eſt legis novæ ſacrificium, & oblatio munda, cruentis legis Iudaicæ ſacrificiis incruenta ſuccedens, quæ pro vivis ac defunctis Chriſti fidelibus in Miſſa offertur ac celebratur. Vnde fit, ut Euchariſtia non ſolum à fideli populo ſumatur, ſed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ paſſionis ac mortis continuam commemorationem quotidiè immoletur, ſemperque oblata fuerit in Eccleſia Dei.

Q. Quid in Sacramenti huius ſumptione ſervandum?

REſp. Quod fides & auctoritas ſanctæ Matris Eccleſiæ docet, videlicet, Chriſtianos Laico ſat eſſe, ſub una ſpecie panis totum Chriſtum accipere, & ex hac ſumptione conſequi, ut, qui non indignè acceſſerit, ingentem Dei gratiam, ac æternam quoque vitam obtineat, qui verus ac integer Sacramenti huius fructus exiſtit: eoque fit efficacior, quò ſæpiùs ſacra & ſalutaris illa Communio dignè iteratur.

Expoſ. Hoc diviniſſimum Sacramentum in veteri Lege præfiguratum erat, 1. Per arborem vitæ, *Geneſ.* 2. 2. Per ſacrificium Abelis, *Geneſ.* 4. 3. Per ſacrificium Melchiſedech, *Geneſ.* 14. 4. Per Agnum Paſchalem, *Exod.* 12. 5. Per manna cœleſte, *Exod.* 16. 6. Per panes propoſitionis, *Levit.* 24 7. Per panem Eliæ, 3. *Reg.* 19. &c.

Inſtitutum eſt hoc Sacramentum à Chriſto ad hos fines.

1. In Teſtimonium infiniti erga nos amoris.

2. Vt repræſentationem & memoriam paſſionis ſuæ, ac vitæ nobis relinqueret, præſertim cùm nobis, ut in memoriam eius faceremus commendavit.

3. Vt per cibum potumque cœleſtem in vita ſpirituali confirmaremur.

4. Vt contra aſſultus dæmonum nobis eſſet antidotum.

5. Vt maxima inter ſe, & homines eſſet coniunctio.

6. Vt nos ad Fidei, Spei, & Charitatis exercitium invitaret.

7. Vt perpetuum legis novæ eſſet Sacrificium, & perpetuum ſubſidium.

Quod auditio frequens Sacri proſit ad tentationes dæmonis fugandas, & pœnam eam non ſatis æſtimantis ſequenti hiſtoria declaratur. Erat vir nobilis, qui pro deſiderio quo tenebatur indies Sacrum audiendi, domi ſuæ ſacerdotem alebat. Is certa Solemnitatis die, quæ in vicino pago celebrabatur, cum facultate Domini ſui ad Templum ſe contulerat illic ad aras facturus. Dominus interim ob negotia quædam eo ipſo die intercurrentia moras traxit, & ſerò admodum ad idem Templum properavit, multum per viam anxius ac timens, ut iſto die feſto Sacro intereſſe poſſet. Occurrit properanti villicus quidam, quem rogat, num fortè ſpes eſſet adhuc Sacrum eo die audiendi, cumque villicus reponeret, ſpem nullam ſupereſſe, cum jam inſtaret meridies omneſque Sacerdotes celebraſſent. Tanto nobilis cœpit mœrore affici, ut ad commiſerationem vilicum moverat, qui temerè nimis hæc ad nobilem locutus eſt. Quid dabis mihi, inquit, & omne quod hodie Sacrum audiendo recepi meritum, libens in te tranſcribam, Chlamydem hanc, reponit Nobilis conditionem ſuſcipit ruſticus. Ille Chlamidem, hic transfert Sacrificii meritum, utrimque diſceditur. Nobilis ad pagum properat, ſi fortè adhuc Sacro intereſſe poſſet: ſed, ſic præſens ſpe ſua fruſtratus eſt, quod tamen pacatiori, quam ante animo tulit. Domum regreditur, cum ecce in vita cum Chlamyde ſua ex arbore pendulum videt ruſticum, temerarium nimis rei Sacræ venditorem. Scilicet dolor animi, qui nobilem antea afflixerat, ruſticum invaſit, eoque produxit, ut deſperans fauces ſibi laqueo eliſerit.

Quantum verò proſit ad Sacrificium Miſſæ tam vivis, quam defunctis præclarè docetur ſequenti Exemplo, quod refert Beda *in Hiſt. Anglic. libro* 4. *capit.* 22. *&* *Baronius in Annalium*,

Angelus, quidam aulicus, cæſo in acie Rege Elbuino, captus eſt ab hoſtibus, & vinculis arctè conſtrictus in cuſtodia detinebatur. Verùm certa diei hora vincula diſrupta ſubitò, & ſponte ſua decidebant, quantum vis novis funibus & catenis conſtringeretur. Omnibus rem tam prodigioſam admirantibus, poſtea compertum eſt, captivi fratrem, qui fuit Superior cuiuſdam Cœnobii, ſolitum fuiſſe quotidie pro fratre ſuo quem in prælio defunctum putabat, ſacrum celebrare; eamque fuiſſe cauſam cur Deus voluerit in illo oſtendere virtutem Sacrificii, uti vivorum, ita mortuorum vincula diſſolvi. Quæ res ad curanda pro defunctis Sacrificia populum valdè excitavit. Intellexerunt enim (inquit Beda) quod Sacrificium ſalutari ad redemptionem valeret, & animæ, & corporis ſempiternam.

Quantum Amoris debeat excitare hoc Sacramentum Euchariſtiæ erga Chriſtum qui ſe totum in illa nobis tradit, pulchrè declaratur in exemplo uxoris Tygranis, quæ cum viro à Cyro capta, & hic in convivio interrogaretur à Cyro, quid daret pro uxoris redemptione, reſpondit, meipſum, & vitam meam. Vnde & Tygranes cum uxores à Cyro liberatur, uti fuſius deducit *Pedagogus Chriſtianus pag.* 173.

Aliæ quæſtiones, quæ ſpectant ad Euchariſtiam, & Miſſæ Sacrificium contra Hæreticos traduntur ſuprà *Tom.* 1. *in Contr. Part.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 5. De praxi devotè celebrandi aut communicandi, vide infra in fi le Med. 5. Pro reſolutionibus Theologicis de Euchariſtia & Sacrificio Miſſæ, fuſè illę traduntur *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 4.

Q. *Quid eſt Pænitentia?*

RESp. Eſt ſecunda poſt naufragium tabula, & neceſſarium relapſis Sacramentum, in quo remiſſio peccatorum & à reis petitur, & a Sacerdotibus tribuitur.

Expoſ. Poteſtas abſolvendi Sacerdotibus conceſſa probatur ex Ioan. cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Item ex Tridentino Seſſ. 14.

Ex Divo Ambroſio Lib. 1. de Pœnitentia cap. 1. *Peccatores uti leproſi efferre ſe debent Sacerdotibus*, ut Levit. 4. Item Matth. 8. *Vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in Teſtimonium illis.* Item Luc. 17. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus, & factum eſt dum irent, mundati ſunt.* Sic, *& qui lepram animæ id eſt peccata Sacerdotibus patefaciunt cum vero dolore, & emendationis propoſito, à peccatis emundantur.*

Exempla ex S. Scriptura in Nouo Teſtamento de bono pœnitentiæ etiam extra Sacramentum, patent ſequentibus, Matthæus Publicanus pœnitens ad Apoſtolatum vocatur, *Matth.* 9.

Petrus poſt ternam Chriſti negationem pœnitens Principes Apoſtolorum ſtatuitur, *Matth* 26.

Zachæus Publicanus pœnitens Chriſtum hoſpitio recipere meretur, *Ioan.* 21.

Latro pœnitens de cruce in paradiſum migrat, *Luc.* 23.

Maria Magdalena, quæ peccato ſeruiuerat, pœnitens à Chriſto benignè excipitur, *Luc.* 7.

Adoleſcens Prodigus per Pœnitentiam reuerſus, epulo & conuiuio à Patre recipitur, *Luc.* 15.

Q. *Quæ ſunt partes & actiones Pœnitentiæ?*

RESp. Tres: Contritio, vel dolor animi peccata ſua deteſtantis, & ad vitã meliorem adſpirantis. Confeſſio, ſeu peccatorum ſuorum coram Sacerdote facta explicatio: & Satisfactio denique, ſeu vindicta punitioque criminum de ſe ipſo ſumpta, ad præſtandos fructus dignos pœnitentiæ.

Expoſ. Exemplum doloris animi habemus 2. Reg. 12. *Et dixit David ad Nathan, peccaui Domino: Dixitque Nathan ad Dàuid, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.*

S. Gregorius Homil. 34. in Euangelia refert, de quodam Victorino, qui poſt vitam ſat longo tempore peruersè in ſeculo traductam, meliori afflatus ſpiritu monaſteriũ petijt, in quo orationis, pœnitentiæ, & auſteræ vitæ ſtudio ita præluxit Reliquis, vt & diuino alloquio ac ſocietate frui fuerit promeritus. Quadã nocte cum in ſecretiori montis latere Monaſterij Abbas cerneret proſtratum, tanta derepentè claritas illo in loco viſa eſt, vt tota regionis pars luce candeſceret, quo fulgore attonitus Abbas aufugit. Poſt horæ ſpatium reuerſus in cubiculum frater à ſuo Abbate accerſitur, de loco rogatur, exponitur viſum. Hic ſe manifeſtatum videns, & hoc, & vocem pariter de cœlo dilapſam, ſibi omnia ob elicitum verum dolorem peccata remiſſa renuntiantem, ſummo animi gaudio Abbati expoſuit.

Confeſſio requiritur integra, nullo peccato mortali celato cuius conſcientia habetur. Sc

raphi-

raphinus Razius in Hortulo Exemplorum, Titulo de Confeſs. cap. 3. Horrendum refert cuiuſdam mulieris ob peccatum præ pudore in Confeſſione occultatum punitionem. In Italiæ Civitate (cuius nomen tacet) fuit nobilis fœmina, pia ac ſancta, ſi extera opera conſideraſſes, & ſic apud omnes audiebat. Hæc mortua unicam reliquit hæredem, filiam, quæ pro animæ matris refrigerio in dies multas praeces effundebat. Elapsâ morte matris aliquot hebdomadis, cum mane more ſuo pro matre oraret, accidit ut ſubito, & inuſitato tremore corriperetur, & convertens oculos ad oſtium cubiculi, unde ſibi videbatur ſtrepitum audiviſſe, horribile viſu monſtrum, & graviſſimum fœtorem emittens aſpexit. Vnde cum gravi timore conſternata ſurrexiſſet à loco orationis, ad cubiculi feneſtras citiſſimè cucurrit, ut ſeſe deorſum præcipitaret: verum audita hac voce, ſiſte gradum filia, à Deo confirmata ſubſiſtit, quid horrendum illud ſpectrum vellet auditura. Quod voce humana talibus cum ea ſermonibus egit. Scito hoc primum filia, me eſſe infelicem heu, ac maledictam matrem tuam, non obſtante vita irreprehenſibili, quam ſemper in præſentia hominum duxi, propter enormia tamen quædam clam a me fœde commiſſa peccata, ac præ verecundia numquam in confeſſione expoſita, æternis inferorum flammis adiudicata ſum. Quare ne poſt hac Deum pro me incaſſum depreceris: Atque ita factis per varias cubiculi partes ſaltibus, ſignisque ſuæ præſentiæ quaſi ferro candenti impreſſis, evanuit. Puella damnatione matris admodum afflicta, confeſtim ſe ad Eccleſiam contulit, totamque rem Patri qui per Quadragesimam pro concione dicebat, plene enarravit. Et ut utrique certior eventus fieret, ambo ſe ad prædictum cubiculum contulere, ac monſtri veſtigia, ſimulque fœtidum odorem percipere. Quare Pater loco luſtrali aqua tincto, filiam conſolatus eſt, quæ illi fecit licentiam publicè, ſi viſum eſſet, factum denuntiandi.

3. Pars eſt *Satisfactio*, quæ ſita eſt in adimplenda pœnitentia.

Refert Petrus Damiani de Ottone Imperatore, qui Creſcentium nobilem quod Pontifici infeſtus vim & arma ſuſtuliſſet, occidi iuſſit, cui tamen vitam & ſalutem ſpondebat. Quod crimen cum ad pedes S. Romualdi Abbatis proſtratus retexiſſet: ſatisfactionis & pœnæ ſuę nomine juſſus eſt nudis pedibus in montem Garganum proficiſci, ubi Michaelis Archangeli memoria propter maxima in eo loco ab ipſo accepto beneficia pie frequentatur & colitur. Paruit mandatis Imperator, & per 40. dies ſolemni jeiunio deſtinatos, horrido, & aſpero ſacco indutus duro in ſtrato cubavit, aliiſque pœnitentiæ operibus corpus afflixit. Interim, in genere, ſequens ordo, & modus ritè confitendi præſcribitur.

1. Vt quis Deo grates habeat pro ſervata ad hoc uſque tempus vita, dataque facultate ſe cum Deo reconciliandi.

2. Implorandum auxilium divinum, & gratia Spiritus ſancti ut memor eſſe quis valeat ſuorum delictorum.

3. Examen inſtituitur conſcientiæ circa cogitata, dicta, facta, omiſſa.

4. Elicitur dolor de peccatis ex amore Dei, vel metu gehennæ à Deo infligendæ.

5. Integra inſtituitur confeſſio, ſpecie & numero peccatorum recenſitis.

6. Impletur ſatisfactio. Vti ſupra de ſingulis explicatur *Tom. 2. in Reſol. Theol. Tract. 2. cap. 2. & 4.*

Q. *Quid eſt Extrema Vnctio?*

RESP. Eſt Sacramentum, quo ægroti per oleum ſacrum & verba Chriſti in magnis morbi moleſtiis relevantur, ut fœlicius ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, ſi ita expedit, ſanati reſtituantur.

Expoſ. De hoc Sacramento clariſſimum Teſtimonium dat Iacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hic recolendum eſt exemplum quod Ioannes Nider *Lib. 4 Fornicarii cap. 11.* refert de Ruperto Rege Romanorum, qui hauſerat tartaream hanc animo perſuaſionem, quā quidam ſuperſtitioſè credunt, ſe poſt huiuſmodi Sacramenti ſuſceptionem omnino è vita migrare oportere. Tandem ſuris utriuſque periti Doctoris hortatu factum ut ſalubre adeò corporis, & animæ antidotum ſuſceperit. Cum ecce illico ſe revelari in morbo ſentiens exclamavit, revera ſi hoc Sacramentum ſciviſſem, tantùm pro utroque valuiſſe homine, dudum ipſum avidiſſimè poſtulaſſem. Hinc Princeps convaleſcens multis poſt annis Romanum gubernavit Imperium, & tandem feliciter in bonis perſeverans operibus vita functus eſt.

Aliud exemplum nobis dant annuæ litteræ Collegii Lugdunenſi Soc. Ieſu anno 1599. Æger magno febris æſtu conflictatus inter confitendum

tandem urgente morbo de poteſtate mentis exierat. Iam de ſua ſalute actum eſſe, ſempiternis ſe ſuppliciis apud inferos damnatum clamitabat, nullus orationem auribus admittebat. Confeſſarius viſo ægri furore, ad divina præſidia, ubi humana deerant, confugit. Monet domeſticos ut Sacrum oleum, quod æger ante mentis exceſſum poſtulaverat, celeriter adferendum curarent. Mira dictu, viſuque res, ſimulatque ſacro Oleo inunctus eſt, mentis ſanitatem recepit, ac paulò etiam poſt corporis valetudinem recuperavit.

Rectè igitur S. Auguſtinus Ser. 215. de Tempore, *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat accipiat, & deinde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: infirmatur aliquis; inducat Præsbyteros, &c. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebimur obtinere*. Plura ſupra Tom. 1. in Controv. Part. 1. cap. ult. Et in Reſol. Theol. Tract. 4. cap. 6.

Q. *Quid eſt Ordo?*

REſp. Eſt Sacramentum, quo Sacerdotibus, aliiſque Miniſtris Eccleſiæ poteſtas confertur ad Eccleſiaſtica munia ritè decenterque obeunda.

Expoſ. Propter Sacerdotalis Ordinis dignitatem, in vita S. Franciſci legimus, eum aliquando dixiſſe Fratribus, ſi mihi in platea obvii fierent una Sacerdos & Angelus, & utrique mihi exhibenda eſſet veneratio, Sacerdoti primum, ac deinde Angelo exhiberem: Verè enim Sacerdos Angelum dignitate præcellit. Hinc factum eſt ut tantæ dignitatis perpetuo memor, ſeque ea dignum ratus, nunquam Sacerdotio inaugurari voluerit.

Sacros ordines indignè ſuſcipiens divinitus punitur. *Surius 3. Septembris* refert, de quodam Religioſo, qui commiſſo ſacrilegio ſe ad Ordines cum aliis fratribus ſuis cõtulerat, nec præmiſſa confeſſione, aut de delicto vera contritione concepta, ſacrum Diaconatus Ordinem indignus ſuſceperat. Vix à templo in hoſpitium fuerat reverſus, dum inter manducandum à mente raptus frendere dentibus ac mirè ſe colliderè cœpit, idque per horas non paucas, donec poſt multas ſociorum pro eo quod Deum ſuas preces ſibi redditus eſt, ac domum reverſus. Ea infeſtatione liber fuit diebus aliquot, ſed à commiſſo tamen ſcelere minimè reſipiſcens, validiori modo a tartareo hoſte poſſidetur, cœpitque diebus ac noctibus ſumma fratrum ſuorum commiſeratione ac labore excruciari, & exareſcere cœpit eius brachium dexterum quo ſacrilegum furtum commiſerat: quo factum ut Abbati viro altioris conſiderationis res ſuſpecta eſſe cœperit. Subornat ergo quoſdam, qui energumenum, dum ſibi compos eſſet, rogarent, num fortè ſibi gravioris delicti conſcius eſſet, fore ut Dei miſericordiam impetraret. Quid multa; Rubore confuſus, commiſſum à ſe facinus palam facit, Deum ut pro ſe rogent, fratres obteſtatur. Nec vanæ preces, etenim Abbatis juſſu, jejunia, afflictiones corporis, Sacrificia pro ejus incolumitate indicuntur, quibus citò reſtitutum priſtinæ ſanitati brachium, & dæmon ab eo fugatus eſt.

Q. *Quid poſtremò eſt matrimonium?*

REſp. Sacramentum quo vir & mulier legitimè contrahentes individuam vitę ſocietatem ineunt, gratiaque divina donantur, tum ut ſoboles honeſtè & Chriſtianè ſuſcipiatur & educetur, tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur.

Expoſ. Hæc ſocietas in Scripturis commendatur. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, Gen 2. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Matth 19. *Iis qui Matrimonio juncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere, ... & vir uxorem non dimittat*: 1. ad Cor. 7. Exemplum in puella, quæ matrimonii pactum juramento confirmatum violavit, ſupra datum eſt de *Iuramento*.

Non docet Matrimonium contra parentum voluntatem inire, quod infauſtum eſſe ſolet. Apud *Surium* 1. *Ianuarii* in vita S. Baſilii habetur, quomodo Proterii Senatoris filia ab eius ſervo per magnum decepta, & inſanno am ore correpta, inſtanter rogabat Patrem ut poſſit jungi Matrimonio cum illo, qui ſi conſentire noluerit pro ea redditurus eſſet rationem in die judicii. Aut comple, inquit, deſiderium, aut brevi me extinctam videbis, Pater, qui filiam hanc Deo conſecraverat, mœrore abſorptus, amicorum conſiliis juſſit fieri quod petebat, ne ſibi ipſi exitium adferret. Vade, inquit, miſera, multùm lugebis aliquando cum facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris. Imo igitur coniugio, quod celaverat maritus jam fecit palam: obſervatum eſt eum numquam ingredi Eccleſiam, imo nec Chriſtianum eſſe. Hoc ubi avertit uxor, humi ſe proſterneere ſuis unguibus ſe diſcerpere, velle capillos, pectus tundere, in has voces erumpere: nemo parentibus non obediens ſalvus umquam fuit:

heu

heu me miſeram quæ me ſponte conieci in hanc ſortem ipſa morte deteriorem.

Optima admonitio parentum Saræ, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum. ſeipſam irreprehenſibilem exhibere, *Tobiæ* 10. Quanto magis illa dilectio in coniugio Chriſtiano exerceri debet.

Narrat Rodericus Sancius *part.* 2. *Hiſtor. Hiſp. c.* 4. Præclarum amoris coniugalis exemplum. Eduardus Regis Angliæ primogenitus ad Domini ſepulchrum transfretaſſet, fuiſſetque in via proditoriè à Mauro quodam gladio venenato percuſſus, & medicorum remedijs non tam alleuaretur, quam alligaretur, tandem in Angliam ſine ſalutis ſpe reuerſus eſt. Eius itaque vxor, Regis Hiſpaniæ Filia, nouam & inauditam, ſed amore ac pietate plenam, adhibuit medelam: plages enim mariti toxico infectas, qui vi veneni claudi nō poterant, lingua in dies ligebat, ſugebatque humorem & pus venenoſum quaſi dulciſſimum liquorem: Cuius vigore ſic omnem veneni materiam extraxit vt integris vulnerum cicatricibus ille planè curatus, illa quoque diuino fauore ſeruata incolumis euaſerit. Alia in Apparatu V. *Matrimonium*. Et *in Reſol. Theol. de Sacramentis cap. vlt.*

Q. *Eſtne inter Sacramenta diſcrimen?*

RESp. Eſt ſanè: Baptiſmus enim Confirmatio & Ordo ſemel collata nunquam iterantur, ſicuti cætera. Item Baptiſmus neceſſario ſuſcipitur ab omnibus, & à relapſis Pœnitentia. Arbitrarium eſt autem vti reliquis, modò nullum contemnas aut irreuerenter ſumas, illudve cum ſumendi tempus eſt negligas.

CAPVT V.

De Officijs Iuſtitiæ Chriſtianæ?

Q. *Quot ſunt officia Iuſtitiæ Chriſtianæ?*

RESp. Hæc duo: Declina à malo ſiue peccato, &, Fac bonum ſiue officium Iuſtitiæ.

Q. *Qui poteſt homo cauere peccatum, & bonum facere ſeu præſtare iuſtitiam?*

RESp. Non id per ſe quidem, ſed Chriſti gratia ac Spiritu inſtructus Chriſtianus poteſt, ac debet, quantum huius quidē vitæ ſtatus admittit, iuſtè viuere, & legem implere.

Q. *Quotuplex eſt peccatum?*

RESp. Duplex: Originale, & Actuale.

Q. *Quid eſt originale?*

RESp. Quod ab ortu nobis congenitum, per Baptiſmum in Chriſto condonatur. *Expoſ.* De Peccato Originali teſtatur Scriptura ad Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſit in quo omnes peccauerunt.* Sola excipitur Virgo Deipara, quæ nullo vnquam Peccato originali aut actuali inquinata fuit.

Memorandum eſt exemplum quod de quodam Braſilo, qui à Peccato originali, ſacro Baptiſmatis fonte, nec dū ablutus è viuis deceſſerat, quod in vita Patris Ioſephi Anchietæ, Magni Braſilæ Apoſtoli, è Societate Ieſu, refert *Sebaſtianus Berettarius*. Quidam nomine Didacus iam pridem Chriſtiana Religione ſuſcepta inter Chriſtianos tamquam Chriſtianus diu verſatus, in domo Luſitani ciuis diem ſuum obierat, Cadauer diu examine iacuerat, & ſepulturæ paratum. Elapſo duarum horarum ſpatio mater familias Gratia Roſerigia nomine, videt cadauer moueri, & horrore concutitur. Mox promptior animo accedit, vt quid rei ſubſit, propius dignoſcat. Didacus iam vitæ redditus Dominam rogat, ſe illo funebri amictu diſſoluat, quo effectu P. Ioſephum Anchietam aduocari jubet. Properè accurritur ad ædes Societatis, & Didacus vitæ reſtitutus P. Ioſepho nunciantur. Hic celer aduolat, quo viſo Didacus de animæ ſuæ ſalute ſermonem ingreſſus, narrauit ſe, vt è viuis deceſſerat, monitum, non recto itinere in ea loca veniſſe, quod per Baptiſmi oſtium, nondum ſcilicet Peccato Originali deleto, Eccleſiam intraſſet. Non negabat ſe ſacro fonte numquam tinctum fuiſſe at inſcitiam prætexens ab albis hominibus (ſic Europæos indigitabat) ſe Chriſtianam Doctrinam edoctum, ſibique Didaci nomen inditum referebat: ab eo verò tempore, cum ſe perfectum Chriſtianum putaſſet, præcepta omnia ſeruanda ſuſcepiſſe, nulla iniecta mente de ſuſcipiendo Baptiſmo. Proinde enixe P. Ioſephum rogauit, ſe quam primū ſacro Baptiſmate in Eccleſiam induceret; ſe enim ad alteram vitam. Vnde regreſſus eſſet, properare; Tum Ioſephus hominem, et ſi Chriſtianę legis non rudens, accuratè tamen inſtruit, quantum

exte-

extremi temporis patiebantur anguſtiæ, & inſtructum magno cum animi ſui fructus baptizauit.

Iam Didacus decedendi venia à matre familias petita, eam rogauit, vt vilia, quibus tegebatur indumenta, alicui egeno porrigeret, curaretque duo Miſſæ Sacrificia offerenda, vt ſaltem cultu illo ſuo nomine exhibito Deum veneraretur. Tum ſibi ardentem Eccleſiæ ritu candelam porrigi poſtulat, & ad P. Ioſephum conuerſus, adſis mihi, inquit, Pater, donec voti compos Deo Sacris vndis ablutam animam reddam. Pater pijs precibus intendit, inter quas animam demum peccati Originalis macula abſterſa libertatem emiſit, cum qua non poterat in cœlum introire. Exempla alia quæ poſſint ſpectare ad Peccatum Originale, tradita ſunt ſupra de Sacramento Baptiſmi.

Q. *Quid eſt Peccatum Actuale?*

RESP. Dictum, factum, vel concupitum, contra vel præter legem Dei, aut Eccleſiæ.

Q. *Quotuplex eſt Actuale?*

RESP. Duplex: Mortale, ſic dictum, quia mortem animæ præſentem affert: (Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur,) & Veniale; vt cui venia facilè tribuitur, & ſine quo ne iuſti quidem viuunt.

Q. *Quibus gradibus ad peccatum deducimur?*

RESP. His tribus: Suggeſtione, Delectatione, Conſenſu, ſeu deliberata voluntate peccandi.

Expoſ. His gradibus prima parens noſtra Eua ad peccatum aſcendit, & ſe cum poſteris improuida perdidit, *Geneſ.* 3. Callidus accedit ad incautam ſerpentis larua indutus dæmon: Et, *cur præcepit*, inquit, *vobis Deus, vt non comederitis de omni ligno Paradiſi?* en ſuggeſtionem. Hanc, ſi te ſaluum velis, repellas illico neceſſe eſt. Secus fecit (proh dolor!) mater noſtra; quæ & alterno eam cum Serpente fouit ſermone. *De fructu*, ait ipſa, *lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur:* Cui Serpens: *Nequaquam morte moriemini, ſcit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum.* Hoc inquam diſcurſu quæ prius erant blandè ſuggeſta fouit mulier male ſana, ſed & eum fructum tulit quem ſolent illi, qui ignem ſinu exceptum non excutiunt; ſubditur enim *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectumque delectabile:* En delectationem, quæ libere admiſſa animum iam proptum, & expeditum nullo labore ad conſenſum, & huius præmia pœnas ſempiternas pertrahit. Audite exitum: *Et tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.* En conſenſum, & extremam peccati ruinam. Quare animæ tuæ ſaluti ſi conſultum velis, dum dæmon ad peccatum pellicit, in limine reſiſte, ne ignem illum ſinu excipias, quo iam nunc æternum incipias ardere.

Q. *Qui ſunt ſupremi gradus peccantium?*

RESP. Eorum, qui ſcientes ac prudentes ex mera peccant malitia: qui etiam de peccato ipſo gloriantur: & qui benè monentibus obſtrepunt, ac ſalutaria conſilia prorſus contemnunt.

Q. *Quare peccatum fugiendum?*

RESP. Quia Dominum Deum offendit ſummum bonum eripit, & ſummum affert malum peccanti, dum diuinam tollit fruitionem numquam recuperandam, & pœnas ærumnaſque homini accerſit ſempiternas.

Q. *Quæ dicuntur peccata Capitalia?*

RESP. Illa, ex quibus, veluti capitibus & fontibus, omnia alia peccata proficiſcuntur.

Q. *Quot ſunt peccata Capitalia?*

RESP. Septem: Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia.

Q. *Qua ratione vitari, & vinci hæc peccata poſſunt?*

RESP. Si Ieſu Chriſti gratiæ cooperemur, peccatorum damna & pericula conſiderantes, & virtutes ſeptem his peccatis contrarias exercentes.

Q. Quæ

Q. *Quæ virtutes peccatis Capitalibus aduerſantur?*

RESP. Hæ ſeptem: Humilitas, Largitas, Caſtitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Deuotio, ſeu ſedula Pietas.

Superbia Exemplum.

ANgelus aſſumpto corpore cum Eremita gradiens fœtenti cadaueri in via occurrit; dixitque Eremitæ obturanti nares ecquid nares conſtringis? Ille fœtorē cadaueris cauſam eſſe obiecit. Paulò poſt iuuenis pulcher ad ſuperbiam ornatus phaleris, & tela aurea equo vectus tranſibat, qui cum longè abeſſet, obturauit nares Angelus, quod Eremita admirans, interrogauit rationem: cui Angelus, Ille iuuenis ſuperbus, & laſciuus plus coram Deo, & Angelis fœtet quam cadauer illud quod fœtidiſſimum odorem ſpirabat. *Ex Spec. Exemplorum pag.* 42. Vide in Apparatu. *Superbia.*

Auaritia.

RIbergerus Nobilis ditiſſimus in Suevia prævidens famem ſubſecutam, undique corraſo frumento impleuit granaria; idque tanto vendidit pretio vt populus aut mori fame, aut bona omnia ei tradere debuerit. Inter plurimos ecce unus paruulis ſuis onuſtus offert ſex taleres filiorum veſtes, promittens poſt modum plenam ſolutionem, Indignatus diues pecuniam exigens negauit triticum. Diſcens pauper maledixit diuiti. Poſt paucos dies Ribergerus ſeruū ad granaria miſit, vt ea inuiſeret, rediitq; dicens; illic tres atros boues paſcere, & ſeruus die poſtero mortuus eſt. Miſit & alium, & hic redux nuntiauit non tantū boues, ſed & equos qui frumentum deuorarēt, ſe vidiſſe. Ipſe itaque vix credens, aſcendit, & per foramen aliquod vidit greges pecudum diuerſos frumentum conſumere: attonitus inde mente, captus eſt eaq; dixit & egit ob quæ catenis ligari debuit, ſicque exemplo punitæ à Deo auaritiæ ab aliis incarceratus fuit: *Ita Mart. Del Rio ex Petro Pizarro fol.* 261.

Ex Auaritia furando res alienas ſæpè homines perdunt res proprias. Quidam dum meſſem in area colligeret, ſuſtulerat manipulos proximi ſui, & ad cumulum ſuum illos addebat, vt eum augeret: ſed res aliter euenit. Nam ſtatim cecidit fulmen, & area accenſa eſt. Miſer ille ſtatim currit ad virum Dei qui prope habitabat, & ſuam calamitatem, & incendium illi exponit, furtum autem ſuum celare conabatur. Sed vera dicere iuſſus, furtum etiam ſuum confeſſus eſt. Iuſſit autem vir Dei vt culpam corrigeret, ſi vellit à pœna liberari. Nam ſi tu, inquit, manipulos reſtitueris, ignis ille à Deo miſſus extinguetur. Mox ille feſtinus cucurrit & manipulos obtulit illi cui facta fuerat iniuria: quo facto, flamma illi viri ſancti oratione ſtatim extincta fuit. Quæ res terrore & horrore furti incolas impleuit, & totam ciuitatem Antiochennam vbi res contigit. Ita narrat *Theodor. in Hiſt. SS. Patrum.*

Quam procul ab Auaritia debeant eſſe Iudices ſuo exemplo præclare docuit Thomas Morus Angliæ Cancellarius. Accuſatus ille fuit apud Regem, quod à vidua nomine Vaugham poculum aureum accepiſſet poſt ſententiam in iudicio pro ipſa latam. Morus acceptum a ſe poculum aureum coram Rege fatſus eſt, ſed rogauit Regem vt interrogaret viduam, quid poſtea de poculo factum fuerit. Illa rogata agnoſcit Cancellarium poculum hilari quidem vultu accepiſſe, & magnas gratias pro dono egiſſe: ſed conuocata familia curaſſe illud vino repleri, ſibique hilariter propinaſſe, & ſimul cum vino poculum reddidiſſe. Quo cognito Rex Morum multum collaudauit, & calumniatorem obiurgatum Moro pro ſuo arbitrio puniendum permiſit. Rem hanc narrat *Thomas Stapletonus in vita Thomæ Mori cap.* 3. Plura exempla vide ſupra in *Apparatu*. Verbo, *Auaritia*,

Luxuria.

MIles defunctus amaſiæ apparens tormentorum rationem reddidit rauca & horrida voce, nempe quia cantilenis luxurioſis decantandis ſuauem alias vocem impenderat. Cura ei erant nigerrima & ſcabioſa, gloriatus enim erat in vita de eorumdem pulchritudine, oſtendenſque roganti puellæ reliquum infelicis corporis ſtatum, amota à pectore chlamide bufonem teterrimum toti corpori quadratum oſtendit, dicens ſe hoc pro lubricis peccatis, aliiſque corporis cum illa delictis pati in æternum debere, adeoque, vanas, quas illa pro eo fundebat preces futuras. *In Specul. Exempl. tit. Infernus*; Vide in Apparatu *Luxuria.*

E contra præclarum eſt *Caſtimoniæ* Exemplum in S Thoma Aquinate, qui mulierem quæ ipſum ad labefactandā caſtitatem ſolicitabat

ſtabat, arrepto titione generosè abegit. Et ob hanc victoriam Deus illi perpetuum caſtitatis donum conceſſit.

Adde exemplum in vtroque ſexu prorſus ſingulare *S. Theodoræ*, & *S. Didymi*. Iubetur illa à Maximino Imper. vel fidem, vel virginitatem deſerere. Reluctantem in lupanar detrudi iubet, & violentiam illius caſtimoniæ à militibus adhiberi. Primus militum ad illam *Didymus* ingreditur, ſed ecce repente non caſtimoniæ impugnator, ſed cuſtos fidelis mira arte efficitur. Commutat Didymus cum Theodora veſtes: hæc iam virum induta ac cuſtodia ſic eluſa, recedit innoxia: Didymus verò in Theodoræ veſte ac perſona comprehenditur, & ad ſupplicium rapitur. Accurrit mox Theodora, proclamans palmam illam fidei ac caſtitatis non alteri ſed ſibi deberi; veſtem ſe non cauſam, non perſonam in Didymum tranſtuliſſe: illo ex aduerſo pro hac palma ſibi debita firmiter perorante, demum vterque ſupplicio afficitur, vterque duplici fidei & caſtimoniæ conſeruatæ laurea coronatur. Quod fuſius deducit *S. Ambroſius lib. 2. de Virgin.* Et breuius ſeſti Mariani 28. *Aprilis*.

Iracundia.

IRacundiæ deformitas patuit in domicella quadam nobili, ſed admodum rixoſa & iracunda, ita vt domum, & templa, totam etiam ciuitatem ſuis rixis impleret, & diſcordis turbaret. Mortua illa ſepulta ante templis valuas, viſum eſt ſepulchrum flammas & ignes vomere, quo aperto repererunt ſuperiorem partem corporis flammis ambuſtam & adhuc flagrantem, inferiorem verò partem integram, & in ſignum virginitatis cuſtodiæ illæſam manſiſſe. Ita *Cæſar. lib. 4. c. 22.*

VVenceslaus Rex Bohemorum ex quadam occaſione contra ſuū pincernam vehementi ira commotus fuit. Et ex illa iracundia ſubitanea voluit eum proprijs manibus interficere. Sed ex nimio illo furore, & ardore vindictæ, ſtatim Rex in paralyſim incidit, & intra paucos dies mortuus fuit. Sic enim Ira non tantum nocet animę, ſed etiam corporis mortem accelerat. Ita habet Crommerus lib. 13. hiſtor. Poloniæ: vide in *Apparatu*, *verbo*, *Ira*.

Gula.

HOrret animus referre quorundam Baccho ſe conſecratium luctuoſum exitium. Nobiles Germani duo in Apeldorn Veluæ Pago inter ſe conuenerant, vt vino aduſto tamdiu ſe ingurgitarent, donec eorum alter expiraret: Si quis prior ſurgeret, in eum diabolus poteſtate haberet. Quo perducit hominem infrenata intemperantia! Accidit, dum ſtrenuè hac lege potitarent, mercatorem illic forte tranſire, quem, vt ſe tertium adiungeret, coegerunt. In domum inductus alter mortus metu ſe Bacchum hauſtu liberali venerari ſimulat potiùs, quam re ipſa veneratur. Tum locū ingreſsus ferali forma dæmon, duos helluones ſibi deuotos aggreſsus eſt, & vtrique, arrepto collo, ceruicem fregit. Hæc gulæ deditos manet merces. *Ita Dareult. in Floribus Exemplorum c. 6. tit. 7. exemp. 7.* Vide in Appar. v. *Gula*, *Ebrietas*.

Inuidia.

IN vita S. Attali, qui ſuccedens B. Columbano Cœnobium rexit, diabolus in eum aliquot ſubditorum corda ſuſcitauit, qui recuſabat tantæ diſciplinæ auſteritatem ferre. Ille è contra medijs ſpiritualibus vſus, nec potens ad rectam normam deducere, pertinaces ire permiſit, qui poſtquam ſegregati ſunt, virum ſanctum detractionibus laniarunt. Sed ecce, vnus eorum febri ardentiſſima correptus, nequidquam implorans Attali auxilium, igne fatali accenſus, emoritur morbo: exemplo illo ducti adſtantes ad virum ſanctum recurrere, qui venia donatos ſecuros reddidit; contemnentes vero aliqui pœnitentiam diuerſis modis diſrupti interiere; quorum vnus ſecuri, alius flumine, alter mari vitam infelicem finierunt. *In Specul. Exempl pag. 268.* vide in Appar. v. *Inuidia.*

Q. *Quæ peccata in Spiritum Sanctum committi dicuntur?*

REſp. Ea quæ ſua malitia ſic diuinam excludunt gratiam, vt neque in hoc ſæculo, niſi ægrè admodum, neque in futuro remittantur.

Q. *Quot ſunt peccata in Spiritum Sanctum?*

REſp. Sex: Præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, Deſperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ charitatis inuidentia, Obſtinatio, & Impœnitentia.

Expoſ. Quodnam luctuoſius quam quod ſubdo pertinacis & obſtinati peccatoris mo-

men-

mentum haberi poteſt? Lego in actis pro Beatificatione B. P. Franciſci Borgię Societatis Ieſu, apud Euſebium Nierembergium in ejus vita, Virum quendam in Hiſpania, quàm ſanguine nobilem, tam vitiis ac flagitiis infamem, gravi ægritudine correptum, ac de vita periclitantem, tanta obſtinatione ſceleribus ſuis perſtitiſse, ut recta omnes monentes reiiceret, nolletque de anima per confeſſionem expianda quemquam audire. Venit tum forte eam in Vrbem S. Borgias, qui cognito miſeri periculo, pro zelo ſuo illum juvare cupidus, ante Chriſtum crucifixum in genua procidit, eum ardenter obſecrans & obteſtans, ut qui orbi univerſo ſanguine ſuo ſaluti fuiſſet, infelici ac pertinaci illi animæ non deeſſet. Franciſco hæc precanti, ex cruce Servator, Adi, inquit, confeſtim ægrum, eumque hortare, ut ſe expiet, & ego mox illi ut medicus & infirmorum curator adero. Abit B. Pater ſpei bonæ plenus, ad ægri domum ſe confert, quo Servator jam præceſſerat, medici ac prope famuli ſpecie illi ſolatia, atque obſequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbanè P. Borgia; verùm ubi de confeſſione cœpit, ad eam inſtituendam adduci non potuit. Recedit iterum Dominus, relicto ad ulteriores conatus apud ægrum Franciſco, qui & ipſe cum operam perderet, etiam receſſit, & denuò coram Chriſto crucifixo in genua provolutus, per ſacra illius vulnera obteſtatur, ut miſero adſit. Cui Dominus: conveni iterum pertinacem illum Franciſce, meque tecum defer, ſi forte me conſpecto, cruci pro ſe fixo convertatur, & vivat. Rediit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet æger, verbis ad pietatem omnem compoſitis, ſubmiſſis in terram genibus, Chriſtum cruci affixum illi repræſentat: per Paſſionem, dolores, ſacra Domini *IESV* vulnera orans, obſecransque, ut animæ ſuæ miſereatur, æternitatem maturius menti imprimat, nolle Deum mortem peccatoris, ſceleribus omnibus ejus miſericordiam maiorem eſſe. Ad omnia ille pertinax obmuteſcit: addit & vocem ſuam Dominus *IESVS*, & vocem ſanguinis, quem ex vulneribus copioſè effundebat. Per hunc iterum iterumque obteſtatur Franciſcus, ſed nihil profuit. Tum verò Servator revulſa à cruce manu, ſacroſanctum cruorem in faciem proiicit obſtinati peccatoris, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno judicii die coram orbe univerſo neglectam & contemptam benigniſſimi Dei, ac Redemptoris ſui miſericordiam illi exprobrabit.

Q. *Quæ peccata in cœlum clamare dicuntur?*

R Eſp. Quæ per ſe vehementer abominanda ſunt, & apertè humanæ charitatis jura violant: unde vindictam clamare perhibentur, & horrendis ſæpè modis in hac vita divinitus vindicantur.

Q. *Quot ſunt peccata in cœlum clamantia?*

R Eſp. Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, Peccatum Sodomiticum, Oppreſſio pauperum, viduarum, atque pupillorum, demum Merces operariorum defraudata.

Expoſ. Exemplum *Homicidii* voluntarii à Deo puniti exhibetur, *Geneſ. cap.* 4. in Caino, qui fratrem ſuum Abelem fraudulenter quaſi ad deambulandum in agrum evocavit. Et ecce cum ſoli eſſent in agro contra fratrem violenter inſurgens eum occidit, ſed quam ſibi abominandum eſſet illud facinus Deus ſtatim aperuit, qui contra homicidam his verbis intonuit. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, &c.* Sanguis nempè innocens vocem tremendam habet, quæ in cœlum uſque auditur, & homicidii vindictam depoſcit.

Quam deteſtandum ſit *Sodomiæ* peccatum apertè patet in everſione ipſius Sodomæ & Gomorrhæ, ubi cum incolæ infando illi carnis peccato addicti eſſent, ultricibus flammis à Domino conſumpti fuerunt, uti gravibus verbis teſtatur Scriptura Geneſis cap. 14. v. 24. *Pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cœlo, & ſubvertit civitates, hac, & omnem circa regionem, &c.*

Oppreſſio pauperum per vim, & potentiam Deo ſemper execrabilis fuit, uti patet 3. *Reg. cap.* 21. *verſ.* 19. Cum enim Rex Acab vellet invito Naboth vineam eripere, Iezabel Regina ut Regis voluntatem exequeretur, per ſuam potentiam curavit Naboth falsò accuſari, & lapidibus obrui. Sed ecce patem Dei vindictam! dum Achab feſtinaret ut jam defuncti vineam occuparet, Dei nomine occurrit illi Elias Propheta & pœnam denunciat, dicens, Hæc dicit Dominus: *In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum*, quod juſto Dei judicio evenit.

Q. Quæ

Q. *Quæ peccata dicuntur aliena?*

R Eſp. Ea, quæ ab aliis quidem committuntur, ſed nobis interim auctoribus, vel quoquo modo adiutoribus, aut ſaltem non impedientibus, ut idcirco nobis eciam imputentur.

Q. *Quot modis aliena peccata nobis imputantur?*

R Eſp. Novem his modis: Conſilio, juſſione, conſenſu, irritatione, laudatione, ſeu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniventia vel indulgentia, rei alienæ participatione, & prava facti alieni defenſione.

Q. *Quæ dicuntur opera carnis?*

R Eſp. Ea, quæ homines ſecundùm carnem viventes, & à Dei filiis ſpiritualibus degenerantes, committere ſolent.

Q. *Quæ ſunt opera carnis.*

R Eſp. Paulus ea recenſet in hunc modum: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.

Expoſ. Quanta ſit malitia in operibus Carnis, & veneficiis, & commerciis cum dæmone ſequenti exemplo luculenter exponitur. Lugduni in Gallia vir militaris Vigiliarum Præfectus, dum nocte quadam ex officio urbis compita circumluſtrat, ad commilitones ſuos converſus, impurum animi ſui ſenſum hac impia voce declarat: Ad ſatisfaciendum carnis deſideriis, ſi vel ipſe dæmon modò ſe mihi offerret immunis non abiret. Vix hæc verba protulerat, & ecce mulier ſplendido in ſpeciem habitu, famulo lucernam præferente, impuris hiſce Veneris mancipiis occurrit. Poſt exhibita ultro citroque urbanitatis officia, illi ſeminæ ſe confeſtim adiungunt, & domum ad quã ſe redire fingebat, eam deducunt. Ingrediuntur ſimul, & deſideratam cum ea libidinem explent. An res tota ex dæmonis arte compoſita & phantaſtica fuit. Num ſublato à dæmone fuco, deprehendunt ſe cum cadavere tabo, ſanie, ac vermibus fluente rem habuiſſe, & in obſoletæ domus ruinis verſari. Ad hæc dum attoniti obſtupeſcerent, ecce ibi inſolito fulminis ictu proſtrati ſunt, unus quidem eodem loco, & nocte extinctus eſt, alter verò poſtridie, tertius denique die tertio interiit. Ex Doultremanni *Pædagogo Chriſt. Part. 1. cap. 7. pag. 132.*

Odii & invidiæ exemplum proponitur nobis *1. Reg. cap. 18. & 31.* In Saule qui Davidem ex odio iniuſto multis modis occidere conatus eſt, donec tandem ab hoſtibus ſuperatus violentas manus in ſeipſum convertens ſeſe propria haſta interemit.

Aliud æmulationis, & inimicitiæ exemplum patet in fratribus Ioſephi, qui ipſum veſtibus ſpoliatum vendiderunt, ſed Deo ſic diſponente, ipſi fame compulſi coacti ſunt Ioſephum venerari, & ab ipſo vitam, & veniam poſtulare, *Gen. cap. 35.*

Ebrietatis & comeſſationis quam acerbus ſit fructus, docet Exemplum apud *Cantipratanum Lib. 2. apum c. 56. §. 2. Et in Pædagogo Chriſt. pag. 152.* Dum quidam cum ſociis inter pocula Animæ immortalitatem irriſiſſet, adfuit extemplo quidam ſub mercatoris habitu, & ſtatura procerus, cui per iocum ſocii aiunt, ſi tu bonus es mercator, en hic hominem qui ſuam animam venalem habet. Bene eſt, inquit mercator, qui erat dæmon ſub mercatoris ſpecie: Sed velim ſcire quanto pretio ea vendatur? Non magis, inquit alter, ſi tot vini amphoras dederis illam referes. Poſtquam mercator ille pretium quod petebatur pependiſset, & communi omnes ioco riſuq; applauſiſſent, & poculis iucundè indulſiſſent, cum tempus adveniret, quo ſocietas illa diſsolvenda erat; Heus boni viri, exclamat mercator, quid vobis videtur? Qui emit equum numquid non etiam frænum feret? Cum omnes incepto ioco inſiſtentes, id æquum eſſe pronunciarent, ſtatim veterator infernalis ſe prodit, arreptumque impium ganeonem coram omnibus cum corpore & anima ſecum aſportat, debitum temulentiæ & impietatis ſuæ præmium relaturum.

De prædictis omnibus, Luxuria, Invidia, Ira, Ebrietate, Conſilio malo, Adulatione &c. ſuperiùs plura exempla data ſunt: Item in *Apparatu* ſub propriis Titulis.

Q. *Eſtne ſatis Chriſtiano, malum fugere & à peccato declinare?*

R Eſp. Nequaquam; ſed preterea bonũ agere & virtutes exercere neceſſe eſt. Alioqui

qui ſcienti bonum,& non facienti, peccatum eſt illi.

Q. *Quid boni faciendum Chriſtiano?*

RESp. In genere quidem quidquid boni lex naturalis, diuina vel humana præcipit vel oſtendit: In ſpecie verò pro ſua quiſq; vocatione præſtare officium & acceptæ Dei gratiæ cooperari cum gratiarum actione debet. Omnis enim arbor,quę non facit fructum bonum,excidetur; & in ignem mittetur.

Q. *Quæ ſunt præcipua bonorum operum genera?*

RESp. Ea, quibus ſobriè, iuſtè, piéque viuitur in hoc ſeculo,& per quæ itidem iuſti magis magiſq; iuſtificantur,& ſancti in dies ſanctificantur.

Q. *Quotiplicia ſunt hæc operum bonorumgenera?*

RESp. Triplicia: vtpotè Ieiunium, Eleemoſyna ſeu miſericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: Bona eſt Oratio cum Ieiunio & Eleemoſyna.

Q. *Quis eſt fructus bonorum operum?*

RESp. Habent ea promiſſionem ac mercedem huius ac æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conſeruat, & augent; denique Chriſtiani hominis vocationem certam faciunt, atque conſummant.

Q. *Quid eſt ieiunium?*

RESp. Eſt certis diebus, iuxta morem & præſcriptum Eccleſiæ, carnibus abſtinere, & ſaltem vnica cibi refectione in die contentum viuere frugalius: Sed ſi generatim hoc nomen accipias, Ieiunium eſt corporis quædam caſtigatio piè ſuſcepta, vt vel caro ſpiritui ſubijciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Expoſ. Ieiunij vtilitatem declarat nobis ipſa Eccleſia, quæ in Præfat. Miſſæ Deum ſic alloquitur: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia.*

Exempla Ieiunij præbet nobis Scriptura in Moyſe, qui per 40 dietum ieiunium Dei alloquium & aſpectum obtinere meruit, *Exod.* 24. Et Niniuitæ qui poſt 40. dies ſubuertendi erant, per ieiunium à Deo veniam meruerunt.

In vita S. Patricij legimus quod in altiſſimi montis vertice 40. dies cum ſolo Deo in ieiunio & oratione tranſegerit.

At noſtro tempore ſacra Catholicorum ieiunia abhorrent Hæretici, atque omnem Eccleſiæ Romanæ de cibis vetitis legem rident, & contemnunt. Sed inſigni Exemplo violatæ huius legis pœnas dederunt.

Poſtquam in Germania Torpatenſes in Lutheri impia dogmata conceſſerant, feria ſexta ſolenne Paſchæ feſtum proximè præcedente, finita Lutherani Eccleſiaſtæ concione, ciuibus è templo D. Virgini ſacro reuertentibus, quidā alium conciuem & familiarem inuitat ad prandium; rogat vna domum comitetur; habere ſe egregiè paratu Petaſonem Vveſtphalicum: Arridet alter, & ſibi reponit eſſe Gallum gallinaceum opipare elixum, hunc ſe in reciprocum beneuolentiæ ſignum adferre. Menſæ accumbitur, vorant gulosè, horum altero quoddam rodens imprudens pene, ipſum deglutit. Quare cum nec os tranſmittere, neque eximere valeret, multū eiulans debita Eccleſiæ mandati violatori pœna, eo ipſo die ſuffocatur. Nec diuinæ ultionis manus euaſit alter; nam poſtridiè Paſchæ malo ſpiritu correptus, nōn multò poſt rabie ac furore exagitatus animam vna cum poſſidente dæmone exhalat. *Ita Laurentius in Flor. Exempl. cap.* 1. *Tit.* 10. *Exemp.* 7. Vide in Apparatu *Ieiunium.*

Q. *Quid eſt Oratio?*

RESp. Eſt mentis, in Deum eleuatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis alijque petimus, vel Deo benedicimus.

Expoſ. Ad Orationem nos Chriſtus in pensè hortatur Luc. 11. verſ. 9. *Ego dico vobis petite, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Ideò oratio à S. Auguſtino Clauis cœli vocatur, per quam & cœlum aperimus, & omnia beneficia corporis & animæ à Deo impetramus, ſi cum fiducia, humilitate, & perſeuerantia ad Deum recurramus.

De S. Patricio in eius vita traditur, quod aſſiduò centenis ter vicibus Dominum adorando genua flectebat: qualibet hora diei Canonica centies ſe crucis charactere ſignabat. Nocturni verò temporis magnam partem diuinis precibus cum ducentis genuflexionibus impēdebat. Per hanc orationis vim quaſi omnipotēs omnia à Deo impetrabat, adeò vt ve-

ut alter Thaumaturgus, vt templum in vnius viri nobilis fundo erigere poſſit, huius rogatu fuſa prece montem in tertam depreſſerit, ſed cum vir ille nobilis promiſſis ſtare nollent, iterum ad orationem confugiens, montem prius tellure hauſtum in priorem altitudinem reuocauit.

Addamus Exemplum pauperis Cerdonis Conſtantinopolitani, cui nomen Zacharias. Hic cum ſingulis noctibus ad orandum corā Vener. Sacramento Templum S. Sophiæ adire ſoleret, viſus eſt ab alio totus luce circumfuſus, cui etiam ingredienti valuæ templi ſponte ſe aperiebant, & vltro claudebantur dum templo egreſsus erat: Deo ſic demonſtrante quantum ſibi placeat humilis oratio.

Q. *Quid eſt Eleemoſyna ſeu Miſericordia?*

RESp. Eſt beneficium, quo alteriùs miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubuenimus.

Q. *Quotuplex eſt genus Eleemoſynæ, ſeu Miſericordiæ?*

REſp. Duplex: Alia quippè ſunt opera miſericordiæ corporalia; alia verò ſpiritualia, quoniam vel ad corporalem, vel ad ſpiritualem miſeriam proximi ſubleuandam ſpectant.

Q. *Quot ſunt opera Miſericordiæ corporalia?*

REſp. Septem: Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuiſere, hoſpitio peregrinos ſuſcipere, mortuos ſepelire.

Expoſ. Eleemoſyna non eſt ſolum beneficium, quo alterius miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubuenimus, ſed etiam debitum, quia ſi non demus pauperi quod nobis ſuperfluum eſt ad ſtatum ſecundum conditionem noſtram honeſtè ſuſtentandum, hoc ipſi quaſi ſurripimus, vti aſſerunt SS. Patres, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Bernardus, ſed imprimis breuiter & dilucidè Auguſtinus in Pſalmum 147. *Superflua*, inquit, *diuiti, neceſſaria ſunt pauperi; res aliena poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur*.

In extremo iudicij die dicent Chriſtus. *Venite Benedicti Patris mei poſſidete paratū vobis regnum à conſtitutione mundi, addens cauſā, Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me, &c.* Sed duris, & tenacibus dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare, &c. Et ibunt hi ſupplicium æternum iuſti autem in vitam æternā.* Ex quo loco Euangeliſta deducitur hoc argumentum, nullus damnatur ob aliquid omiſsū quod non obligat ſub præcepto: atqui reprobi hic damnantur ob omiſsam Eleemoſynam, ergo illa aliquando ſaltem in neceſſitate obligat ſub præcepto.

Vultis exemplum viri Sancti qui hanc opinionem ſibi in praxi duxerit ſeruandam? Audite quid de S. Franciſco narret S. Bonauentura *in eius vita.* Quæ S. Franciſco in Eleemoſynam data fuerant, ſi pauperior quis ab eo ſtipēm peteret, illico non tam donabat, quam iure ſuo cedebat. Vndè audiens vetulæ cuiuſdam mediā, dixit, frater mi reſtituamus alienum hoc (pallium ſuum denotans) quod ego retinebam donec æquioris tituli poſseſſor appareret. Iam apparuit paupertima quædam ſoror noſtra, ad quam rogo vt mittas hoc meū pallium, cum quibuſdam panibus ex Eleemoſyna collectis: Quę dū fratres portauerint, dicant quod ſuum erat ſibi dari: reputo enim quæ nobis conferuntur in noſtrū vſum cedere donec indigentior ſuperuenerit. Sed vide miram Dei prouidentiam, & remunerationem. Eodem tempore aliqui ex Pontificijs detulerunt tot panni vlnas, quot Sancto Patri, eiuſque ſocijs veſtiendis ſufficiebant.

Atque vt hæc viri Sancti in pauperes liberalitas à Deo liberalitates compenſata ſic alterius tenacitas grauiter punita. Refert quippè *Genebr. l. 4 Chronograph.* anno Chriſti 914. cū dira fames Germaniam infeſtaret. Epiſcopus Moguntinus Hatto nomine, plurimos pauperes in horreo congregatos ea ſpe, quod eſcæ vel pannis nonnihil ex Epiſcopi liberalitate accepturi eſsent concremari iuſſit, dicens, nihil differre eos à muribus, frugibus tantum conſumendis natos. Quam tyranidem Deus protinus vultus eſt. Præcepit nāque muribus vt caterua tim illum inuaderent, ac diu noctuque affligeret viuumque deuorarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni extructam aufugit: ſed nec ibi à morſibus murium tutus eſſe potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes in turrim conſcendere, iuſtum Dei iudicium executuri; quod agnoſcens miſer horrenda tandem morte inter mures petiit. Feruntur mures nomen quoque eius à parietibus & tapetibus abraſiſſe.

Verum liberales & munifici erga egenos, non tantum in altera, ſed etiam in hac vita fe-

lices

lices & beati futuri ſunt,& in hac quidem vita prouidebit Deus,vt nunquam illi inopia laborent, qui opes ſuas in pauperes diſtribuerint iuxta illud Pſalris,*qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet*.Et Paulus 2.Cor. 9 *qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit,& multiplicabit ſemen veſtrum& augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ,vt in omnibus locupletati abundetis*.

Nitida hoc ſimilitudine illuſtrat S.Baſilius. Sicut putei continuo exhauſti, & copioſiore & puriore fluunt aqua:clauſi verò & quieti facilè putreſcunt, ſic & opes reconditæ inutiles ſunt, traslatæ in pauperes nouum fructum pariunt. Item alia non minus appoſita Clemens Alexandrinus, ſicut ab vbera, quæ ſuguntur, vel mulgentur lac ſolet confluere, Ita & opes confluunt ad eos qui erogant illas.

Memorabile huius rei Exemplum ex tat,*in Prato Spirituali*, de nobili quodã Conſtantinopolitano, qui cũ omnia ſua in pauperes diſtribuiſſet, filio nihil niſi Chriſto Curatorem reliquit. Quare & Chriſtus ſe ei curatorem præſtitit, monuitque virum egregie diuitem, vt illi filiam vnicam in vxorem traderet,eumqueomnium bonorum hęredem ſcriberet,qui id ipſum accuratè impleuit, monitque iuuenem: ecce bonus curator tuus hanc tibi vxorem miſit.Adeo verum eſt quod dixit Sapiens: *qui dat pauperi non indigebit,qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit iniuriam*. De hac præclara virtute plura in Apparatu, V. *Liberalitas*.

Q. *Quot ſunt opera Miſericordiæ ſpiritualia?*

RESp. Sunt & ipſa ſeptem: vti,Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mæſtos, ferre patienter iniurias, offenſam remittere.

Expoſ. Priora ſeptem miſericordiæ opera corporalia vocantur, quod circa corpus verſentur, vt conſideranti patet: hæc ſpiritualia dicuntur, eo quod ad animam referantur eoque pluris facienda, quantum anima, iuxta ipſius Chriſti teſtimonium, plus eſt quam corpus, quare & impenſius illorum vſus nobis commendatur à Sacra Scriptura, ac imprimis à Magno illo genitum Doctore Paulo, ſed nullum æquè ac inimicorum dilectio, & remiſſio iniuriarum. Hic ad Epheſ. 4. ſic ſcribit: *Donate inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis*. Idem repetit c. 5. *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi &ambulate in dilectione,ſicut electi Dei,ſancti& dilecti viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem modeſtiam, patientiam ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam:ſicut Dominus donauit vobis,ita & vos*.

Sed quid meriti nobis promittitur ob hanc glorioſam de nobis in diligendis inimicis reportatam victoriam? Audire Matth. 6. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*. Quæ cum in manu noſtra ſint monet Sanctus Auguſtinus l. 50 Homiliarum Hom. 6. *Dimittamus inimicis noſtris, ut libera conſcientia poſſimus in oratione Dominica dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris*.

Exemplum ad hanc rem accommodatum narrat Henricus Magnus *diſt. 9. Exemp. 94*. De quodam viro opulento & nobili, qui dum ſumma animi pertinacia inimico ſupplici reconciliari recuſaſſet, ſubito ex hac vita ereptus eſt, Mortuo ingenti pompa exequiæ apparantur, corpus à funebri amicorum turba ad templum defertur, vbi pro more qui tum vigebat, decantatum ſolenniter officium defunctorum ante aram in qua Chriſti pendentis è cruce imago erat expoſita: cumque Sacerdotum aliquis illam officij lectionem inchoaſſet;*Parce ei Domine*,viſa eſt imago auulſis à cruce manibus,aurem ſibi vtramque occludere, horrendum illud intonans, *non pepercit, non parcam*. Ad quæ verba, attonita circumfuſa multitudo in cadauer impij inuolauit,& alitibus cœli extra ciuitatem illud deuorandum abiecit. Hinc diſcite quam verum ſit illud Euangelij, Oporteret nos miſereri aliorum ſi miſericordiam à Deo & nos conſequi velimus, iuxta parabolam illam ſerui,qui ideo grauiter à Deo punitus eſt, quod ipſe non remiſiſset conſeruo ſuo, ſicut & illi a Domino familias omne debitum remiſſum fuerat. Videri poteſt in Apparatu, V. *Correptio fraterna, Exhortatio, Amor proximi*.

Q. *Quæ ſunt virtutes omnium præcipuæ?*

RESp. Poſt Theologicas quidem illas, de quibus dictum eſt, Fidem & Spem & Charitatem, præcipuæ ſunt Cardinales, quæ Chriſtianos cum primis decent.

Q. *Quæ dicuntur Cardinales virtutes?*

RESp. Quæ tamquam fontes aliarum & cardines omnem honeſtæ vitæ rationem continent.

Q. *Quot ſunt virtutes Cardinales?*

RESp. Quatuor: Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo: quibus in Chriſto conſequitur homo, ut providè, juſtè, temperatè, ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Expoſ. Cardinales quædam virtutes idcirco dicuntur, quod ſint tamquam aliarum fontes & cardines: & quemadmodum oſtium in cardine, ſic omnis honeſtæ vitæ ratio in illis verſetur, ac boni operis univerſa ſtructura eiſdem inniti quodammodo videatur, de quibus ita ſcriptum eſt Sapientiæ 8. *Sobrietatem & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.*

Prudentia.

QVare proderit illarum virtutum definitionem fuſius paulo proponere. *Prudentia* eſt virtus, quæ ſecundum honeſti rationē quid expetendum, quidve fugiendū ſit homini præſcribit, iuxta illud Eccleſiaſt. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* O ſi omnia ad huius virtutis normam agerent mortales, quam multa infortunia evitarentur, quam multa omitterentur, de quibus heu poſtea, ſed nimis ſerò, doletur. Exempla prudentiæ maximè ſpectantur in bono conſilio, de hoc in Apparatu. ✓ *Conſilium bonum, malum, quale dedit Herodias filiæ, ut peteret caput Ioannis Baptiſtæ.* Item in Apparatu V. *Sapientia.*

Iuſtitia.

IVſtitia eſt virtus qua cuiq; ſua tribuuntur. De hac ita Prov. 14 *Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cū iniquitate.* Item, *quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

Poteſt ne illud ſequi ex neglecta juſtitiæ? Omninò, teſte Auguſtino. Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Horrendum eſt exemplum quod ſupra retulimus ex *Pædagogo Chriſtiano par. 2 cap. 5. ſſ. 2.* de uſurario quodam nobili in Italia qui confitebatur Sacerdoti peccata abſque propoſito ab uſuris impoſterum abſtinendi, & una cum Conteſſario qui eum abſolvebat ad inferos abreptus eſt.

E contra inſignis exercendæ juſtitiæ zelus ſequenti exemplo a Deo comprobatur. In Anglica capti erant tres falſæ monetæ fabricatores ſceleſtiſſimi, & juxta legem ad manuum abſciſſionem condemnati. Interea Archiep. Cantuarienſis, in cuius poteſtate illi erant, in die Pentecoſtes celebraturus interrogat, in juſtitia adhuc impleta eſſet. Reſponſum eſt propter diem Feſtum dilatam eſſe pœnam uſque in craſtinum. Nequaquam, inquit, ego hodie Sacrum non abſolvam niſi prius in illis juſtitia impleatur. Qua peracta, dum in Sacrificio illa verba recitaret, Eccleſiam tuam pacificare, juvare, cuſtodire, & regere digneris, nivea columba omnibus ſpectantibus ſuper eum deſcendit, & alis ſuper caput expanſis ſic manſit, donec Sacrificium abſolveretur. *Ex Specul. hiſtor. lib. 25 Et magno Specul. Exemplorum.*

Temperantia.

EST virtus voluptatum carnis quæ guſtu, atque tactu percipiuntur moderatrix: ad quam ſectandam ſic nos hortatur Scriptura 1. Petr. 2. *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret;* ut autem hanc virtutem amare, & illi oppoſitum vitium hodie nimis vulgare odiſſe poſſimus, mala quæ ſecum trahit perpendamus.

Et 1. quidem facultates exhaurit, Proverbior. 2. *Qui amat vinum & pinguia non ditabitur.* 2. Corpus imbecillum reddit, hinc oculorum lippitudo, oris graveolentia, membra tremula, capitis diſtillationes, tuſſes, apoplexia, paralyſis, articulares morbi, & denique mors, plures enim occidit gula quam gladius: denique reddit hominem ad omnia inutilem.

Videte hoc egregia ſimilitudine expreſſum. Corpora noſtra terrena ſunt: quomodo pluvia nimis diuturna ſi fuerit, terra infunditur, & in lutum reſolvitur, ut nulla in ea cultura fieri poſſit: ſic & caro noſtra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec ſpiritualem culturam accipere, nec fructus animæ neceſſarios poterit exhibere.

Eſtne igitur ebrietas grave peccatum? Eſt peccatum mortiferum ſi voluntaria ſit & pervenerit uſque ad violentam uſus rationis privationem: nam Apoſtolus Paulus 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, &c. neq; ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.*

Sed nec ad finem vitæ differre ſolet pœnam qua ebrioſos plectere decrevit Deus, qua pal. ſum exitu infauſto, & luctuoſo ſolēt finire. Notum eſt quomodo Holofernes vino ſomnoq; ſepulto a Iudith caput reſectum ſit, *Iudith c. 13.*

Bal-

Balthaſar Babyloniorum ultimus Monarcha, dum laſciuiæ cum concubinis ebrietatem miſceret temulentus, vidit ignotam manum ſcribentem in pariete: *Mane, Thecel, Phares*, & eadem nocte regno & vita à Cyro ſpoliatus eſt, *Dan. 5.*

Aliud Exemplum recentioris memoriæ refert *Mart. del Rio tom. 2. diſq. Magic. l. 3. p. q. 7.* Tres helluones in Flandria, quadam die in ſeram noctem compotationem protraxerant, cum unus illorum minus impius, Sat, ait, Baccho datum eſt, Deo ſaltem agamus gratias: Ego vero, ſubinfert alter procacior, cacodæmoni gratias agendas cenſeo cui operamur, & cum riſu menſa relicta in lectos ruunt ſinguli: vix decubuerant, ecce tibi in triclinium, vi janua reſerata, dæmon magni, atri & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli obambulant, & lectos curcumſpicit torvo vultu: deinde horrenda voce ait, ubi eſt ille qui mihi gratias agit? adſum, referam grates. Lecto abſtrahit pauitantem, & traditum cocis jubet infigi veru, & lento igne aſſari: Parent promptè, aſſatur infelix, & moritur. Demum venator ad ſuperſtities ſub ſtragulis trepidantes vix vivos; digni vos etiam (ait) pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi: ſed vetor vi maiore. Invitus nunc ab eo, & moneo, reſipiſcite, aut manent vos terribiliora. Diſparent larvæ, nec tamen aliis animus redit vel vox, niſi clara luce, ubi ſurrexere, collegam inveniunt mortuum & (ne viſum inane putes) aſſatum cum horrore intuentur. Vide huic exemplo idoneam ſimilitudinem anſeris aſſati cum ebrioſo, ſupra in Apparatu, V. *Ebrietas in fine*. Item V. *Gula.*

Fortitudo.

AD hanc colendam ſatis non hortatur Scriptura cum timorem improbum nobis adimit, & Chriſtianæ mentis fiduciam, alacritatem, conſtantiamque commendat. *Fugit impius nemine perſequente*, inquit Salomon Prov. 28. *Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Et Petrus de fidei ac pietatis hoſtibus hoc admonet: *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini. Quis eſt*, inquit 1. Petri 3. *Qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed etſi quid patimini propter juſtitiam, beati.*

Exemplum Chriſtianæ fortitudinis patet in uita Sancti Laurentii, qui nec blanditiis, nec terroribus tyranni, nec lento igne, nec craticula ardenti, in minimo potuit à fide dimoveri, ut fusè narratur in Breu. 10. Auguſti lect. 4. 5. 6. Plura exẽpla in Appar. V. *Fortitudo.*

Q. *Quæ dicuntur dona Spiritus Sancti?*

RESp. Septem illa, quæ ſuper Chriſtum requieviſſe Propheta teſtatur, & quæ ab ipſo, ſeu fonte omnis gratiæ, in alios derivantur: ut donum ſapientiæ, donum intellectus, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Q. *Quænam illa, quæ fructus Spiritus vocantur?*

RESp. Ea, quæ pii ſecundum ſpiritum viventes operantur, & per quæ ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur.

Q. *Qui ſunt fructus Spiritus?*

RESp. A Paulo Apoſtolo ſic numerantur: Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benigitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.

Expoſ. Quid eſt timor Domini? Et Spiritus Sancti donum quo peccator divinæ juſtitiæ timore ſalubriter concutitur ad converſionem. At qua ratione ad hunc Dei timorem pervenitur? Si conſideret attentè inſtabilitatem humanam, & quod ignoret quid ſibi tandem futurum ſit. Cautiores nos eſſe convenit exemplo Angelorum qui de gradu ſuo deciderunt. De quibus Iobi 4. *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles & in Angelis ſuis reperit pravitatem, quantò magis qui inhabitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.* Adde de Adamo, qui cecidit in Paradiſo; Iudas in conſortio Chriſti turpiter lapſus, ſuſpenſus, damnatus fuit, quæ fuſius exaggerata materiam exemplo dabunt. Plura exempla in Appar. V *Timor Domini*. Item de *Charitate, Pace, &c.* dictum eſt tam ibi, quam alibi in Catecheſi.

Q. *Quæ dicuntur Beatitudines Evangelicæ?*

RESp. Illæ, propter quas in Euangelio etiam hi, qui miſeri prorſus ac infelices videntur, beati, ac felices pronuntiantur.

Q. *Quot ſunt Evangelicæ Beatitudines?*

RESp. Octo, quas ita Chriſtus in monte tradidit.

1. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

2. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

3. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

4. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

6. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

7. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

8. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Expoſ. Hinc collige vanam eſſe protſus mundi de beatitudine ſententiam, quæ permultos interim fallit, ac perdit. Nam beati fore vulgo putantur diuites, præpotentes, gloria & authoritate clari, bonis fortunæ affluentes, voluptatibus indulgentes. Verùm Doctrinæ Chriſti repugnant, qui non diuites ſed pauperes, mites &c. beatos pronunciat. Hinc rectè Eſaias exclamat cap. 3. *Popule mi, qui te beatū dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſſum tuorum diſſipant*. Quis ergo beatus dicendus? Non alij quam quos ſupra ipſa veritas quæ falli, aut fallere non poteſt beatos nuncupauit. Patet id in Epulone diuite, & Lazaro paupere: moritur vterque, diues ſepelitur in inferno, pauper ab Angelis in ſinum Abrahæ deportatur. Epulo in inferno Lazarum rogat, quem fuerat in terra aſpernatus, vt guttula vna arentis linguæ ſitim refrigerare dignetur, & negatur. Cauſam vultis; addit illam Dei nomine Euangeliſta. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimiliter mala, ideo hic conſolatur, tu verò cruciaris.* De his beatitudinibus plura alibi in Catecheſi & in Apparatu, Vide *Abnegatio*, *Patientia*, *Conſolatio diuina*, *Liberalitas*, *Caſtitas*, *Pax*, *Tribulatio*, *Perſecutio*.

Miſericordia.

EXemplum commiſerationis & miſericordię legitur in vita S. Patricij apud nos cap. 15 quem cum Cęcus inſequeretur, vt per eum lumen oculorum à Deo impetraret, contingit cæcum alicubi impingere & in terram corruere. Quidam ex comitatu Chriſtianæ miſericordiæ immemor, cæci lapſum riſu excepit. At vir Sanctus in cæcum commiſeratione, in ridentem indignatione commotus. Tu, inquit, qui oculis ad illudendū miſero abuteris, oculorum vſu priuaberis, huic vero viſum à Deo humiliter poſcenti oculorum lumen reſtituetur: ac formato crucis ſigno illuſori viſum abſtulit, cæco donauit.

S. Franciſcus adhuc in ſæculo adoleſcens, adèo erat miſericordiæ addictus, vt iuramentum fecerit, nullum pauperem poſtulantem ſine Eleemoſyna dimittere. Hinc initium tam largæ Dei miſericordiæ in Ordinem illius vniuerſum.

Manſuetudo.

SAnctus Thomę de Villanoua Ord. Eremit. S. Auguſtini tanta inerat manſuetudo vt Valentiæ carcerem à nimio ſitu & horrore diligenter repurgaret, & cum eſſet Epiſcopus, ſi quando in carcerem compigendi erant homines Eccleſiaſtici, non poterat ſibi à lachrymis temperare, adeò ipſam iuſtitiæ ſeueritatem ſua manſuetudine temperabat.

Pius V. Pontifex, vel ideò verè pius quia vere mitis, cum quidam in eum libellum probroſum vulgaſſet, ideoque maieſtate læſæ damnatus eſſet, vt modum inuenerit quo damnatum liberaret, illum ad ſe adduci iubet. Interrogat an ſcriptum illud probroſum contra Pontificem Chriſti Vicarium, an potius contra Michaelem Giſlerium (hoc erat Pontifici nomen) in lucem dediſſet? cum reus ſe contra Michaelem tantum edidiſſe reſponderet, iuſſit liberum dimitti. *P. Rho in Hiſt. virtutum l. 7. c. 8.*

Perſecutio ob iuſtitiam.

QVantum illa perſecutio præ omnibus Eccleſiam Romanam ſtabiliat, atque illuſtret, patet euidenter ex immenſo Martyrum numero qui pro illius fide & veritate toto orbe vitam ac ſanguinem effundere non dubitarunt. *P. Nicolaus Cauſinus* in libro ſuo qui inſcribitur *Curia Sancta Tom. 1. Lib* 2. Computat *vndecim Milliones* Martyrum, qui a tempore Chriſti pro fidei Romanæ veritate paſſi fuerunt: Inter hos 27. fuerunt Pontifices Romani. Et in ſola vrbe Romana paſſi ſunt pluſquam trecenta millia Martyrum. Et in cæmiterio Caliſti &c. ſepulti ſunt octoginta Martyrum millia, vti deducit *Bozius* de ſignis Eccleſ. *ſigno 29. lib. 7. cap. 5.*

In ipſa poſtrema eſt minima Societate Ieſu paſſos eſse ex ſocijs 281. vſque ad annū 1641. declarat Alagambe in Biblioth. Soc. quibus huc uſque plurimi acceſserunt. Sed nec hactenus à viris etiam aliquando Catholicis defuit patiendi palæſtra non indecora. De qua nuper in Henrico Spondano Epiſcopo, Hiſtoriæ Eccleſ. ſcriptore celeberrimo hæc verba lege, *Tom. 2 anno* 1565. *pag.* 671. Nullus fuit vnquam Ordo inter cunctas Religioſorum

So-

Sodalitates, qui plures paſſus ſit per orbem vniuerſum controuerſias, & oppugnationes, nec qui glorioſius eas vbique ſuperabit, à Domino procul dubio factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris, &c. Ita, inquam, Spondanus, ibidem.

Exemplum peculiare patentis perſecutionem propter iuſtitiam enituit in Trauerſio inſigni fidei pugile in Hibernia, qui cum librum pro authoritate Eccleſiæ Romanæ contra hæreticos ſcripſiſſet, captus eſt, & præ tribunali publicè interrogatus, an talem librum ille compoſuerit? Mox ille Chriſtiana libertate manum attolens reſpondit: ***Hi ſunt digiti qui librum illum conſcripſerunt.*** Cumque ea de cauſa ſupplicio affectus, & cadauer exuſtum foret, digiti illi quibus ſcriptum illud exaratum illæſi manſerunt, quamuis vt conſumerentur à carnifice ſæpius in ignem coniecti fuiſſent. *Ita Spondanus & plures alij.*

Q. *Quæ dicuntur Euangelica conſilia?*

RESP. Videlicet quæ per Euangelium non tanquam ad ſaluté neceſſaria, ſed veluti ſuſcipientibus magis expedita atque vtilia à Chriſto non præcipiente quidem, ſed conſulente proponuntur.

Q. *Quot ſunt Euengelica conſilia?*

RESP. Principalia tria ſunt: nimirum, Paupertas voluntaria, Caſtitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religioſè exhibentur.

Expoſ. Huiuſmodi conſilia Chriſtus, non verbo tantùm docuit, vti mox oſtendemus, ſed etiam *Exemplo* vitæ ſuæ ſanctiſſimæ confirmauit. Quoad *Paupertatem*, cum diues eſſet, propter nos pauper factus eſt, non habens vbi caput reclinaret. Quoad *Caſtitatem*, ipſe ſemper virgo, etiam ex virgine naſci voluit, & Sanctarum Virginum Sponſus ſemper perſeuerat. Tam ſedulus demum fuit in præſtanda *Obedientia*, vt Matri Virgini, ac Ioſepho fabro ſubditus fuerit, & ad mortem vſque erucis obediens factus eſt, de ipſo teſtatur: ***Deſcendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius miſit me.***

Ad hanc voluntariam paupertatem amplectendam adhortatur nos Luc. 18. ***Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia, quæ habes & da pauperibus & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.*** Huius autem cultores ac profeſſores erant Apoſtoli, quorum nomine fidenter dixit Petrus ad Chriſtum Matth. 19. ***Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.***

Ad Caſtitatem inuitat Matt. 19. Item Paulus ad Corinth. 1. ***Bonum eſt homini mulierem non tangere.*** Et S. Ioannes *Apoc.* 14 ſingulare huic virtuti præmium decernit. Qui, inquit, cum mulieribus non ſunt coinquinati ſed virgines permanſerunt, ſine macula ante thronum Dei aſſiſtunt, cantantque nouum canticum coram Deo & Agno, & ſequuntur Agnum quocumque ierit.

Obedientiam verò commendat Math. 16. ***Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.***

Huiuſmodi autem Chriſti imitatores, qui dictis conſilijs obſeruandis ſeriò vacarent, ſemper Eccleſia habuit, nec tantùm de vulgo aliquos, ſed etiam Imperatores & Reges, quibus, ſectatis Chriſti conſilijs, Deo ſeruire erat regnare, eligentes potius abiecti eſſe in domo Dei ſui, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Atque ex his non paucos ſibi vindicat Anglia & Hibernia. Ac imprimis *Sigibertus* Rex Northumbriæ in Anglia circa annum Chriſti 640. abdicato regno monaſticam vitam amplexus eſt. Et cum poſtea hoſte regnum inuadente, totius populi precibus coactus eſſet aciem ad bellum præcedere, noluit vel tantillum Religioſum habitum dimittere, ſed eo indutus ante exercitium ad prælium proceſſit, vti refert *P Platus Lib. 2. Cap 26.*

In eandé Angliç *Etelredus* Rex an. 740. poſtquam pluribus annis regnum ſuum piè iuſteque adminiſtraſſet, corona in nepotem ſuum *Chenredum* vltro tranſlata, Religioſam vitam in ſolitario regni ſui Cœnobio elegit. At ecce idem *Chenredus* fæliciorem reputans patrui Religioſi quam Regis fortunam, poſt quinquennium inanem purpuræ regiæ fulgorem cum religioſo habitu commutauit, quem ex manibus Cœleſtini primi Pontificis Romæ accepit. Neque multo poſt tempore illum ex eadem Anglia *Inas* Rex Saxonum ad Apoſtolorum limina ſecutus eſt, vbi ſe regnumque ſuum Pontifici vltrò ſubiecit, & mundo valedicens per religioſa vota ſe Chriſto mancipauit, vt tradidit idem *Platus loc. cit.*

In Hibernia anno 650. *Vibeanus* Rex tres habuit filios, *Forſaeum, Fellianum, & Vltanum*: hi omnes cœleſte regnum terreno præferentes Religioſum ſtatum amplexi ſunt, Vtque à mundi luxu, & paterna Aula remotius viuerent, in Galliam traiecerunt, vbi cum Regis Clodouæi licentia Monaſterium ædificarunt, atque in eo tanta pietate vixerunt, vt omnes in Sanctorum numerum relati fuerint. *Platus ibidem.*

Ex aliis Regnis longum eſſet recenſere Exemplum Carolomanni, Trebellii, Bambæ, Veremondi, Ramiri, aliorumque Regum & Imperatorum qui Evangelica Chriſti conſilia & religioſa vota omnibus mundi opibus ac regnis prætulerunt.

Q. Quæ hominis noviſſima dicuntur?

RESp. Ea quæ homini ad extremum accidunt; ut Mors, Iudicium, Infernus, & Cœleſtis gloria, de quibus ita docet Sapiens: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Expoſ. De Morte ſic loquuntur Scripturæ: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, ad Hebr. 9. Et hoc pulchra ſimilitudine exponit Eccleſ. 2. *Omnes morimur, & ſicut Aqua dilabimur in terram.*

Et in hac quidem mortis certitudine, nihil incertius quam quando ſimus morituri, teſte Eccleſ. 9. *Neſcit enim homo finem ſuum.* Quare providè monet Servator noſter, *Eſtote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Mortis memoria.

SAnctus Ioannes à liberalitate in pauperes dictus Elemoſynarius, ut noviſſimorũ ſemper recordaretur, ſepulchrum ſibi extrui, ſed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem ſtatuit, qui diebus Feſtis ſibi coram omnibus diceret, *monumentum tuum in hodiernum diem eſt imperfectum, Domine, iube ergo ut id finem accipiat: incertum enim eſt qua hora fur ingrediatur*, id eſt mors, & hæc eum cogitatio ad Eleemoſynas tantas excitavit: Ita *Leontius* in ejus vita. Sed ad alios tranſeamus.

Carolus V. Imperator ac ſupremus olim orbis Monarcha, ut ſe ad mortem melius compararet, depoſito ſceptro & coronam, abdicavit à ſe totum imperium, & omnia regna Hiſpaniæ, Indiæ, aliaque quæ per orbem poſſidebat, ſeque in ſolitario Hiſpaniæ angulo abſcondit, ubi adhuc vivens curavit ſuas exequias ſe præſente celebrari, ut ſic futuræ mortis memoriam ſibi altius infigeret, & ſe ad eam ritè præpararet. Et nos mortis immemores de minimo terræ puncto litigamus.

B. Franciſco Borgiæ Gandiæ Duci & Catalauniæ olim Proregi, cui à Clemente X. Sanctorum faſtis adſcripto, dum hæc ſcribo, orbis Chriſtianus applaudit, en quantum profuerit ſeria mortis memoria. Franciſco commiſſum fuit cadaver Iſabellæ Imperatricis uxoris Caroli V. ad Regum ſepulchra Granatam deducendum. Cumque aperto jam loculo ipſi de more jurandum eſſet, illud eſſe Imperatricis cadaver, vidit illud adeo deformatum, & ſanie ac vermibus ſcatere, ut niſi aliunde id noviſſet affirmare non poſſit illud eſſe Imperatricis corpus, quod tamen in vita à ſumma formæ præſtantia celeberrimum fuit. Borgias hoc aſpectu commotus, o, inquit, inanes mortalium ſpes! Ad hoc devenit tanta maieſtas & pulchritudo! Sat Aulæ Regum, ſat datum eſt Dominis morituris. Ac poſtea Aulæ valedicens, Domino immortali in Societate *Ieſu* ſic ſervivit, ut ipſe ad immortalem inter Sanctos gloriam pervenerit. *Ita in eiuſdem vita.*

Refert P. Cottonus *Serm. de Morte*, quandam domicellam vitæ vanitati ac libertati adeo deditam fuiſſe, ut ex multis, quas Confeſſarius iniunxerat, pœnitentiis, ſemper diceret, ſe nullam poſſe implere. Hanc tandem à Confeſſario propoſitam admiſit, ut quoties manus lavaret, toties ſibi ipſi tacita diceret: Hæc caro vermium eſca erit. Hac cogitatione in animum altè admiſſa adeo immutata eſt, ut aliis deinceps optimo virtutis exemplo præluxerit. V. in Appar. V. *Mors.*

Iudicium.

DE iudicio Apoſtolus ad Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Et 2. ad Corinth. 5. *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum ſit.*

Refert hoc modo Ioannes Climachus, ſolitarium quemdam in Choreb habitaſſe. Hic cum diu negligentiſſimè vixiſſet, non habens animæ curam, morbo tandem ad extrema deductus eſt; cumque è corpore iam migraſſet, poſt horam ad ſe redit, rogans ut inde abſcederemus. Cellæ vero aditum obſtruens manſit intus annis 12. nihil præter panem & aquam guſtans, & ſedens attonitus volvebat ſemper quæ viderat, ita fixo cogitatu, ut nec vultum immutaret, vim ſolum lacrymarum profundens. Cum iam morti foret vicinus rupto aditu ingreſſi ſumus, cumque ab illo doctrinæ verbum ſupplices peteremus hoc tantùm audivimus. Ignoſcite mihi, nemo qui mortis & judicii memoriam verè agnoverit, peccare unquam poterit. Nos verò mirati ſumus talem in eo, qui negligens fuerat, beatiſſimam reformationem. Alia in Apparatu, V. *Iuſtitia divina.*

Infernus.

IBi *erit fletus & ſtridor dentium*. Matth. 18. Ibi *vermis eorum non moritur; & ignis non extinguitur*. Marc. 9. *Cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum*. Apoc. 21. Sed quis explicabit quid hoc ſit cruciari in ſecula ſeculorum? Conſidera tot annorum millia quot ſunt momenta in tempore à creatione mundi; quot guttæ in mari, quot arenæ in eius littore, quot in arboribus folia, quot in hominum capitibus pili, quot in cœlo ſtellæ: Nihil hactenus numerando profeciſti, plus enim reſtat quam numeraris, & æternitatis nec principiū quidem hactenus attigiſti. Hinc rogat Eſaias 33 *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante, quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis?*

Refert Venerabilis Beda *Hiſtor. Anglic. Lib. 3. c. 19.* B. Furſæum natione Hibernum, Peronenſium in Picardia Diuum tutelarem, ſemel in mentis raptu horrēdos inferni cruciatus aſpexiſse. Ex hoc breui infernalium pœnarum cognitione ita deinceps afficiebatur, vt etiā in rigida hyeme ſimplici tectus veſtitu ex earum recordatione ſtatim ex toto eius corpore guttatim ſudore efflueret. Si tantam vim habet gehennæ abſentis recordatio, quid faciet præſentis perpeſſio.

Idem Beda *in Hiſtor. Anglic.* narrat ſenem quemdam vitę reſtiturum in eremum conceſſiſse, vbi ſupra humanas vires auſteram & religioſam vitam duxit, increpabant eum vicini quod ſe enecaret: quibus ille in lachrymas ſolutus: O vtinam vobis datum eſset videre, quę ego vidi, certo certius affirmo, has pœnas nihil eſse ad æternas illas, quas vidi. Alia exempla in Apparatu, *V. Infernus.*

In vita S. Patricij refertur, quomodo Deus voluerit hominibus quandam infernalium pænarum ſpecie exhibere, quando S. Patricio orante ingens terræ hiatum cum nouem in eo foveis apertum eſt in quas ſi quis pœnitentiæ cauſa intrabat, horrenda dæmonum ſpectra, & ignis, & aquæ, & varij generis tormenta occurrebant. Ideoque locus ille in boreali Hiberniæ plaga Purgatorium S. Patricij ab incolis nuncupatur. *Idem tradit Gir. Cambrenſis in Topographia Hibern. Diſt. 2 Salterienſis, & Dionyſ. Carthuſianus de 4. Nouiſ. Part. 3. Art. 14.*

Gloria Cæleſtis.

SAnctus Stephanus vidit cœlos apertos & Ieſum ſtantem à dexteris virtutis Dei: & hæc cœleſti viſione quantumvis exigua ita recreatus eſt, vt nec lapides, nec perſequentium furorem, nec mortem ipſam formidaret.

De magnitudine huius gloriæ Exemplum inſigne refertur *in Speculo Exempl. P. 185.* De Monacho quodam viro admodum pio & religioſo, qui cum mane ſimul cum alijs eiuſdem Monaſterij matutinis precibus intereſset, & caſu in hunc ſcripturæ locum incidiſset, *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterijt*, cœpit ſecum cogitare, qui id fieri poſset, & in ea cogitatione reliquis ex choro digreſſis perſtitit aliquandiu, petiuitque ſibi illum verſum à Deo reuelari. Et ecce, continuo pulcherrima Auis ante oculos eius volat, & auolat; ille inſequitur etiam extra templum in nemus aliquod amplum & ſpatioſum haud procul à Cœnobio, illic auicula ſubſiſtens, adeo ſuaui ac cæleſti modulatione Monachum extra ſe raptum detinuit, vt ad trecentos annos, ſine cibo, ſine potu illi ſuauitati affixus permanſerit, donec tandem auis auolans illum dimiſit. Ille Monaſterium repetit exiſtimans per duas treſve tantū horas ab eo ſe abfuiſse, pulſant ianuā, accurrit ianitor, petit quis homo ſit, & quid velit? Sum, inquit, huius cœnobij Sacriſta, qui eo hodie poſt preces matutinas ſum egreſſus. Ianitor inſanum aut delirum putans, petit ab eo nomina Fratrum; ille ſingulorum nomina ordine profert, & mirans ſe non admitti petiuit adduci ad Abbatem, quo deductus, nec ille Abbatem, nec Abbas illum nouerat: interrogat itaque Abbatem de prædeceſſoribus alijſque qui deprehenſis ſunt à trecentis annis ibi vixiſse, atque ita tandem totum myſterium euolutum fuit. Quod ſi vna tantū in cæleſtis aulæ auicula, ita hominem veluti extra ſe rapere potuerit, quantum in cælo gaudium conciliabunt tot cæleſtium ſpiritum voces, ac ipſius Chriſti, Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum ſocietas perpetua: Si vna gutta tantùm deliciarum contineat, quid erit repleri vbertate domus Dei, & torrente voluptatis portari.

Huius doctrinæ documentum ſimul & exemplo in ſe præbuit Thomas Morus Angliæ Cancellarius. Cū enim Religionis cauſa à Rege in vinculis detineretur, vxor eius nomine Aloyſia multis precibus eum ſolicitare cœpit, vt ſeruiter tempori, ac Regis voluntati ſe

ſe accomodaret, neque oblatus opes ac honores repudiaret. Interrogat illam Morus, mea Aloyſia, hic amabo, quot annis bonis illis, quæ commemoras, fruemur? Reſpondit illa, viginti annis, ſi Deo ita viſum fuerit. Abi, inquit, ſtulta mercatrix, tu me vis cum caduca viginti annorū fortuna æternam gloriam & felicitatem commutare? Si viginti annorum millia diceres, aliquid tu quidem dixiſſes, quid tamen hoc eſſet cum æternitate collatum? Pereant omnia vitæ bona, & vita ipſa potius quam ego tanto periculo vitam in cœlo perpetuo duraturam exponam. Et vt duxit ſapienter, ita egit fortiter ac pro Eccleſiæ Romanæ defenſione caput ſecuri, gloriæ æternæ ſecurus obiecit. *Sander de Schiſm. Anglic. Lib.* 1.

In varijs etiam Sanctis Deus gloriæ cæleſtis aliquod initium in hac vita oſtendit.

S. Paulus Apoſtolus adhuc viuens raptus eſt in tertium cælum, & ibi audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.

Moyſes etiam in hac vita poſtquam montem aſcendiſſet, & ibi per quadraginta dies in oratione cum Domino verſaretur, facies illius ex diuino colloquio ita radiabat, vt filij Iſrael propter fulgorem inde emicantem non potuerint oculus in eius faciem intendere. Quanto maiori cum luce & ſplendore Beati in cœlo per omnem æternitatem fulgebunt, quorum corpora induent immortalitatem & incorruptionem poſt huius vitæ ærumnas pro Deo patienter toleratas, *Fulgebant Iuſti quaſi ſplendor Firmamenti, & quaſi Stella in perpetuas æternitates*, Daniel. c. 12.

In morte S. Franciſci vnus Fratum vidit illius ſanctiſſimam Animam in ſpecie Stellæ ſplendidiſſimæ ex illius ore emicare, & cum ingenti gloria in cœlum aſcendere. Nec mirum, inquit S. Bonauentura, illo cum Chriſto figuram ſtellæ præ ſe tuliſſe, qui etiam in hac vita ſtigmata Chriſti portauit. In *vita S. Franciſci*.

In funere S. Patricij Hiberniæ Apoſtoli exequias celebrauit Angelorum chorus, qui cæleſti luce, ſuauiſſimo concentu, & odoris fragrantia præſentium oculos, aures, atque animos miro modo recreavit. Quinimo totis duodecim diebus, quibus corpus inhumatum permanſit, exequiarum locus & regio vicina ſine noctis viciſſitudine continua luce colluſtra fuere: ut *in ipſius Vita* traditur. Plura V. in Appar. verb. *Beatitudo*.

CONCLVSIO.

Cæleſtis gloriæ ac beatitudinis noſtra radix & origo eſt Doctrina Chriſtiana, quam hactenus elucidauimus. Hæc enim eſt per quam Deum ut creatorem, ac remuneratorem noſtrum firmiſſima fide agnoſcimus, & agnoſcendo in eum ſperamus, ſperando diligimus, diligendo veneramur, & ad promouendam præſentem eius futuramque gloriam iuſtitiæ Chriſtianæ officia exercemus. Hæc eſt lucidiſſima illa Cynoſura, quæ nos in ancipiti huius vitæ curriculo inter adverſa, & proſpera perpetuò moderatur, ne à recto ſalutis æternæ curſu deflectamus. Hæc denique eſt, quæ in ipſis vinculis, carceribus, exiliis, bonorum, vitæque periculis, inuictos Chriſtianæ militiæ pugiles virtute roborat, patientia munit, Conſtantia obarmat. Non enim coronabitur, niſi qui conſtanter & uſque ad finem legitimè certaverit.

Ad hanc Conſtantiam ne deſint poſteris præclara ſuorum Maiorum Exempla, præſertim in Catholico Hiberniæ regno, illa hoc loco poſt hanc doctrinæ Chriſtianæ elucidationem, oportunè ſubijciemus.

EXEMPLA CONSTANTIÆ

Inter perpetuas pro fide Perſecutiones: præſertim in Catholico HIBERNIÆ Regno per huc 12. *uſque ſæcula.*

ECcleſiam Chriſti non immeritò Maiores noſtri à ſui exordio Militantem dixerunt. Hic conſtanter in acie ſtandum, hic milirandum, hic aduerſus Fidei hoſtes ſemper dimicandum fuit. Habet verò hæc militia id præ ceteris illuſtre, quod non magis ad Victoriā conferat magna agere, quam fortiter pati; neque magis glorioſum ſit pro Chriſto in cauſa Fidei alienum ſanguinem, quam proprium fudiſse. In hac patiendi nobili palæſtra ſuis conſtanter præire Dux ipſe ſupremus & voluit, & debuit: Oportuit enim Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam. Purpureum hoc Ducis vexillum firmo pede contra omnes Tyrannorum minas ſecuti ſunt Apoſtoli omnes, & ab Eccleſiæ exordio tot Martyrum myriades. Hoc quoque ęuo Europam qua patet circumſpice vniverſam. Quot in Belgio, aliiſque Regnis Chriſtianæ Conſtantiæ illuſtres victimæ cecidere. In vna Anglia ſub vno Henrico VIII. quindecim Superiores Regularium conſtantiam ſuam pro ſuſtinenda Pontificis authoritate ſuo ſanguine conſignarunt: Religioſi alij ad ceterorum terrorem ſupra quinquaginta fame, pædore carcerum, ac ſuſpendio ſublati, ac pene totidem Sacerdotes ſingulari eruditione ac coſtantia illuſtre, præter duo Regni ac orbis lumina Ioannem Fisherum Epiſcopum Roffenſem, & Thomam Morum Regni Cancellarium, qui pro tuenda fide Romana colla ſecuri intrepide ſubiecerunt.

In hoc quoque Conſtantiæ Theatrum ſuo iure non poſtrema prodeat tandem **HIBERNIA**, non vnius tantum æui curriculo, ſed per Duodecim pene ſæcula cum Fidei hoſtibus, cum Hæreſi, cum omnibus Tartari machinis & iniurijs, non indecoro Marte conflictata.

Ingêntia quidem ſunt Miracula quibus *S. PATRITIVS* vniuerſā Hiberniæ Inſulam pariter cum fidei lumine ab initio colluſtrauit. Verum illius nullum exiſtimo magis ſtupendum fuiſſe prodigium, quam quod in illa Gente quam à principio nactus eſt mobilem, & ad vagos Gentilium errores maximè procliuem, Fidei radices tam altè infixerit, fundamenta Religionis Romanæ tam validè firmauerit, vt contra inſurgentes omni æuo procellas per annos mille ducentos ad hunc uſque diem, firmam immotamque præſtiterit. Sapientis ſcilicet atque excellentis Architecti præcipua laus eſt, non ædificium extruere peregrino marmore opulentum, non magnifica fronte ſuperbum, non depictis auro laquearibus illuſtre, ſed firmis potius ſubnixum fundamentis contra omnes temporum iniurias, caſuſque venturos, ſartum tectum illæſumque conſtituere. Hæc tua laus eſt, magne Patrici, hæc dos primæua eſt, quam à Te pridem accepit tanto parente ter fœlix Hibernia: cuius in ea dote conſeruanda in hodiernum vſque diem Conſtantiam admirandam, mihi breui tantum compendio exponendam propoſui.

Annis à fundata per S. Patricium Hiberniæ Eccleſia quadringentis, quantis ea fuerit incrementis prouecta, quantis pietatis, ac doctrinæ ornamentis illuſtrata infinitum foret enarrare. Si *Pietatem* ſpectes, terram pridem incultam & horridam; eo tempore hortum cœleſtium deliciarum, & terreſtrem Paradiſum non immeritò noncupates. Quod ne à me liberali nimis elogios Pronunciatum videatur, teſtem appello *(a) Iocelinum* antiquitatis ſtudio illuſtrem Intra (inquit) breue temporis ſpatium nulla eremus, nullus pene terræ angulus, aut locus in Inſula tam remotus fuit, qui perfectis Monachis aut Monialibus non repleretur; ita vt Hibernia ſpeciali nomine *Inſula Sanctorum* vbique retraiū iure nominaretur. Vique plures in eandem ſententiam breuitatis ſtudio prætermittam, inſtar omnium erit irrefragabile S Bernardi teſtimonium *in Vita S. Malachiæ*. Verè, inquit, Sanctus locus, fœcunduſque Sanctorum, nec modo in ſe grātas, ſed in externas etiam nationes, quaſi inundatione facta, illa ſe Sanctorum examina effundetunt. Quot ex hoc numero in Europam vniuerſam pietatis propagan-

(a) *Iocel. p.* 173.

gandæ ſtudio æſtuantes ſeſe effuderunt (a) Columbani, quot in Galliam Fiacrii, ac Malachię, quot in Germaniam Kiliani, quot in Belgium Auberti, Levini, Rumuldi. Adeo ut quid quid iſto ævo Roma armis ac Religione, hæc extrema Europæ Inſula Sanctitatis ordo, ac ſtudio repleviſſe uideatur.

Quanta verò fuerit cum hac ſanctitatis lau, de coniuncta *Doctrinæ* excellentia, cum aliis pluribus teſtem ſeſe offert antiquiſſimus *Beda*, natione Anglus, non magis pietatis, quam ſinceritatis ſtudio Venerabilis: (b) Qui apertè aſſerit è gente Anglorum plurimos etiam Nobilium relicta ſua Patria divinæ lectionis ſtudio ſolitos eſſe in Hiberniam commigrare: (c) qui & duos Angliæ Reges Oſualdum, & Oſuinum apud Hibernos optimis diſciplinis imbutos ac inſtitutos eſſe commemorat. Quin & ipſe *Camdenus* ex eadem gēte licet heterodoxus affirmat, ea ætate Angloſaxenes in Hiberniam tanquam ad bonarum litterarum mercaturam magno ſtudio confluxiſſe. In Gallias quoque ex hoc communi artium omnium Emporio integros ſacrorum Philoſophorū greges enavigaſſe teſtatur *Altiſſiodorenſis* è Francorum gente author ampliſſimus. Ex hoc denique fœcundiſſimo ſcientiarū Lycæo prodiiſſet per Europam celeberrimarum Univerſitatum, ut Pariſienſis in Gallia, Papienſis in Italia, primos fundatores declarat diſertè (d) S. Antoninus aliique complures. Adeo ut ſis exclamare ò Hibernia! Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætata ſum in omnibus quoniam antecedebat me iſta Sapientia, quam ſine fictione didici, & ſine invidia comunicavi.

Invidit tamen hoſtis tartareus Hiberniæ hanc ſanctitatis ac ſapientię gloriam, quam ne pariter cum fide ad ſeram poſteritatem tranſmitteret, impia Exterorum arma in hoc dicatum pietati Domicilium ſummo impetu concitavit. Eo forte Divinæ Providentiæ id permittentis conſilio, ut gens illa quæ tot ſæculis pietatis ac literaturæ, eadem deinceps Chriſtianæ conſtantiæ documenta orbi præberet.

Anno ſiquidem reparatæ Salutis octingenteſimo, iuncti Danis Normanni armata claſſe (e) Hiberniam ingreſſi, inteſtina ubi inique bella ſuſcitarunt, vario eventu, ad annos pene ducentos continuata. Quo tempore vix ulla evaſit urbes aut oppidum, vix ulla celebrioris notæ Eccleſia, quam Paganorum impietas, & in Gentem Chriſto fidelem pertinax odium non everterit; adeo ut commemoret D. Bernardus in Cœnobium Benchorenſe elatos ſimul una die nongētos à piratis impiè deciſos. His Eccleſiæ Hiberniæ cladibus tam diuturnis ſucceſſit Procerum tam inter ſe, quam deinceps cum vicinis Regibus, Hiberniæ dominium affectantibus, perpetua pene dimicatio, quæ nondum obductus priorum temporum cicatrices acerbiori ſemper vulnere cruentavit. Inter has ſibi ſuccedentes temporum iniurias, & concatenatas Gentis univerſę calamitates, non parum deformata ſunt primæva illa Hibernicæ Eccleſiæ ornamenta, abacta Muſæ, ſuppreſſa ſanctitas, everſa olim florentiſſima priſcæ pietatis monumenta. Manſere tamen, quod mirere, omni ævo inconcuſſa à Patricio primum iacta fidei Catholicæ fundamenta. Non defuere unquam in tot exterorum aſſultibus domeſtici Athlantes, qui huius Eccleſiæ ruinam ſuis humeris ſuſtinerent. (a) Non ceſſavit in populo tot ſęculorum cladibus & iniuriis efferato cultus veræ fidei, ſacrificium, hoſtia, libatio. Non exulavit priſcorum temporum imitatrix pietas, ac religio, quamvis ad latebras, ad ſylvas, ad ſpelunchas toties relegata: ſplenduit illa in latebris, floruit in ſylvis, & ſpeluncis ipſis orbi Chriſtiano latius inclaruit.

Voluitur demum ferreum & ferale ſęculum quo ſuam inertiam & Hiberniæ conſtantiam indignatus Princeps tenebratum, toto Acheronte contra hanc gentem claſſicum inſonuit ſtygias phalanges armavit, bella, horrida bella toto furore, viribus totis adornavit; Infremuit enim graviterque indoluit tot Gentium ſpoliis inflatus Lucifer, poſt expugnatam & à fidei conſtantiam abductam univerſam Græciam, poſt everſam Luthero duce Germaniam, poſt concuſsam Calvini fraudibus Galliam poſt oppreſſam tartareo iugo Angliam, Daniam, Sueciam, Hollandiam; intractam adhuc, & ſuis viribus impérviam ſtare, & de Erebo triumphare Hiberniæ conſtantiam. Concipit igitur in huius Gentis exitium dignas Lucifero iras & odia, teluniq; machinatur non unum, non leve, non vulgare, immittit in ęthereas aureas multiplices orci phalanges, quæ gemina libidinis, & impietatis face regium Henrici VIII. pectus inflammas agāt. Neque verò ſegniter exarſit non tam Henricus quàm infauſta Hæreſis, quæ Regis animū incautè occupavit. Pervaſit illa Angliam, involuit Scotiam, proſtravit VValliam, iuvol- ven-

(a) *Lombardus p.2.12.* (b) *Lib.3.c.27.* (c) *Lomb. p.193. in Brev. p. 730.* (d) *Lomb. p.230. Sep.7.* (e) *Colgan. cent.1 in præf.*

a) *Boſſius l.8.c.1.*

uendâ quoque communi incendio non dubitabis Hiberniam, ſi neſcias quantas habeat vires vera fides; & armata fide conſtantia: hæc in periculis intrepida, in ſuppliciis immota, atque inter ipſas ſecures ſui ſecura conſiſtit.

Ad hanc cautem marpeſiam vbi tandem advertit Henricus ſiſti ſuum impetum, frangi furorem, ab inermi gente armata Edićta repudiari, tum demum velut adverſus gentem ſibi inimicam in nouas iras aſſurgit, & parem iracundiæ ſuæ vindictam meditatur.

Conſpexere Hiberni, firmiores fidei Romanæ pugiles vndique ad cædem & ſupplicia ſub Henrico deſignari: nihil hinc de fide in Deum, nihil de fidelitate in Regem remittere. Trahuntur intereà in vincula religionis cauſa innocentes ſubditi, erigũtur feralia pegmata, ceruices crudeli ferro indies ſubijciuntur. At horum fides ex aliorum morte vivacior, non dubitat lictorem, ferrum, ſupplicia intrepida ceruice expectare, ac ſi vitam amittere nequirent, quamdiu fidem vita ipſa chariorem retinerent.

Vtque luculentius ſcirent vniverſi, Hæreſi regio ferro armatæ nihil eſſe ſanctum, nihil inacceſſum, non dubitauit exemplum in ingens duos ex ipſo (a) Cardinalium Collegio publico ſupplicio afficere, & venerandam purpuram nobiliori murice cruentare. Duces, Marchiones, Comites, Comitumque filios pluſquam duodecim tremendo orbi ſpectaculo ſecuri ſubiecit: & inter hos ex Hibernis illuſtriſſimum Kildariæ Comitem Thomam Fitſgarrettum ſimul cum quinque avunculis uno die ad totius Inſulæ terrorem infami ſupplicio interemit. E Baronum, Equitumque numero ſupra octodecim capita demeſſuit. Abbates, & Priores Cœnobiorum tredecim, Presbyteros ac Religioſos ſeptuaginta ſeptem bonis pariter ac vita exuit. In reliquam nobilitatem, ac plebem Catholicam ebria iam cruore hęreſis tam latè ferro graſſata eſt, ut teſte qui tunc vixit, Sandero, numerum omnem, fidemque ſuperaverit.

Nonne tandem tremere inter hæc Hibernia! nonne fluctuare, nonne fortunæ, ſoboli, vitæ, aliorum more conſulere? Tremeret ſanè, meritoque ad hæc fluctuaret Hibernia; niſi à Patricio tanquam cæleſti Appolline in negotio fidei altiùs firmata, inter trepidantes Inſulas dudum numerari deſiiſſet.

Sed hæc initia tantùm ſunt dolorum ò Hibernia! quantò tu firmius in fide perſiſtis, tantò tibi diuturniora prælia Hæreſis indicit.

Mors quidem Henricum è vivis, ſed non Hæreſim eripuit. Hæc velut hæreditario iure pariter cum corona ad Elizabetham tranſlata, per totos quadraginta annos parem tibi ſeruitutem, parem calamitatum iliadem exhibebit. At tu malis pro fide tolerandis aſſueta, ex aduerſo oſtendes, neque malorum numero, neque diuturnitate temporum, innatam tibi conſtantiam frangi poſſe aut labefactari.

Poſt tot exhibitas orbi tragœdias parum ſibi profeciſſe viſa eſt veſana hæreſis, ut liberius fureret, exemplo hactenus inuiſo, fœmineo vertici cum regia corona, Pontificis quoque Tiaram imponit, ut ſupremo vtriuſque poteſtatis apice formidanda, gemino velut fulmine Sacra omnia ac profana miſceret. Pergit igitur hæc, Dominante Elizabetha, maiori quam cœperat impetu ac furore Templa olim avita maiorum pietate erecta toto Hiberniæ regno Catholicis eripere, Cœnobia omnia pro ſua libidine in uſus profanos convertere, reſidua Eccleſiarum bona in nouos impietatis miniſtros tranſcribere, Regni Antiſtites, Presbyteros, homines Deo dicatos in latebras, in exilia, in vincula adigere. Hæc ut violentius exequeretur, nouo Decreto armatur publica Comitiorum auctoritate roborato, quo omnibus Miſſæ Sacrificium, aut Sacramentum aliquod Romano more adminiſtrantibus indicitur, vt prima vice ducentos aureos aut ſex menſium vincula incurrant: ſecunda quadringẽtis aureis aut vnius anni carceribus adſtringantur: Tertia demum vicè vt perpetuo ergaſtulo addicti, omnibus pariter fortunæ bonis exuantur. Hæc prima Decretorum fulmina in extremum Religionis exitium toto regno evibrata, Clerum vndique tam ſecularem quam regularem vel in extremas domi anguſtias, vel in vaga per Europam exilia adegerunt.

Sed nequid rei Catholicæ integrũ illæſumque permaneret, non leviora in Laicos reliquamque gentem tela detorquentur. Quorum vt plurima prætercam; id omnibus in commune indicitur, ut ſi qui ex vniuerſo regno, etiam de plebe infima, feſtivis diebus à Nouatorum templis abeſſent, toties in pœnam, plebęis cervicibus gravem, aſſes duodecim in ſingula familiæ capita perſoluerent, vt tandẽ lento hoc ſupplicij genere conſumptis viuendi medijs, aut vitam ipſam, aut fidem prodigerent. Hæc ſanè tortura populo inopi, torque antea malis exhauſto quauis cataſta aut equuleo grauior apparere potuit. Verũ ad labetactandam hibernicę plebis conſtantiam tã

(a) *Sander. Lib. 1. Fol. 421.*

parum invaluit, ut inventi ſint non pauci, qui omni ære ac peculio hac ratione pene cōſumpto, quod reliquum erat in Exactorum manus vltro obtulere, rati ſeruato tantùm Fidei theſauro, ſe ſatis fore in pauperie diuites, in mendicitate opulentos.

Quoniam ergo his artibus lentum videbatur in externas facultates & corpora graſſari, compedes denique & catastas multò grauiores excogitauit impia Hæreſis, quibus animas ipſas conſtringeret, & conſcientiæ ſoli Deo ſubditæ vim inferret. Huiuſmodi fuit nouum Iuramenti genus, quo neceſſe foret profiteri Reginam eſſe ſupremam gubernatricem omnium ſuorum Regnorum non minus in rebus ſpiritualibus atque Eccleſiaſticis, quam temporalibus & politicis, abiurata penitus omni poteſtate ac iuriſdictione Pontificia. Qui iuramentum hoc præſtare recuſarent ſtatutum fuit vt prima vice bona eorū omnia fiſco cederent, ſecunda pœnam capitis perduellionum more incurrerent. Hæc violenta animarum carnificina quanto apertius intima veræ fidei penetralia impetebat, tantò conſtantius ab vniuerſa Gente ſpretis tot pœnarum terroribus, omni tempore reiecta ac repudiata fuit.

Quis mihi nunc calamus deſcribet, pro tuenda in fide conſtantia ea tempeſtate quot Sacri pugiles in arenam prodiere, quot vincula decorarunt, quot carceres nobilitarunt, quot regna exilijs, quot tribunalia diriſſimis quæſtionibus ac ſupplicijs impleuerunt. Vt præteream è media plebe innumeros partim ferro, partim exilijs tot annorū curriculo miſerè confectos. Inter ſupremos Eccleſiæ Hibernicæ Antiſtites recenſere poſſim primò Archiepiſcopos omnino quinque, ex Archiepiſcopatu. Armacano duos regni Primates Creaghium, & Gauranum: ex Caſſellenſi Hurlæum, & Gibbonum: ex Tuamenſi Nicolaum SKerettum: quorum omnium acta eximia, & admiranda conſtantiæ exempla, niſi breuitati ſtuderem, promptum eſſet palam orbi Chriſtiano exhibere. Ex Epiſcoporum numero reperio non pauciores quam tredecim non minus Tiara quà virtute conſpicuos, qui varijs ſupplicijs & ærumnis pro conſeruanda orthodoxæ fidei integritate vitam vltro poſuere. Ex alijs Prælatis, Presbyteris, ac Religioſis, præter alios mihi ignotos, monumentis conſignatos reperio ſex ſupra triginta qui eadē cauſa, non diſpari exitu vitam pro fide oppignorarunt. Infinitum foret huc ad calculos reuocare ex primarijs Hiberniæ Familijs illuſtres Fidei Heroes, quos innata in Religione conſtantia & perſequentium furor in exitium adduxit, quorum aliqui cum tota progenie in perpetuum proſcripti, non dubitarunt Religionis veræ cauſa in interitum ruere voluntarium.

Poſt hanc malorum iliadem, & continuam per annos quadraginta & quod excurrit bonorū animorumque in fidei cauſa torturam, cum Elizabetha è viuis abeunte nondum clauditur feralis Hiberniæ tragœdia. Sub Iacobo, nouo Rege, noua calamitatum ſcena aperitur, quæ Gentem tot malis confectam & penè exanguem in nouum conſtantiæ theatrum adducet. Spargit primò inſana Hæreſis per vniuerſum regnum auidos prædæ Satellites recentibus edictis armatos, qui confractæ Gentis reliquias nouis rapinis, ac tributis exhauriant. Introducit deindè inextricabiles quæſtiones de Religione Romana,(a) eiuſque in ſingulis pene articulis exercitio, de auitis Catholicorum poſſeſſionibus ad ſeuerum examen reuocandis, de fundis & latifundijs partim grauandis, partim ad alios Dominos transferendis, de nouo Reip. ſtatu conſtituendo de nouis Anglorum colonis introducendis, de nouis Miniſtris inſtituendis ac dotandis, de nouo Titulorum ac hæreditatum iure ſarciendo, quo facilius poſſent veteres coloni de auita poſſeſſione deturbari. At fruſtra ſæuit in electum Chriſti gregem velana Hæreſis: non frangitur, non flectitur, non labefectatur fida Deo, fida Regi Hibernia, ſed Paſtoris ſui vocem ſecuta, tanquam ouis ad occiſionem ducta, coram tondente ſe, ac laniante obmuteſcit. Conſpirent in hanc vnam omnes Erebi phalanges, non cedet: mille opprimant iniurijs, non ſuccumbet: omnia maiorum decora ac monumenta poſteritati eripiat, hanc illa fortunam, quantumuis diram ac luctuoſam, non repugnando, ſed patiendo ſuperabit. Non recuſat illa & corpus, & omnia corporis ſubſidia ſecari, diuidi, lacerari, modò Caput hoc eſt, Regis ſui coronam, aut Pontificis tiaram non attingas, his ſolùm protegendis pridem vitam atque arma conſecrauit.

Hic ego prætcritorum temporum Annales & memoriam vltimam appello, ſi vlla vnquam Europæ Regio tanta malorum ſerie Religionis cauſa exagitata, contra omnes hominum dæmonumque iniurias, tot annorum luſtris, conſtantia tam intacta atque inconcuſſa, in auita fide permanſerit. Græciam concuſſit Ottomanus, & dudum cecidit illa tam nobilis, totque fulta præſidijs Orientis Ec-

(a) Elizabeth. Pag. 1. Art. 5.

Eccleſia. Germaniam inuaſit Lutherus priuato potius furore quam publico terrore armatus, & ecce quot regna, quot prouinciæ nobiliſſimè exiguo tempore Religionis auitę ruinam ſuſtinere. Centum iam & amplius annis ſine alterna requie, cum armata furijs hæreſi, cum carceribus, cum exilijs, cum ſtricto lictoris mucrone, ſola, inopes, inermis, exhauſta decertat Hibernia: & adhunc laceratis vndique fortunis, integra tantùm fide in Deum, & fidelitate in Principem in arena & agone perſiſtit. Iactent alia Regna opes & potentiam, ſtrato claſſibus maria, ſubactos latè populus, aduectas ab extremo oriente gazas. Tibi autem, ter beata Sanctorum Inſula, abſit gloriari niſi in cruce Domini tui; in ſeruitute in iugo, in paupertie pro Chriſti Fide conſtanter tolerata: hiſce tu ſaltem Titulis & inſignibus decorata, in Catholicorum regnorum Faſtis primas non immeritò obtinebis.

Piget fortaſse hactenus triſtes rerum imagines, & continuas vnius Regni tempeſtas ſine altero benignioris ſyderis aſpectu veſtris oculis animiſque repræſentari. Verum, non eſt cur pigeat nos dicendo pergere, quamdiu non tædet Hiberniam patiendo perſeuerare. Vocat nos demum vltima, ac pene fatalis tragœdiæ huius cataſtrophe, in qua non tantùm acerba temporum anteriorum vulnera, ſed ipſius pene Sanctorum Inſulæ interitum ſpectare cogemur, ſi tamen interire dicenda eſt quamdiu viuit fides, ſpirat pietas, & ſecura vitæ melioris conſtantia in ipſo quaſi funere effloreſcit.

Poſtquam igitur hæreſis, nullis vnquam cladibus, nullo ſanguine ſaturata, in hæc remotiora Regni Anglicani membra per tot annorum luſtra impunè deſæuijt, non dubitauit demum inſolenti facinore in ipſum regni caput violentas manus inijcere; illud, inquam, caput truculento ferro præcidere, quod ipſa pridem in Eccleſiæ Anglicanæ Caput euexit. Ataque ita hæreſis eadem vti facinoris huius auctrix, ita vltrix fuit, dum auſa eſt vno ictu regni pariter ac Religionis ſuæ Caput amputare. Spectauit inulta domeſticum ſcelus ipſa Anglia, & cæteri Europæ Principes potentiſſimi. Non tulit tamen ab ipſo exordio illatas Regi ſuo iniurias, vti fide in Deum, ita fidelitate in Regum aſſueta Hibernia. Erexit ſe quamuis oppreſsa, armauit ſe quamuis hactenus inermis, & præpotentes Anglicani Parlamenti copias in ſe vltro concitauit. Ante omnia pro Fidei tutela ac defenſione Catholicum Concilium Procerum ac Prælatorum ſibi præfecit, qui Regis licet eo tempora exulis, & abſentis nomine Regni habenas, & arma adminiſtrarent. Quoque ſe, ſuamque cauſam Deo, eiuſque in terris Vicario arctius adſtringeret, Nuncium Apoſtolicum à Romana Sede petijt, & impetrauit. Neque ex alia parte deſtitit miſſis continuò Delegatis Regis ſui aduentum ſollicitare, donec tandem Rex alium, qui Catholicis armis præeſſet, ſuo nomine ſubmiſit. Quamuis hinc non ignoraret Hibernia, hoſtes regio nomini infeſtiſſimo in ſuum exitum iras omnes & arma conuerſuros. Fauit quoque ab initio ſinceris Hiberniæ conatibus diuina Clementia, ac fœlicibus auſpicijs totum pene regnum Catholicis armis, ſuiſque Regis obſequio ſubiecit. Fauſtis hiſce progreſsibus, ac lucido Fidei penè triumphantis interuallo incitata iterum Hæreſis, odijs pluſquam furialibus omnia domi foriſque miſcere, turbare, agitare aggreditur, ne Gentem tanto tempore ſuæ tyrannidi ſubiectā, in nouam fidei liberalitatem aſsurgere patiatur;

Cromuuellum igitur æui ſui portentum, eiuſque copias Regis ſui cæde infames, ad Religionis, ac Regi nominis interritum in Hiberniam latè effundit: qui omnibus toto regno edicit vt qui ſe, ſuaque ſeruata volunt, relicto tantùm Rege ac Religione Romana, Parlamenti Anglicani Leges ac Iura recipiant. His ſine mora conſtanti fide repudiati: ac demum poſt varios caſus regni viribus qua vi, qua dolo miſerè laceratis, quę, quantaque pro Rege ac Religione Ciuitates ſingulæ ſuſtinuerint ad perpetuum conſtantiæ exemplum deinceps ſpectabimus. (*a*)

Cæſis non ita pridem ad Dublinum Catholicorum copij, Vrbi Pontanenſi, quæ à Septentrione Dublino adiacet, hoſtilia caſtra admouentur: hæc quamvis externo auxilio deſtituta, contra perpetuos victricium copiarum aſſultus tam fortiter ſtetit ac dimicauit, quam ſi ex ſuo lapſu totius patriæ ruinam formidaret. Donec tandem hoſtium numero magis quam virtute ſuperata, vitam paciſci coacta fuit. Sed & hanc innata hæreſi perfidia promiſcua cæde innocentibus ademit; extractis quoque è latebris ac publico ſupplicio affectus quos pro Rege ac Religione fortius ſtetiſse conſtabat. Inter quos (*b*) P. Ioannes Batthæus è Societate *IESV*, cum fratre Sacerdote ad ſtipites alligati, & plumbeis glandibus traiecti, nobiles fidei victimæ occubuerunt.

Hoc

(a) *Anno* 1648. 2 *Auguſt.*
(b) *Annuæ Soc.* 1650.

Hoc rerum ſuceſsu ad nouas cædes incitata hoſtium crudelitas, pari furore atque impetu VVexfordiam aggreditur, Vrbem maritimam auitæ fidei, & authoritatis regiæ omni æuo tenaciſſimam. Hæc vt erat inſigni ciuium robore, & natura loci munitiſſima, prius ſe hoſtium dolo captam vidit, quam capiendam formidauit. Irruunt denſo agmine hoſtiles copiæ, obuios quoſque proſternunt, ac præ cæteris ſacratos Deo homines ad necem depoſcunt. Inter hos ex ſacra S. Franciſci familia ſeptem omnino innocentes victimę cecidere, tam intrepida omnium ordinum in aperta fidei profeſſione conſtantia, vt etiam ex imbelli ſexu vltro accurrerint Sacræ Deo Virgines, quæ ſe numero cælorum adijciendas obtulere.

Neque tamen hæc immania crudelitatis exempla cæteras Hiberniæ vrbes permouere potuerunt, vt cum minima Religionis aut regiæ authoritatis iactura, pro ſe ſuiſque fortunis cum hæretico hoſte paciſcerentur. Eodem quippe hoſtiū furore, eademque ciuium conſtantia occupatur *Roſſia*, expugnatur *VVaterfordia*, fruſtra ciuibus oblata rerum omnium, præterquam Miſſæ, libertate. Ac demum poſt geminam obſidionem opprimitur magis proſternitur *Clonmelia*, quam hoſtes ipſi ab admiranda fidei firmitate, paruam Romam nuncupare.

Stabat hactenus inter vicinarum vrbium ruinas fida ſemper Deo, fida ſemper Regi *KilKenia*, quæ olim Regni Delitiæ, & Muſarum Athenæ, ea verò tempeſtate Catholici Concilij ſedes nobiliſſima fuit. Hanc velut amputatis membris exanguem, & vndiquè deſertam, impius hoſtis totis viribus ſibi tandem oppugnandam ſuſcepit, vt quam non poterat ſtantem, ſaltem languentem opprimeret; oblata ſæpius conditione, vt ſi in Parlamenti Anglicani fidem ſe daret, eadē cum *Londino* immunitate gauderet. Maluit tamen illa cum populo Dei affligi, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Incenſis itaque, ne ab hoſte occuparentur, proprijs ſuburbijs, non tantum violentam obſidionem, ſed etiam ſupremum totius exercitus aſſultum intrepida ſuſtinuit. Donec tandem ruentis patriæ caſum ſecuta, cum ſuo Antiſtite Dauide Rotho in hoſtis poteſtate redacta eſt: à quo deinceps, ità in longum protracta, eam ſubijt pro Fide ac Rege bonorum iacturam, ac primariæ nobilitatis lentam carnificinam, quam & animus meminiſſe, & manus exarare pe horreſcit.

Vnum tamē multis teſtibus eo tempore geſtum, non eſt vt taciti præteream. Stabat tunc, & ſtat etiamnum KilKeniæ, in ſplendido vrbis foro moles lapidea ac magnifica eleganti opere per modū obeliſci in ſublimè aſſurgens: huic innituntur quatuor excelſæ columnæ, quæ ſupremam totius operis partem ſuſtentant: ad has à quatuor partibus per lapideos gradus in altum aſcenditur. Supra hâc molem ad publicam venerationem lapidea Crucifixi ſtatua in ſuprema cuſpide eminebat, quam in illum diē nullus hæreticorum furor deformare, aut violare auſus fuit. At verò poſt vrbem à Cromuelliano milite occupatam, conuenere ex illis in forum aliquot impietatis anteſignani ſclopis armati, ac directis in illam Crucifigi ſtatuam crebris ictibus, vt impietati triumphum canerent, nobile illud Crucis trophæum ſibi demoliendum ſuſceperunt, quod & pertinaci tandem rabie perfectum fuit. Sed ecce, huius impietatis artifices Deo vindice, pede non claudo pœna ſecuta eſt. Sic omnes diuina vltio, & occultus languor invaſit, & miſerandum in modum afflixit, vt eorum nullus intra paucos dies ſuperſtes fuerit. Non potuit KilKeniæ occumbenti minor victima immolari. Hoc ego ex publico & recenti eo tempore teſtimonio, & ex viris fide dignis qui eo loco tunc degebant, & ex Annuis in Vrbem litteris compertum habeo.

Sed ad te nunc propero nobilis *Corcagia*, in hoc Conſtantiæ theatro cum Fidei hoſtibus non indecorè decertantem. Vrbs hæc per Momoniæ Præſidē ſine belli ſtrepitu aſtu occupata, grauiora bellis pro Deo ac Rege certamina ſuſtinuit. Gener namque Præſidis vrbi præfectus, ac nulli Catholico fidendum ratus, publico edicto omnibus palam indicit, aut Romanam fidem, aut vrbem aure veſperum eſſe deſerendam: atque in communis fugæ ſignum ternam bellici tormenti exploſionem inſtituit. Spectaculum vrbi miſerandum ſed orbi admirandum, ac cælo glorioſum! Ante tertium tormenti ſignum, ciues omnes, matres cum infantibus, ac graues ætate Senatores cum vniuerſa familia in campos effuſi, in exilium abiere voluntarium, auitam religionem auitis opibus ac laribus præferentes, manè opulenti, veſperi rerum omnium, præterquam fidei ac fiduciæ in Deum penitus egeni.

Poſt tantos vicinarum vrbium terrores, nonne aliquid de ſua erga Regem ac Religionem obſeruantia remittet *Limericum* vrbs ampliſſima, ſed omni ſpe auxilij iam penitus interclusa. Spem quidem illa, in communi patriæ ruina, abijcere potuit, ſed fidem non potuit, vt hanc vel ipſa morte tueretur, hoſtem

inte-

intrepida exſpectavit, diuturnam obſidionem undique deſerta ſuſtinuit, & ad extremum cum plurimorum civium, ſui Antiſtitis, ac fortunarum omnium interitu, conſtantiæ ſuæ ac fidei famam ad poſteros tranſmiſit immortalem.

Cadente undique Patria ſtabat adhuc in armis *Ultonia*, quam ne dubitares ſacro bello manus conſecraſſe, Epiſcopum ſibi Colcherenſem in ſupremum armorum Ducem elegit. Hunc pro Deo ac Rege ſtrenuè dimicantem, Carolus *Ccotus*, ſua in Catholicos ſævitia ſat notus, infami tandem aſtu circumvenit; captumque cum plurimis proceribus, cum fide non poſſet, vita ſpoliavit.

Deletis copiis & ſubactis paſſim urbibus, ſola ſupererat *Galvia*, ad deditione ab hoſte ſæpè ſollicitata. Sed hæc etiam ſola, ſuorum civium eximia fide ac virtute ſuffulta, non dubitavit ad annum penè integrum contra ferociſſimum hoſtem totius belli molem ſuſtinere: maluitque demum ſuo interitu occidenti patriæ parentare, quam cum minima perfidiæ nota ſe ſuorumque fortunas à communi exitio conſervare.

Quæ mihi nunc manus, quæ lingua exponet vel tenuem umbram illarum calamitatum, quas captarum urbium ac provinciarum incolæ à juratis fidei hoſtibus deinceps ſubierunt? dum propriis ſedibus undique expulſi, alii ad duriſſimas quæſtiones & lanienam quæſiti, alii ad ſteriles Conatiæ ſcopulos compulſi, graviores ipſa morte preſſuras ſuſtinuerunt. Quæ omnia ſi ad calculum hic revocare prolixum non foret, liquidò conſtaret, pluſquam centum Catholicorum millia in Romani nominis odium vita, hæreditate, aut patria ſpoliata fuiſſe: quodque obſtupeſcat ſera poſteritas; ad redimendum tantas tamque diuturnas calamitates, vix in toto Regno inventi ſunt etiam ex infima plebe, qui in animum induxerint ſuum, deſerta aut etiam diſſimulata Romana fide hæreſi manus dare.

Eſt ſanè (inquies) cur Genti fideliſſimæ orbis Chriſtianus meritò gratuletur. Nunc præſertim, poſtquam Cromuelii impietas ſuum curſum conſummavit, Hibernia fidem ſervavit, repoſita eſt Carolo Regi debita juſtitiæ corona. Rectè id quidem. At, ſi neſcis, extinctus eſt dudum aliis, vivit adhuc Hibernis Oliverius. Spoliavit ille avita hæreditate ſubditos Regi fideliſſimos; manent illi maxima ex parte etiam hodie ſua hæreditate exuti. Cives toto regno muratis urbibus, ac propriis laribus excluſit: coguntur illi etiamnum velut in patria ſua extorres propriis ſedibus exulare.

Nobilium terras ac prædia in perduellem Regi militem diſtribuit: hoc premio adhuc fruitur, præſidia, hac pœna plectitur adjurata Fidei, Reique conſtantia.

At credo ego, non adverſo Gentis fato, ſed arcano quodam divinæ mentis conſilio, Hibernis in ipſa patria incumbere hanc omnibus admirandam ſuæ patriæ orbitatem. Ne ſcilicet illis unquam deſit ulterior paleſtra, in qua eorum erga Deum Regemque conſtantia exerceatur. Utque cæteris vitæ bonis ac curis exuti, id unum curare pergant, ut acceptum à majoribus ſinceræ Fidei patrimonium ad ſuos hæredes integrum inviolatumque tranſmittant.

Hæc tua hæreditas, hæc tua gloria eſt, ò magne *PATRICI*! qui intimis hujus Gentis pectoribus eam infixiſti Romanæ fidei conſtantiam, quam nec longa dies, neque tot retro ſæculorum cum ethnica impietate certamina, neque centum & amplùs annis armata ferro Hæreſis, neque tota inferorum rabies, per mille & ducentos annos concutere potuit, aut labefactare. Quin potiùs ſuis aucta diſpendiis, novis aſſiduo cladibus creſcit, preſſuris aſſurgit, roboratur injuriis, facilis pati rerum omnium, præterquam fidei ac conſtantiæ detrimenta.

Tua, inquam, hæc perennis gloria eſt, ter magnæ Inſulæ Sanctorum Apoſtole, qui hanc Hiberniæ Eccleſiam tanquam primævam Petri ſobolem ſupra Romanæ fidei petram ita ſolidaſti, ut adverſus eam, numquam portæ inferi prævalere potuerint. O Eccleſiam verè petram, ac Romanæ Petræ verè æmulam! niſi quod hæc in diuturna pace, tu in perpetuo cum hæreſi bello; hæc in opibus, tu in egeſtate; hæc in gloria, tu in contemptu, hæc in nobili purpuratorum Senatu, tu tuo tantum ſanguine purpurata contra omnes Erebi aſſultus immota perſiſtas.

Veſtra quoque hæc eſt gloria poſthuma Patricii progenies toto orbe diffuſa, in quorum pectoribus etiamnum magni Parentis ardor, ac ſanguis efferveſcit. Quibus ſatiùs eſt per exilia, per inopiam, per vagas ſedes, hanc fidei conſtantiam in ſe aliiſque tueri, quam degeneres annos ad patrios focos inerti otio conſumere. Ex quorum numero nunquam hactenus defuere antiquæ fidei novi pugiles, qui in hac Patricii arena magno animo decertarent. Quorum alii, ut de viris Apoſtolis cum Apoſtolo loquar, vincula & carceres experti, alii egentes, anguſtiati, afflicti, alii in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & cavernis terræ, ut ipſi in teſtimonio fidei probati, hanc

etiam ſuo ſudore ac ſanguine aliis comprobarent. Hæc nempe omnia etiamnum operatur primævus ille Patricii ſpiritus, qui in germana ejus ſoboleque hodie perſeverans, ad perferendas pro Chriſti fide ærumnas ac labores conſtantiam animoſque ſuppeditat.

Hæc illa fidei Conſtantia eſt, ô Hibernia, quæ Filios tuos tanto numero Doctrinæ ac Sanctitatis laude domi, foriſque illuſtravit. Hæc eſt quæ doctrina ac pietate illuſtres ad publicam Eccleſiæ lucem per omnes Europæ gentes toties evexit. Hæc eſt quæ hac etiam tempeſtate, ſobole numquam deficiente, viros ſummis muneribus pares ad ſupremas patriæ ſuæ Inſulas ſubminiſtrat. Hæc illa una eſt quæ tecum omni ævo perſiſtens, orbi admirandam, cœlo glorioſam, hæreſis toties devictæ formidandam efficiet. Habeant ſine invidia aliæ Gentes inanes titulos, fluxas opes, inſtabilem potentiam: habeat ſua gazas Iberia, ſuas vires Gallia, ſuas artes Italia, ſuas opes & gemmas America: peribunt opes, ſuccumbent vires, deficiente artes, Tuæ autem ſint artes & divitię, pro Chriſto divitiis carere, aliaſque gentes non infidis opibus, ſed opulenta Fide, & invicta fidei Conſtantia ſuperare. Hanc tecum ſera poſteritas poſſideat, *Hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſſibilem, conſervatam in cælis in Vobis qui in virtute Dei cuſtodimini per Fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo, in quo exultabitis: modicum nunc oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtra Fidei multa pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelatione Ieſu Chriſti, Domini noſtri.*

NOTA.

QVoniam poſt illa, quæ hic tradidimus, creverunt in immenſum veteris Conſtantiæ argumenta nova & Illuſtriſſima, non tantùm in aliis ærumnis pro Fide fortiſſimè toleratis, ſed etiam in glorioſa morte Primatis Hiberniæ, Archiepiſcopi Dublinenſis, aliorumque carceribus & exiliis, &c. Hæc etiam ſingula infrà in calce hujus Tomi proſequimur, & pro poſteritatis memoria ac incitamento hiſce monumentis fideliter conſignamus.

PARS QVARTA.

PRAXIS

ASSISTENDI PER OMNIA ÆGRIS, MORIBVNDIS, Aliiſque, in quovis Statu.

DE diſpoſitione requiſita in ægro aut moribundo quoad ſuſceptionem Sacramentorum, tractatum invenies ſuprà, ubi de Pœnitentia, Euchariſtia, & Extrema Unctione actum eſt. Hic jam tradimus praxim juvandi infirmum ut ex parte ſua diſpoſitionem illam actu habeat, & alios Actus eliciat, qui conducunt ad ſtatum gratiæ acquirendum, augendum, aut conſervandum, maximè in illa ultima lucta & agone, in quo agitur de tota æternitate. Minimè enim ſuo officio ſatisfaciunt Confeſſarii, qui vix ullis remediis inſtructi, tanquam imperiti medici, ad ægros aut moribundos accedunt: cùm ſæpè ab oportunis eorum monitis, & auxiliis morientium ſalus æterna dependeat.

§. I.

Quid Confeſſario in primo ad Ægrum acceſſu curandum.

PRimò igitur Sacerdos ad ægrum vocatus, curet, ante omnia in ſe ipſo excitare magnum deſiderium procurandi ſalutem ægrotantis, hac brevi conſideratione ex S. Dionyſio, *Divinorum diviniſſimum eſt cooperari ſaluti animarum*. Et animo ad Deum elevato ex corde dicat. O utinam poſſim juvare hanc animam, ſicut vellem juvari meam in extremo vitæ momento, ex quo pendent tota æternitas; Deindè incipiat ſecum præmeditari

quo

quo modo ex his praxibus debeat cum ægro procedere.

Secundò, Si deprehendat morbum eſſe periculoſum, conabitur impedire frequentem amicorum acceſſum, & alioquium de rebus mundanis multò magis inanes eorum gemitus ac ploratus: ut ſic æger habeat otium convertendi animum ad cogitationes pias, & ſalutaria Sacerdotis monita.

Tertiò, Curabit ob oculos decumbentis apponi imaginem Crucifixi, aut aliam, quæ poſſit in illo Dei, ac Salvatoris ſui memoriam excitare: & Aquam luſtralem in promptu haberi, qua æger & lectus frequenter aſpergatur.

Quartò, Si medicus aut amici non audeant ægrum de propinquo mortis periculo monere ipſe Confeſſarius id ſuaviter & benignè faciat hoc enim omittere crudelitas eſt non clementia; ſolet namque æger per notitiam propinquè mortis ad ſeriam animæ ſuæ curam multo magis excitari. Poterit itaque periculum his verbis diſcretè & molliter indicare: „Sumus omnes mortales, neſcimus autem diem neque „horam, medicus judicat morbum hunc non „carere periculo: non nocet igitur tempeſtivè diſponere domui tuæ, imò juvare poteſt „ad corporis, & animæ ſalutem.

Quintò, Moneat, vt ſi nondum fecerit, Teſtamentum abſolvat, vt tantò liberiùs curas omnes ſaluti ſuæ tantùm impendat. 2. Ut ſi quid reſtituere debeat, juſtitiæ ſatisfaciat. 3. Ut pro animæ ſuæ ſolatio procuret Eleemoſynam fieri in pauperes, & Sacrificia, & alia Eccleſiæ remedia, dicatque ægro; ſi ipſe nunc Tui oblivíſcaris; quantò magis amici poſt mortem tui obliviſcentur? 4. Ut ex animo remittat injuriam omnibus, qui ipſi inimici & moleſti fuerunt ad imitationem & amorem Chriſti, & qui moriens pro crucifixoribus oravit dicens, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt? 5. Ut ipſe veniam poſtulet ab omnibus, quos dicto vel facto offendit.

Quando autem advertit infirmum mortis nuncio angi aut turbari, debet in promptu habere motiva quibus mortis horrorem minuat, & ad ſequentes reſignationis actus ægrum inducat: qui etiam pro ſanis valere poſſunt, ad tollendum nimium affectum erga res mundanas.

§. II.

Remedia inducentia ad Reſignationem, contra nimium mortis horrorem.

1. Cogita N. Deum eſſe ſupremum Dominum vitæ ac mortis, ac proinde vitæ uſuram, quam tibi hactenus gratis dedit, quovis tempore pro ſuo arbitrio repetere poſſe. Dic ergo cum Iobo: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

2. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, mortuus eſt ipſe Chriſtus, mortua eſt Virgo Deipara &c. Nemo autem meliùs novit, quando nobis expediat finem vitæ imponere; quam æterna Dei ſapientia. Ille verò tanquam amantiſſimum Pater hunc tibi vitæ terminum ab æterno deſtinavit. Dic ergo cum Chriſto in horto, & brevi morituro. *Pater mi, non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et cum Apoſtolo: *Mibi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

3. Tam ſtultum eſt nolle mori, quam nolle eſſe de numero hominum, quorum ne unus quidem à moriendi neceſſitate eximitur. Si ergo aliquando moriendum eſt, quando potiùs quàm hoc tempore, in quo habet tam multa adjumenta piè, ac feliciter moriendi, cum præſentia Sacerdotis, cum Eccleſiæ Sacramentis, cum amicorum precibus, & ſacrificiis. Quam multi ſunt caſus, in quibus poſteà facilè contingeret te abripi morte ſubitanea ſine cruce, ſine luce, ſine abſolutione, ſine extremis Sacramentis, cum periculo ſalutis æternæ ſicut multis aſſiduò contingit.

4. Quid eſt hæc miſera vita, niſi carcer animæ, niſi exilium à patria cœleſti, niſi gehenna curarum, dolorum, morborum, moleſtiarum, in qua ſemper una miſeria alteri ſuccedit: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis:* Nonnè præſtat ſimul & ſemel omnibus his malis liberari, & ad illam patriam tendere, in qua neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Ubi amodò dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.

5. Multi viri ſancti & ſapientes finem hujus vitæ magnis votis expetebant, ut malis hujus vitæ, & peccandi periculis liberati ad æternos Chriſti complexus evolarent. Sic S. Ignatius Martyr, ſic S. Catharina Senenſis mortem ultrò invitabant S. Tereſia admirans dicebat, ò mors quis te metuat. cum vitam parias. Dic ergo cum Apoſtolo, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Et cùm regio Propheta, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domo Domini ibimus.*

6. Inquiro, cujus rei deſiderium poſſit te in hac vita remorari? An cupiditas fruendi amicis? Multò major amicorum, & cognatorum numerus te in cęlo expectat tot majores tui, tot

avi, proavi, patrui, vicini, cognati, fratres forte, & ſorores, filii, & filiæ præceſſerunt, reliqui omnes ad unum brevi ſequentur. *Non enim habemus hic manentem civitatem ſed futuram inquirimus.* An te trahit cupido utendi adhuc tuis bonis, aut hujus lucis uſura? At moriendo nihil horum perdis, ſed tantùm commutas in melius: nam anima tua cùm ſit immortalis in altera vita fruetur bonis multò majoribus, & nunquam perituris. Docente Apoſtolo, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Si dicas, te tantùm deſiderare longiorem vitam, ut poſſis meliùs Deo ſervire, & ad æternitatem te comparare. At fortè diutiùs vivendo longiùs à ſalute recederes. Accidit plerumque, inquit Auguſt. ut qui creſcit ætate, creſcat & iniquitate. Uti factum eſt in ipſo Salomone. Fac igitur nunc quod tunc fieri velles. Potes uno die vel hora, intenſis actibus, & ardenti Dei amore plures vitæ annus adæquare. Et teſtatur ipſa Scriptura aliquos ex hac vita magno Dei favore citiùs evocari, ne per longiorem vitam pereant nec tamen ideò minùs mereri. Audi Scripturam Sapient. 2. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, &, „*Conſummatus in brevi explevit tempora multa*. Dic ergo cum magno erga paternam Dei „providentiam affectu. Domine tu optimè „noſti quid mihi expediat: da quod jubes & „jube quod vis, Paratum cor meum Deus, „paratum cor meum, ut faciam ſanctiſſimam „voluntatem tuam.

§. III.

Incitamenta ad Patientiam contra morbi dolores.

1. Amice N. nonnè deſideras ſequi Chriſtum Salvatorem tuum, qui pro te multa paſſus eſt? Dices haud dubiè, deſidero. Audi igitur Chriſtum tibi loquentem. *Qui vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Ecce hi dolores ſunt tua Crux, quam debes portare, ut Chriſtum ſequaris. Si oportuit Chriſtum pati ut intraret in gloriam ſuam, quomodò poteris tu ſine patientia intrare in gloriam alienam? Dolores tui, fateor, magni ſunt, ſed dolores & tormenta Chriſti fuerunt multò majora. Cogita illius ſudorem ſanguineum, quo ex ſola Paſſionis ſuæ conſideratione toto corpore perfuſus eſt. Si capitis dolore cruciaris: reſpice caput ac frontem Chriſti Salvatoris tui acerbiſſimis ſpinarum aculeis undique ſauciatum. Si pectoris, aut lateris moleſtia torqueris; aſpice latus Chriſti tui crudeliſſima militis lancea perforatum. Si in manu aut pede dolorem ſuſtines, converte oculos ad Chriſti manus & pedes acutiſſimis clavis Cruci affixos. Deinde magno affectu dices. Non „eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum: Si Dominus „& Salvator pro delictis meis tanta ſuſtinuit, „quantò magis debeo ego ex illius amore aliquid ſuſtinere.

2. Cogita te per morbi dolores patienter toleratos, futuras Purgatorii pœnas ex parte vel ex toto compenſare, & magnum cœleſtis gloriæ incrementum acquirere, monente Apoſtolo 2. Corinth. 4. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et iterùm ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Dic ergo cum S. Auguſtino. Domine hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas.

Ecce in hunc finem Chriſtus ex pretioſo Calice Paſſionis ſuæ hos dolores tibi propinat. Nonnè ipſius Calicem libenter acceptabis, & „hos dolores licet amaros ex illius amore ex„hauries, cum ipſo dicens. Calicem quem de„dit mihi Pater, quomodò non bibam illum? „Pater, ſi non poteſt Calix ille tranſire niſi bi„bam illum, fiat voluntas tua.

Nonnè magni faceres, ſi quis tibi ſacratiſſimæ Crucis Chriſti reliquias inſignes aut particulas aliquas donaret? Ecce tibi Chriſtus ipſe mittit hos dolores, tanquam particulas graviſſimæ Crucis, quam ipſe in corpore & in anima ſua ex tui amore ſuſtinuit. Dic ergo ex toto corde Salvatori tuo.

„Domine *Jeſu* Chriſte ad amorem, & glo„riam tuam ſuſcipio de paterna manu tua om„nes ac ſingulos hujus morbi dolores ac mole„ſtias, tanquam totidem Reliquias ſanctiſſi„mæ Crucis tuæ mihi à te donatas. Illas tan„quam tales amplector & exoſculor, & eas in „corporis & cordis mei theca cum patientia, „imò etiam cum gaudio portare deſidero. Sal„ve Crux pretioſa, quæ decorem traxiſti de „membris Domini mei *Jeſu* Chriſti. Suſcipe „me diſcipulum ejus, qui pependit in te, ut per „te me recipiat qui per te me redemit. Chri„ſto confixus ſim Cruci, vivam ego iam non „ego, vivat verò in me Chriſtus.

Cogita quomodò Sancti omnes optabant ſtigmata vulnerum Chriſti in ſuo corpore geſtare. Quomodò S. *Paulus* gloriabatur ſe ſtigmata Domini *Jeſu* in ſuo corpore portare. Quomodò S. *Franciſcus* pro ſummo favore cicatrices quinque vulnerum Chriſti in ſuo Corpore

pore ſuſcepit, etiamſi ex illis copioſus ſanguis profluerct. Quomodò *S. Catharina Senenſis* cum ingenti gaudio ſimilem gratiam à Chriſto complexa eſt, licèt tantos dolores inde ſentiret, ut ſe morituram putaret. Certiſſimum autem eſt, & fide credendum, illos dolores ac moleſtias magno Dei favore & munere tibi conceſſos eſſe, ſi illos ad honorem aut amorem Dei patienter ſuſtineas. Dic igitur ex animo cum Sanctis illis Deo chariſsimis.

„ O Deus! ò Salvator dilectiſſime! ad amo-
„ rem & honorem divinæ Majeſtatis tuæ ſu-
„ ſcipio de manu tua hos cruciatus ac mole-
„ ſtias eoſque complector tamquam ſtigmata
„ vulnerum tuorum, & veſtigia tormentorum,
„ quæin ſacratiſſimo corpore ſuſtinuiſti. Et uti-
„ nam eodem amoris ſenſu ea in corpore meo
„ ſuſtinerem, quo S. Paulus Apoſtolus, S. Fran-
„ ciſcus Confeſſor Seraphicus, S. Catharina Se-
„ nenſis, aliique tibi dilectiſſimi.

„ Utinam haberem illum pro te patiendi ar-
„ dorem, quem habuit *S. Laurentius*, dum ſu-
„ per ardentes prunas, in craticula verſaretur.
„ Quam habuit *S. Stephanus*, dum inter lapi-
„ dum imbres in toto corpore contunderetur.
Quem habuit *S. Sebaſtianus* dum ſagittis undi-
„ que configeretur. Quem habuerunt reliqui
„ Martyres, & amici tui, quorum maximum
„ gaudium erat pro te ſecari, uri, laniari. Quod
„ mihi deeſt tu ſupplere digneris, Salvator mi,
„ cum quo vivere volo & amori. Amen..

§. IV.

De exercitio Fidei, Spei, & Fiducia in Deum.

VT æger diſponatur ad actus efficaces amoris & Contritionis, plurimùm juvat, illum primò excitare ad vivam Fidem & fiduciam erga Deum, ac merita Chriſti, aliaque fidei myſteria, quantùm perſonæ diſpoſitio patietur, nam ut ait Apoſtolus ad Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Quod ſi eſſet æger, qui in Fide vacillaret, & confirmari indigeret, proponi poſſint illi breviter quædam ex argumentis, quæ pro Eccleſia Romana ſuprà in controverſiis expoſuimus.

Itaque inducendis eſt æger ut devotè & attentè recitet Symbolum Apoſtolorum: vel ipſe Sacerdos illi præeat ſingulas Symboli partes pronunciando. Quod ſi infirmior ſit quam ut hoc commodum aut conſultum videatur: procedat Sacerdos per paucas interrogationes hoc modo.

„ Nonnè credis in Deum & Salvatorem no-
„ ſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Credo. Nonnè
„ cupis vivere & mori in fide, quam ſancta Ro-
„ mana Eccleſia credendam proponit? Cupio,
„ Abrenuncias omni diabolicæ ſuggeſtioni,
quæ poſſit tibi in contrarium occurrere nunc & in hora mortis? Abrenuntio in perpetuum: & utinam poſſem fidem hanc ſanguine meo conſignare.

„ Nonnè ſpem tuam & firmam fiduciam ſa-
„ lutis æternæ habes repoſitam in Dei miſeri-
„ cordia & meritis Saluatoris noſtri Jeſu Chri-
„ ſti? Reſpondet æger. In te Domine ſperavi
„ non confundar in æternum.

„ Dic ergo cum Iobo cap. 19. Scio quia Re-
„ demptor meus vivit, & in noviſsimo die de
„ terra reſurrecturus ſum, & in carne meam
„ videbo Deum Salvatorem meum, quem
„ viſurus ſum, & oculi mei onſpectu ri ſunt
„ & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in
„ ſinu meo.

Debes igitur ſcire nulla eſſe peccata tam multa aut magna quæ remitti non poſſint per infinita Chriſti merita, quæ per Sacramenta, aut ſincera cordis Contritionem nobis applicantur. Exemplum habes in *S. Magdalena*, quæ quamvis eſſet magna in civitate peccàtrix, poſtquam ſeriò ad Chriſtum converſa eſt, & de peccatis doluit, dixit ei Dominus: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Et Latro, qui tantùm in Cruce ultima vitæ hora cum fiducia dixit, Domine memento mei cum veneris in regnum tuum: ſtatim à Chriſto audivit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

Reſpicè Chriſtum in Cruce expanſis brachiis paratum te ad ſuum complexum & gratiam admittere, modò tu velis tota cordis fiducia ad illum recurrere: Audi illum ultrò invitantem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Cogita Deum, Patrem eſſe benigniſſimum, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat. Ipſe te creavit, ipſe te ad Eccleſiam vocavit, ipſe te per Filium ſuum vnigenitum redemit. Accurre igitur ad ipſius ſinum tanquam creatura ad Creatorem, ſeruus ad Dominum, redemptus ad Redemptorem, filius ad parentem. Ipſe eſt qui filium etiam *Prodigum* poſt multa flagitia ad ſe reducem cum gaudio recepit. Tu tantùm dic corde contrito. *Pater peccavi in cælum & coràm te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et ipſe cum lætitia paternam viſcera expandet dicens, Gaudere oportet & exultare, quia filius meus hic mortuus erat, re-

„ vixit, perierat & inventus eſt. Teſtatur enim „ majus eſſe gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.

Poſtquam Sacerdos hæc aut alia fiduciæ motiva cum affectu expoſuit, ſuggeret per intervalla aliquam ex ſequentibus ſententiis identidem ab ægro ore vel corde repetendam.

Domine ſi habes undè me damnare potes, habes etiam undè potes ſalvare: miſericordia Domini ſuper omnia opera ejus.

Quomodò pater miſeretur filiorum, ita miſertus eſt Dominus timentibus ſe.

Domine non timebo mala quoniam tu mecum es. Pone me Domine iuxta te & cujuſvis manus pugnet contra me.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido non erubeſcam

Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.

Magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.

Quis unquam ſperavit in Domino & confuſus eſt? In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. *Hoc poſtquam repetito æger, concludere poteſt Sacerdos hac Oratione.*

„ Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & „ parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut „ nos & omnes famulos tuos quos delictorum „ catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis „ clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

§. IV.

De exercitio Amoris in Deum & perfectæ Contritionis.

Actus hic maximi momenti eſt, & ad illum æger aut moribundus omni conatu adjuvandus eſt: nam ſi in ſuſceptione Sacramentorum aliquid fortè obicis quocumque modo intervenerit, hic actus eſt, & quidem ſolus, qui peccatorem reddit ſalutis ſuæ abſolutè ſecurum. Proindè ad illum primò per idonea motiva diſponendus eſt, deindè ipſe actus pro viribus eliciendus.

Primò, Conſidera N. Dei bonitatem, Majeſtatem excellentiam infinitam ſuper omnes creaturas, quas ipſe ſolo nutu voluntatis ſuæ ex nihilo produxit, & infinita benignitate aſſiduò regit & conſervat. Infinitæ ejus majeſtati ac bonitati debetur à te, & ab omnibus, amor infinitus. O utinam poſſimus illum rependere? Sed quia amoris infiniti incapaces ſumus, tantùm mandat nobis, ut diligamus ipſum ut Deum & Dominum ſuper omnes creaturas ex toto corde, & ex tota anima, & ex totius viribus noſtris, ſicut pro nulla re hujus miſeræ vitæ velimus ipſum offendere, aut ab illo ſeparari. Nonne N. hoc tibi æquum & juſtum videtur? Quid enim juſtiùs quàm ut Deum, & Creatorem & Dominum, qui omnibus creaturis infinitè dignior eſt, ſuper omne creaturas diligamus? Dic ergo tandem.

„ Diligo te, Deus meus, diligo te ex toto corde meo, ex tota mente mea, & totis viribus meis ſuper omnes res hujus mundi; & uti„ nam amplius & amplius diligerem. Et uti„ nam ab amore tuo nunquam peccando receſ„ ſiſſem: certè cum gratia tua nunquam am„ pliùs recedam.

Conſidera ſecundò, Quare in hoc mundo creaturas aliquas magno amore complectimur? Nempè, propter aliquam pulchritudinem, quam in illis videmus, vel dulcedinem quam in illis ſentimus, vel benignitatem quam in illis experimur. Illa ipſa pulchritudo, dulcedo, benignitas, eſt in Deo infinities major & perfectior, à quo omnis pulchritudo, & amabilitas creaturarum, ſicut tenuis radius à Sole, & rivus exiguus ab Oceano deſcendit. Si igitur in creaturis tenues umbras & rivos divinæ bonitatis adamamus, quantò magis ipſum omnis boni fontem & originem diligere debemus.

„ O quam ſerò te cognovi pulchritudo æter„ na, quàm ſerò te amavi bonitas infinita? „ Nunc certè ſuper omnia te unum amo, & „ amare deſidero in æternum.

„ Deus meus & omnia, quid mihi eſt in cœ„ lo & à te quid volui ſuper terram, Deus cor„ dis mei & pars mea Deus in æternum.

Conſidera tertiò, Beneficiorum à Deo acceptorum magnitudinem ac multitudinem, ex mera ac gratuita Dei benignitate. Creavit te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex innumeris hominibus quos tuo loco creare potuiſſet. Corpus tibi dedit præ multis aliis integrum & ſanum, non claudum, aut cœcum, aut informe &c. Animam tibi donavit immortalem, rationis capacem, & multis naturæ & gratiæ donis preditam. Et quem in finem ſic te creavit? Ut poſt hanc vitam cum ipſo Deo felicitatis & gloriæ æternæ particeps efficiaris, quo nullus majus donum excogitari poteſt. Si ergo diligis parentem, qui tantùm corpus tuum genuit, & paucorum tantum annorum

hæreditatem tibi comparavit, quantò majori dilectione, & affectu debes Deo adhærere, qui non tantùm corpus, ſed etiam animam immortalem, & hæreditatem æternam tibi in cœlis præparavit.

„ O Creator mi, ô Pater æterne, diligo „Te ſuper omnem mundi dilectionem, non „tantùm quia ego hæc à te bona accepi, ſed „quia in teipſo tam bonus es, tam pius, tam „benignus, ut me indignum tot tuis donis ac „bonis prævenire dignatus fueris. Et interim „ego in te peccando fuit tam ingratus, quando „tu erga me fuiſti tam gratioſus.

Conſidera quartò. Poſtquam Dei dona, & ſpem ſalutis æternæ peccato perdidiſti, quomodò per Filii ſui mortem, Paſſionem, ac Sanguinem te à ſuppliciis æternis redemit. Quomodò iterum, iterumque relabentem ab infer i pœnis toties conſervavit, in quibus hoc momento arderes, niſi Deus erga te divinæ juſtitiæ rigorem continuiſſet.

„Sic ergo Deus dilexit Mundum, ut Filium „unigenitum daret: ſic dilexit hanc animam „meam, ut per ejus Sanguinem me à morte „æterna conſervaret. Quid ego retribuam „Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? „Suſcipe ſaltem cor meum, & animam meam, „& amorem meum, & vitam meam: ut amore „amoris tui moriar, qui amore a noris mei di„gnatus es mori in ligno Crucis.

Conſidera quintò. Immenſam ac perpetuam Dei ac Salvatoris tui in te Charitatem, in eo quod velit in Sacramento Euchariſtiæ nobiſcum aſſiduò permanere, & ſeipſum nobis in cibum & alimentum præbere, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo* Et, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Quænam mater adeò tenere diligit filium ſuum ut illi carnem & ſanguinem ſuum in alimentum præbeat? Chriſti verò in nos amor omnium hominum amorem adeò ſuperat, ut ſatis illi non fuerit morte ſua nos redimere, ſed etiam voluerit carnem & ſanguinem, & animam, & divinitatem ſuam nobis in eſcam, in ſolatium, in vitæ æternæ pretium relinquere.

„Dic ergo, cum S. Auguſtino. O anima „mea, ſi pigeat amare, non pigeat te ſaltem „redamare Deum & Salvatorem tuum, tali „amore te prævenientem. O amor mi. Si „deliciæ tuæ ſunt eſſe cum filiis hominum „quomodò non erunt deliciæ meæ eſſe te„cum.

„ Diligam ergo te fortitudo mea, Dominus „ firmamentum meum, & refugium meum, & „ liberator meus, & amor meus in æternum.

Conſidera ſextò. Ingentia beneficia quæ Deus præ multis aliis ex ſpeciali amore tibi in particulari conceſſit.

Primò. Vocavit te ad veram Eccleſiam, & Fidem ſine qua nulla eſt ſalvatio, idque peculiari favore, & auxilio, teſte Chriſto Ioann 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum*. Cogita quàm multa hominum millia in ſua infidelitate, & hæreſi æternùm pereant, quos ſi Deus tuo loco ad ſuam Eccleſiam ita vocaſſet, fortè multò ardentiùs illum coluiſſent, & amaſſent. Cogita quid de te factum fuiſſet, ſi Deus permiſiſſet te naſci ex parentibus hæreticis, aut educari inter amicos, aut cognatos hæreſi infectos, qui te in errorem, & damnationem abduxiſſent.

Secundò. Quomodo divina providentia non permiſerit, ut ſine Baptiſmo in utero matris extinctus fueris, út multi alii.

Tertiò. Quòd ab infantia nactus fueris Magiſtros probos, & catholicos, qui te in timore Dei, & amore virtutis continuerunt, ne inter homines ſceleratos, & perditos vitam duceres.

Quartò. Quòd tibi præ multis aliis præbuerit uſum frequentem Sacramentorum, à ſubitanea morte, & à damnatione æterna conſervaverit, ut poſſit in gremio Eccleſiæ mori, ſacerdotis abſolutionem obtinere, in perfecto Dei amore, & gratia vitam terminare, & ad ſalutem æternam cum Chriſto & Sanctis in cœlo pervenire. Verè potes ex animo cum poopheta dicere.

„ Quid retribuam Domino pro omnibus, „ quæ retribuit mihi. Quomodò non diligam „ ill um ſuper omnia, qui quodammodò ſuper „omnes me dilexit?

„ O mi Deus deſidero te amare ſuper omnia, ſicut te diligunt Angeli in cœlo, ſicut te dili„ gunt Apoſtoli & Martyres, & ſicut te dile„xit ſanctiſſima Virgo Deipara, cum qua ex „ toto corde & affecta dico: Magnificat anima „ mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus „ in Deo ſalutari meo.

Et ut poſſim quantùm in me eſt amorem amore compenſare.

„Suſcipe Domine univerſam libertatem „ meam, accipe memoriam, intellectum, & „ voluntatem meam. Quidquid habeo ac poſ„ ſideo mihi largitus es, id totum tibi reſtituo, „ ac tuæ voluntati trado gubernandum. Amo„ rem tuum cum gratia tua mihi dones, & di„ ves cum ſatis, nec aliquid ultra poſco in re„ bus creatis.

Quando advertet Confeſſarius pœnitentem ſuum his motivis excitatum, & ad Dei amorem inflammatum eſſe, dum ferrum candet,

poterit, primò cum illo recitare aliquos actus Charitatis & Contritionis infra exprimendos, ut ad Confeſſionem generalem, aut particularem, aut ad alia Sacramenta diſponatur.

Secundò, Suadere ut ex Dei amore ignoſcat omnibus, qui ipſum offenderunt.

Tertiò, Hortari ut ab omnibus veniam poſtulet, quos dicto, aut facto offendit.

Quartò, Ut morbi moleſtias, aut mortem ex Dei amore libenter ſuſcipiat.

Quintò, Ut promittat præſtare debita, aut alia, quæ judicat ad ægri ſalutem neceſſaria.

Sextò, Ut proponat, ſi Deus vitam ulteriorem dederit, optimo pietatis exemplo aliis prælucere.

§. VI.

Actus varii Contritionis, & Amoris Dei ſuper omnia.

I.

O Magne Deus! Te amo ſuper omnia, te diligo ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus meis. O quam doleo quod à ſanctiſſima voluntate tua cogitatione, verbo, vel opere nunquam peccando receſſerim. Nunc ergo firmiſſimè propono omnia mandata tua implere, omniaque, te aſpirante, peccata vitare. Et quare? Non alia cauſa, quam ob immenſam perfectionem incomprehenſam potentiam, altiſſimam ſapientiam, infinitam bonitatem tuam, ſive propter Teipſum, & quia omni amore digniſſimus es. O Pater! ò Fili! ò Spiritus Sancte! ò Sanctiſſima Trinitas! ò Deus meus, & omnia.

II.

DOmine Ieſu Chriſte, verus Deus & verus homo, Creator & Salvator meus, doleo ex toto corde meo, quod Te offenderim, quia tu Deus meus es, & te amo ſuper omnia, firmiterque ſtatuo, nunquam poſt hac peccare, ſed omnes peccandi occaſiones evitare. Propono quoque peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit, exſolvere, &, ſi quid alicui debeam, reſtituere. Amore etiam tui remitto injuriam omnem à quocumque mihi illatam. Inſuper ad expianda peccata mea, offero Majeſtati tuæ vitam, labores, & bona opera mea univerſa. Ut verò humillimè peccatorum meorum veniam efflagito, ita confido, ab infinita bonitate tua, per merita ſanctiſſimæ Paſſionis, ſanguinis, & mortis tuæ, ea mihi remittenda: præſtandam etiam gratiam, qua vitam meam emendem, & in ſanctiſſimo ſervitio tuo in finem uſque perſeverem. Amen.

III.

DElicta mea, Deus meus, expaveſco, & ante Te erubeſco, cùm veneris judicare, non me condemnare. Doleo Deus cordis mei, doleo ex toto corde meo, quod offenderim ac læſerim ſupremam bonitatem ac Majeſtatem tuam. O cur vnquam diſplicui tibi amabiliſſima bonitas! ò Majeſtas colendiſſima, doleo iam ex ſinceriſſimo amore tui, qui amari ſuper omnia infinitus dignus es. Amo te Deus meus omnium Creaturam mihi poſſibili affectu: idque non propter me, ſed propter Te ſolum ò Bonitas, Benignitas & Amabilitas infinita: & Tibi puro corde adhærere. Tibi placere, Te glorificare deſidero in æternum.

IV.

O Bone Ieſu, Deus meus! vtinam Te cum Beatiſſima Virgine Matre tua & Sanct is omnibus ſemper amaſſem, & nunc amarem; nec unquam offendiſſem, nec offenderem poſt hac in æternum. Sed eheu! erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſeruum tuum, aſpice in me, & miſerere mei. Ego iniquitatem meam agnoſcens doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis quia tibi: quem diligo ſuper omnia, diſplicent. Cupio & propono ſeriò emendare, cavendo omnia peccata, (maxima hoc, & illud in particulari) & novo fervore me totum ſervitio tuo impendere; & hoc propoſitum meum toties renovare cupio, quoties vivo, quoties reſpiro in perpetuum. In Satiſfactionem me, & omnem vitam meam tuæ voluntati & gloriæ offero; veniam cum finali gratia precor, & ſpero per te bone IESV Salvator mi qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto per incarnationem, nativitatem, circumciſionem, lachrymas, labores, perſecutiones, paſſionem, crucem, mortemque me redimere dignatus es. Ad te unicam ſpem confugio, in abyſſum meritorum tuorum me abiicio, in tua ſanctiſſima vulnera me abſcondo. Tu æterna charitate ſupplere digneris imperfectionem meam, omnia peccata mea igne amoris tui exurendo, & opera mea imperfecta emendando, tuiſque meritis uniendo. Tu, mi Creator & Salvator, dignare me totum poſſidere, regere, & ab omnibus imperfectionibus & miſeriis meis

meis me liberare: tuæ denique voluntati ita adunare, ut vitam meam gloriæ tuæ, & ſaluti animarum impendam, & nunquam à te ad momentum ſeparet, ſed laudem te & benedicam cum electis omnibus nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Hoc ego cum lachrymis oro, per ſanguinis vndas.

Per vulnus lateris, per ſacri vulnus Amoris;

De me mihi miſero ſceleratæ crimina vitæ.

§. VII.

Praxis eadem per breves interrogationes, quando æger loqui vix poteſt.

NOnnè N. firmiter credis omnia, quæ tibi Deus per Eccleſiam Romanam credenda proponit? Credo, & in ea fide mori volo.

Nonnè fiduciam tuam omnem in Deo *IESV* tuo defixiſti? Defixi, & fidenter dico in te Domine ſperavi, non confundar in æternum, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Nonnè Deum amas ſuper omnia propter infinitam ejus bonitatem? Amo, & amabo in æternum Deum meum, Creatorem meum; utinam diligerem Te Salvator mi, eo amare quo dilexit te mater tua, quo diligunt te in cœlo Sancti tui in æternum.

Nonnè doles ex animo te Deum toties offendiſſe, quem ſummo amore proſequi debueras? Doleo, idque Dei ſolius cauſa, quia divina illius Majeſtas toties à me peccando offenſa eſt.

Nonnè te Deo totum tradis, qui ſe tibi totum dedit? Trado in manus Dei, vitam & mortem meam, ut de iis pro ſuo arbitratu diſponat.

Nonnè, ſi Deus te priſtinæ ſanitati redderet, aliter vitæ tuæ rationes inſtitueres? Inſtituerem, & ardentiùs quam hactenus Deum meum amarem, eique ſervirem.

§. VIII.

Ad ſacrum Viaticum præparatio.

VIaticum differt à Communione ordinaria, quod in hac petamus à Deo gratiam benè vivendi, per hoc autem gratiam benè moriendi; idque viatici nomen deſignat, quod nihil aliud eſt, quàm annona ſive commeatus ad futurum iter. Sed quo longior via eſt à terra in cœlum ad quod moribundus properat, eò S. Mater Eccleſia filios ſuos decedentes Viatico inſtruit potentiore Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Forma dandi Viaticum hæc eſt: *Accipe Frater* (vel ſoror) *Viaticum Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno & perducat in vitam æternam. Amen.*

Forma verò Communionis ordinariæ: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.*

Qui manè celebravit vel communicavit, & poſteà eodem die incidit in periculum mortis, poteſt iterum Communionem ſumere non jejunus per modum Viatici, Et ſi poſtea periculum duret, & æger id multum deſideret, poteſt idem permitti poſt unum alterumve diem. Concil. enim Conſtantienſe *Seſſ.* 13. tempus non limitat, quando dicit, in caſu infirmitatis Euchariſtiam dari poſſe non jejuno. Alias interſtitium ordinarium ſolet eſſe 7. vel 8. dierum.

Poteſt dari Viaticum ægro qui ex febri in delirium incidit, ſi antea illud deſideravit, aut ſigna Contritionis ediderit, nec appareat periculum irreverentiæ. Ita Rituale Rom. Item damnato ad mortem, etiam non jejuno, ſi neceſſitas vrgeat.

Quilibet Sacerdos in extrema neceſſitate ſi Parochus deſit, poteſt præbere Viaticum. Et, ſi alia hoſtia non ſuppetat, poteſt Sacerdos ex hoſtia majori, qua celebrat, particulam pro moribundo ſervare.

Sacerdos allaturus Viaticum conetur antea, ſi tempus ſuppetat, excitare in ægro magnum deſiderium hujus Sacramenti, idque ut præſtet efficaciùs, verba Eccleſiæ auguſtiſſimum convivium venerantis proponat: O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur! recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Puncta hic quatuor conſideret, quaſi totidem ſacratiſſimi epuli fercula.

1. Ad illa verba, *O ſacrum convivium*, &c. Perpendat SS. Euchariſtiam dari viatoribus per modum cibi, ne deficiant in via ad patriam cœleſtem; grandis enim adhuc reſtat via, hoſtibus multis ac latronibus infeſtiſſima: ideòque Servator tuus, Amice, ne animum deſponderes, paravit in conſpectu tuo menſam adverſus eos, qui tribulant te; ad hanc menſam vbi dignè accubueris, dices audacter, ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es Domine. Quare S. Nicolaus Tolent. tam enixè V. Euchariſtiam expetebat, Ut tanto, inquit, Viatico munitus non deficiam in via ad cœleſtem patriam profecturus

& ſi

& ſi ob demerita mea impius Belial hoſtis meus mihi occurrerit, poſſim fidenter dicere. Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.

2 *Recolitur memoria Paſſionis ejus*. Ideò autem voluit Dominus Paſſionis ſuæ apud nos jugem eſſe memoriam, quod in ea divitias noſtras, ſpeſque omnes ſitas habere debeamus

B Hugo à S. Victore tria in votis habuiſſe dicitur. 1. Ut cibus ſibi ultimus eſſet Euchariſtia. 2. Ut ultima cogitatio ſive meditatio eſſet de Paſſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti. 3. Ut ſupremum verbum eſſet dulciſſimum Jeſu nomen. Quid ni & tu ejuſmodi vota concipias?

3. *Mens impletur gratia*. Quod corporeus cibus corpori, hoc panis ille cœleſtis præſtat animæ: ille membra corporis, hic animæ potentias reficit, nutrit, confirmat.

4. *Futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Quis ad illud pignus non fidenter aſpiret, quod opem certam æternæ vitæ adducit:

Ubi verò allata fuerit venerabilis Euchariſtia, quantùm infirmitas patietur, Deum præſentem veneretur, atque adoret. Sæpè viſa eſt Euchariſtia morituris vires addere ut in illo ſuperni temporis articulo, ſuum in Deum amorem religionemque palam facerent Exemplo ſit Guilelmus Archiepiſcopus Bituricenſis, qui, licèt animam agere videretur, ſimul atque Deum ſuum ad ſe venire cognovit, perindè ac ſi morbus omnis remiſiſſet, de ſtrato proſiliens, concito gradu Servatori ſuo proceſſit obviam, eumque flexis humi genibus, totuſque lachrymis diffluens, quanta potuit animi corporiſque demiſſione veneratus eſt, inſtantemque illi agonem ſuum commendavit.

Tum in ægro iterùm excitet Sacerdos vehemens ſacratiſſimi viatici deſiderium, in quem finem breviter repeti poterunt prædicta, tum exempla adferri eorum, qui ardentiſſimè cœleſti hoc pane, vita exceſſuri, muniri voluerunt.

S. Maria Magdalena admonita ut cœlum peteret, etſi itineris duces Angelos haberet, hoc tamen iter ingredi renuit, niſi priùs Chriſtum Dominum Angelorum, comitem & ducem haberet.

S. Ambroſij Mediolanenſium præſulis deſiderio, quod præ morbis magnitudine aperire non poterat, Deus miraculo ſatisfecit, nam noctè diuinitus admonitus Vercellenſis Epiſcopus, allata venerabili Euchariſtia, viatico illum ini refecit.

His aliiſque æger accenſus, qua maxima poteſt reverentia divinum viaticum recipiat: quo accepto, conſideret nobilis hujus cibi dignitatem. repetitiſque fidei, ſpei, ac charitatis actibus, dicat; Mane nobiſcum Domine quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Breves dies mei ſunt, & ſolùm corpori me ſupereſto ſepulchrum. Bone Jeſu eſto mihi Jeſus & Salvator, tibi corpus & animam committo.

§. IX.

Ad Extremam Unctionem diſpoſitio.

Forma conferendi in Rituali exprimitur; iterari poteſt, quando novum mortis periculum incurrit. Miniſtranda eſt etiam amentibus, licèt illam antea non petierint. Pueris etiam danda eſt poſt ſeptimum annum, ſi habeant uſum rationis, etſi nunquam communicaverint. Alias reſolutiones vide ſuprà part. 4. capit 6. Ubi de Extrema Unctione agitur.

Effectus hujus Sacramenti ex Concilio Florentino eſt mentis ſanitas, &, quantum expedit, etiam corporis. Hic Sacerdos refutet errorem & timorem illorum, qui cupiunt ſemper differri Extremam Unctionem, eo quòd perſuadeant ſibi eo collato de vita actum eſſe Cardinalis Bellarm. aſſerit ideò rariores ægros hunc ſanitatis fructum decerpere, quod ſeriùs ad hanc vitæ arborem accedant.

Narrat Joannes Nider, Rupertum quendam Imperatorem circa annum Chriſti 140c, hujus opinionis aſpergine non leviter tinctum fuiſſe; at non impunè: nam continuò tot tamque gravibus ſcrupulis torqueri cæpit, ut propriùs nil fuerit, quam ut non modo de corporis, ſed & de animæ ſalute deturbaretur. Impediit Dei favor. Spiritualis hæc ei medicina adhibita, dumque orationes ejus pietatis pleniſſimas percipit, ò me imprudentem, inquit, qui orationes tam pias hactenus neglexerim. Ignoſcat Deus inſipientiæ meæ: & verò ignovit, vitæ annos inſuper non paucos indulſit, quibus imperium ſuum ſoſpes adminiſtravit.

Dum æger inungitur, animum his aliiſque ſimilibus orationibus paſcat: *Ieſu Fili David miſerere mei: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina: Bone Jeſu dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.*

Sacerdos peracta Unctione ægrum animet ad fiduciam recuperandæ ſanitatis, ſi id animæ profuturum ſit, divinoque placito conſentaneum;

neum; atque in hunc finem has aliaſque orationes recitet.

„Concede hunc famulum tuum quæſumus, „Domine, Deus, perpetua mentis & corporis „ſanitate gaudere, & glorioſæ B. Mariæ ſem-„per Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

„Omnipotens ſempiterne Deus: ſalus æter-„na credentium, exaudi nos pro infirmo famu-„lo tuo N. pro quo miſericordiæ tuæ implo-„ramus auxilium, ut, reddita ſibi ſanitate, „gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actio-„nes.

§. X.

Admonitio ad præſentes de præparatione ad mortem felicem.

POſtquam æger expiravit, Sacerdos animam ejus circumſtantibus commendet, dicatque nullo modo defunctum efficaciùs ab iis juvari poſſe, quam ſi purgatam ſtatim per confeſſionem conſcientia ad communionem religioſè accedant, ejuſque fructum per modum ſuffragii defuncto impertiant.

Deindè adhortetur præſentes de adhibenda cura ad felicem mortem obeundam.

1. Quia à bona morte beata æternitas dependet.
2. Moneat ad hanc obtinendam neceſſe eſſe per rectam vitæ innocentis viam ambulare, & frequentem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſum adhibere.
3. Conſiderent pretioſum eſſe tempus, quod ad ſalutem operandam conceditur, ideoque nullo die bona opera negligenda.
4. Maximè certam omnibus eſſe mortem, horam verò mortis incertam.
5. Exiguo labore ingentes theſauros comparari poſſe.
6. Nihil nos hinc aſportaturos, præter virtutum, bonorumque operum fructus.
7. Id nunc agendum, quod feciſſe optaremus, ſi modo ſupremum vitæ momentum adeſſet.

Pro præparatione ſecuriſſima ad mortem, dum rectè valemus uſurpandum eſt ſequens Teſtamentum, quale ſibi viri ſancti ſæpiùs confecerunt, & ſingulis ſeptimanis devotè recitarunt, ac renovarunt.

TESTAMENTUM.

Devotiſſimum Hominis Chriſtiani, Complectens Actus omnes quibus poſſit ad ſalutem æternam ſecuriſſimè diſponi.

IN nomine Dei, ac Sanctiſſimæ Trinitatis, Amen. Ego N. N. ab Annis ,... tuo nutu, ô mi Creator, veni nudus in hunc mundum, & brevi nudus inde ad te revertar. Cum autem omnia acceperim de manu tua, & tua ſint omnia infinitis titulis, hac mea ſuprema voluntate tibi me, meaque omnia reſtituo, quanto poſſum amore, quanta poſſum gratitudine. Te quoque ſuper omnes Hæredem meum conſtituo, qui reſtitues hæreditatem meam mihi, ſicuti dediſti nihil Teipſum, & pretioſam animam, & Spiritum Sanctum tuum. Et quid potuiſti facere ampliùs animæ meæ, & non feciſti?

Quid verò ego hactenus retribui, & quid deinceps retribuam tibi? O quam merito ex nunc in æternum, cor, corpus, & animam, omneſque cogitationes, verba, & opera, tibi addico, & devoveo! Et ſi mea forent univerſa, ô Deus, hæc quoque darem tibi. Dignus es enim Domine accipere omnem laudem, virtutem, honorem, & benedictionem: & maximè à me qui te ſic N. peccando toties inhonoravi, de quo nunc ex amore tuo medullitus doleo.

Itaque nunc cum omnibus Sanctis tuis, & in æternum dicere incipio: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo tibi Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hos affectus omnes renovare cupio; quoties deinceps reſpiro, & maximè in ultimo vitæ momento, pro quo nunc in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Inſuper nunc coram te, & curia tua cœleſti univerſa, obſigno meum votum, & deſiderium, quo cupio in Fide Catholica, Apoſtolica, & Romana vivere, & mori, & in extrema hora Pœnitentiæ Sacramentum adveniam peccatorum, Unctionis verò extremæ, ad luctam contra Dæmonem, Communionis autem, ad Viaticum longæ æternitatis, toto cordis affectu ſumere, & complecti deſidero.

Hæc deſideria Scripto hoc, ideò coram Te Deus meus, & coram Angelis ac hominibus conſigno: ut hoc ipſum ſit humilis; & explicita Sacramentorum poſtulatio; ſi quo caſu intercepta voce, lingua eloqui non poſſem.

ſem. Nec revocatum cenſeri cupio, niſi coram te, & curia tua, & ſeptem teſtibus, & integris ſenſibus illud retractaverim. Pro Pœnitentiæ verò Sacramento ne deſit materiam etiam explicita: Nunc pro extrema hora fateor dolens ex ſincero tui amore, me erga te ingratiſſimum fuiſſe; in oratione toties vagum, & negligentem; erga proximum non uti debui affectum, patientem, & benignum; erga me plus nimio indulgentem, & tempus omnium pretioſiſſimum otiosè perdidiſſe; cum poſſem eo in immenſum per ſingula ferè momenta augere opes æternas, & pro æterna gloria tua illud ipſum impendere. De his, inquam, cæteriſque vitæ vniverſæ delictis ex puro Dei amore toto corde doleo, meipſum accuſo, & ſupplex veniam efflagito.

Quod reliquum eſt de bonis fortunæ, illa relinquo iis NN. quibus, ut confido relinqui tibi maximè placet, & in eum uſum N. qui ſit ad majorem nominis tui gloriam. Tua ſunt fateor, Domine, tua ſunt omnia. Ego vero redditurus forſitan hodie rationem, cupio eſſe Diſpenſator fidelis, ut non ſtudeam honori meo, ſed tuo, non vanitati, ſed veritati! Tu enim es via, veritas, & vita mea.

Rogo item vos Amicos meos, ut Sacrificiis, Precibus, Communionibus, Indulgentiis, & Eleemoſynis juvetis animam meam, ne qua in limine beatæ æternitatis occurrat triſtis remora properanti ad Dominum, ad centrum, & omne bonum meum.

Si qui verò, quòd abſit, quacumque ex cauſa adverſarii mihi, aut offenſi eſtis, aut fuiſtis, condono ex corde vobis offenſam coram Deo, qui ſcrutatur cor, & renes meos, propter amorem Domini mei: & ſi quem ipſi offendi, ſupplex veniam peto. Pacem omnibus cum Domino *IESV* relinquo, & offero, quia tendo ad Principem pacis, & vobiſcum in pace in æternum vivere volo, & habitare in amantiſſimo corde Chriſti *IESV*.

Hæc ſunt Deus meus, iudex meus, & refugium meum, hæc ſunt deſideria pauperis, quæ ſoles exaudire. Audi obſecro, & exaudi de profundis clamantem; & per miſericordiam tuam confirma hoc Deus, quod operatus es in me. Hæc mea deſideria, & decreta certè nunc, & omni hora, morte & Sanguine ſignare paratus ſum. Hæc ſuprema mea, & æterna voluntas eſt, eritque, Deus meus, per gratiam tuam. Eſtne ultra quod poſſim, ò Pater miſericordiarum, ò ſpes mea, ò Charitas, Deus meus eſtne iam, dum adhuc tempus eſt miſerendi, quod ultra faciam? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum exequi per omnia ſanctiſſimam voluntatem tuam, ut ſecurus tecum vivam in æternum, ut nunquam ſeparer à charitate tua, ut amem te propter te, & tecum unum ſim in perpetuum.

O beatiſſima V. M. ſalutis meæ anchora, & portus, ſpes, & refugium omnium miſerorum, ac proindè meum; & vos beati Spiritus, & cuſtos Angele, voſque Patroni mei, & omnes Sancti, ac Sanctæ Dei, ecce videtis hoc Chirographum meum, non mortis ſed vitæ: Auditis clamorem meum, & deſiderium meum. Hoc ego in hora mortis meæ firmum, & ratum eſſe volo, & veſtro (quod humiliter imploro) auxilio futurum ſpero, etiam in extremo Iudicii die, ac tota æternitate. Ut ſic cognoſcat mundus, quia Diligo te Deum meum, qui ſic dilexiſti me; & vivo tibi, & in te; ac amore tui mori cupio, qui amore amoris mei dignatus es mori in ligno Crucis.

Hæc ſignavi manu propria, gratia Dei mei, teſte ipſo, & curia illius cœleſti, & ſic ſignatum cupio in hora mortis, ut Deo meo æternum vivam. Anno .... menſe .... die .... hora .... N. N.

NOTA.

Conſultum eſſe ſingulis, præſertim ſæpè itinerantibus, Exemplar hujus Teſtamenti exſcribere, & manu propria ſignatum circumferre, vel libello precum inſerere, ut quotidiè, præſertim in omni morbi, aut mortis periculo uſurpetur, & ſit ad manum quaſi Salvus conductus ad Patriam, alteram & æternam.

NOTA denique.

In hujus Tomi parte ultima inferiùs habere expreſſos ipſos Ritus, & Ordinem adminiſtrandi ſingula Sacramenta, & ſacrum Viaticum, & Extremam Vnctionem, & Ritus Exequiarum, ac Sepulturæ, prout in Rituali Romano continentur: atque ita Curator animarum in hoc Libro ſimul præſto habet quidquid ad aſſiſtentiam ægris ac moribundis præſtandam requiritur.

PARS QVINTA
PRAXIS VARIA
ET SELECTISSIMA

Aſſiſtendi cujus Proximo, in quovis Statu.

COmplectens *Primò*, Remedia, & Documenta contra ſingula peccata in particulari.

Secundò, Praxim Converſationis, & Inſtructionis pro quovis hominum Statu & Neceſſitate. Uti § 1. *cum Hæreticis*. 2. *Cum Patribus familia*. 3. *Cum mulieribus Conjugatis*. 4. *Cum Viduis*. 5. *Cum Virginibus, ac Monialibus*. 6. *Cum Pauperibus*. 7. *Cum Conſuetudinariis, & obſtinatis*. 8 *Cum foventibus Inimicitias*. 9. *Cum Tribulatis*. 10. *In Morte amici*. 11. *In Bonorum jactura*. 12 *In fama aut Honore*. 13. *in captivitate*. 14. *In Damnatione ad mortem, & extremo Supplicio*.

Ex his experietur Curator animarum in omni occaſione tam privata, quàm publica, copioſum ſe muneris ſui ſubſidium in promptu habere.

CAPVT I.

Remedia, & Documenta contra ſingula Peccata in particulari.

§. I.

Remedia contra vitium.

1. HAbeat Confeſſionem promptu pro ſinguli vitiis brevem & acutam Sententiam, quæ inſtar ſpiculi memoriæ Pœnitentis inhæreat.

2. Oſtendat quomodo Superbia reddat quemvis odibilem Deo, & ſimul hominibus: humilitas verò faciat omnibus amabilem: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Iacobi 4.

3. Homo ſuperbus, qui alios contemnit, aut qui quærit ubique ſuam laudem, privat ſe meritò bonorum operum, & Deus immittit illi miſerias quibus humiliatur, ipſo Chriſto id atteſtante, Matthæi 23. *Qui ſe exaltat humiliabitur*, & è contra, *qui ſe humiliat exaltabitur*.

4. Exempla humilitatis in Sanctis, & in Chriſto, qui dicit Matthæi 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*.

5. Pro remedio ſuperbiæ ſuadeat Pœnitenti, libenter & frequenter agere cum pauperioribus, inviſere hoſpitalia, aut alios infirmos, privatim oſculari terram, cogitando ſe terram eſſe, etiam in pulverem brevi reverſurum.

6. Fugiat adulatores: ſuas laudes non commemoret, nec oſtendat ſe libenter eas audire, ſed dicat cum Regio Profeta Pſalm. 113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Exempla vindictæ divinæ in ſuperbos vide ſuprà in Apparatu, verb. *Superbia*.

§. II.

Documenta, & remedia contra Avaritiam.

1. INculcet pœnitenti dictum Apoſtoli ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. Ex illa oriuntur iſtæ lites, rixæ, odia, quæ animum aſſiduò turbant, & à Deo avertunt, niſi illa cupiditas tandem eradicetur.

2. Conſideret vitæ brevitatem: Pro brevi via non eſt opus magno viatico.

3. Tempus eſſe ut incipiat theſaurum ſuum præmittere in cœlum, ubi ſperat in æternum habitare, monente Chriſto Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, qui fur non appropriat*.

4. Præmium eorum qui commutant avaritiam in ſpiritum veræ paupertatis, & contemptu divitiarum. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*.

5. Ut

5. Ut abiecta cupiditate nimia, confidat divino promiſſo Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.*

6. Expedit vitio avaritiæ laborantibus pro pœnitentia iniungere primo, parvas Eleemoſynas, poſtea majores, donec uſu elargiendi incipiat convelli radix tenaciſſimè cupiditatis, & avaritiæ. Hac auulſa animus ad bonorum æternorum cupiditatem alliciendus, nam facilè nobis *ſordet terra, cum cælum aſpicimus.*

§. III.

Remedia præſcribenda contra peccata Luxuriæ.

1 MOneat pœnitentem luxuriæ deditum, ut ſæpè expendat hanc ſententiam. *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.* Et ſeriò conferat turpitudinem, pudorem, & triſtitiam quæ conſequitur actum luxurioſum etiam in hac vita, & multò magis in futura, cum breviſſima ſenſus titillatione, quæ ſtatim evaneſcit inſtar fulguris, nihil homini relinquens, niſi neceſſitatem vel ſeriò pænitendi, vel in æternum ardendi.

2. Injungat ut frequenter, & devotè poſtulet à Deo donum continentiæ: nam ut dicitur Sapientiæ 8. *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit.* Promittit autem Chriſtus Matth. 17. *Patrem cœleſtem daturum ſpiritum bonum petentibus ſe.*

3. Adiungat orationi aliquas corporis afflictiones, jejunia, aut vigilias. Quia *hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem, & jejunium.* Lucæ 11.

4. Valet etiam plurimum frequens uſus Confeſſionis, & Euchariſtiæ, qui poſſit in partem pœnitentiæ imponi

5 Doceat vitare occaſiones luxuriæ, ut eſt fuga perſonarum quas ſentit ſibi periculoſas: item laſcivos aſpectus, verba, libros, & ſociorum ſermones impuros. Nam præcipuum luxuriæ remedium in fuga conſiſtit, monente Apoſtolo 1. ad Corint 6. *Fugite fornicationem:*

6 Caveat à gula, & otio, honeſto ſemper exercitio animum occupando: *Multam enim malitiam docuit otioſitas.* Eccl. 33.

7. Proponat denique præmium caſtitatis in cœlo paratum, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et oblectationem quam etiam in hac vita poſſunt habere in caſta & pura conſcientia, quæ eſt: *Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum*, teſte Apoſtolo ad Philip. 4

§. IV.

Remedia contra Odium, Invidiam, & Iram.

1 COnſideret neceſſitatem tandem deponendi odium erga proximum. Quia apertè pronunciat Chriſtus Matth. 6. Deum non dimittere peccata, *niſi dimittenti ex corde proximo ſuo.*

2. Vindictam injuriæ Deo relinquendam, qui ſuo tempore infliget. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Deut 32.

3. Cogitet quoties Deus ipſi ſua delicta remiſerit: nonnè decet in illius gratiam fratri ſuo ignoſcere? *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, nonnè decebat; & te miſereri conſervi tui.*

4. Proponat exemplum Chriſti, qui in Cruce oravit pro iniquiſſimis crucifixoribus & dixit, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

5. Advertunt *Invidiam* ipſi homini invido maximè nocere, dum de alieno bono dolet & triſtatur, Prov. 14. *Putredo oſſium Invidia.* Eſt inſtar vermis ac tineæ, quæ invidum intus rodit & conſumit, & abſque alia utilitate.

6. Remedia denique odii, uti & *Iracundiæ* hæc ſunt. Silere quamdiu te ira commotum ſentis, nec reſpondere niſi quando potes vultum & verba ad benignitatem componere: Quia, *Reſponſio mollis frangit iram.* Prov. 25. Cavere occaſiones altercandi, non facilè aliis contradicere. Iniungere ſibi pro multa, ut quoties alium per iram offendit, det aliquem eleemoſynam, vel ab offenſo ante veſperam veniam petat. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, ad Epheſ. 4.

§. V.

Remedia Acediæ, & Tepeditatis.

HÆc Acedia conſiſtit in quodam animi tædio, per quod omittuntur opera pietatis, aut certè non niſi imperfectè cum animi triſtitia ac tempore peraguntur.

1. Conſideret talis viva fide, nihil ſe habiturum in altera vita, niſi quod in hac vita pro Deo operatus fuerit: *Ecce homo, & opera ejus.*

2. Reflectat quomodo homines pro modico hujus vitæ lucro, honore, aut voluptate nulli labori parcant; *Et illi quidem, ut corruptibilem coronam obtineant, nos autem incorruptam.*

3. Ex-

3. Expendat quantos labores ac pœnas ſubierint Martyres ac Confeſſore pro Dei gloria, & vita æterna, quæ ipſi non eſt minus neceſſaria. Videat continuam pœnitentiam, & patientiam, quam pro ſua ſalute ultro ſubeunt toti viri Religioſi, ac devoti, etiam imbecillioris ſexus, & ætatis. Vel ſi ſit Religioſus, conjiciat oculos in alios fervidiores, & ſuos confratres, qui magno zelo, & labore in arduis Miſſionibus ac periculis verſantur. Et dicat ſibi cum S. Auguſtino: *Non potes tu quod illi, & illi?*

4. Poſtquam hæc ſeriò expenderit, proſternat ſe coram Deo in oratione, & oſtendat illi ſuam miſeriam, humiliter rogando ut hanc tepiditatem ac ſpiritualem triſtitiam à ſe depellat: juxta conſilium Apoſtoli Jacobi cap. 5 *Triſtatur aliquis veſtrum, oret.*

5. Proderit etiam contra Accediam, opera pia ſubinde variare, ut modò oret, modò legat, &c. Moneat etiam ut ad ſonum horologii cogitet, *Tempus ſuum eſſe breve*, & ſe temporis rationem Deo redditurum.

Directionem brevem Confeſſarii & Pœnitentis vide ſupra *Tom.* 2. in fine *pag* 357.

CAPUT II.

Praxis Converſationis, & Inſtructionis pro quovis hominum Statu & Neceſſitate.

§. I.

Praxis cum Hæreticis utiliter tractandi.

IN primo congreſſu concilianda eſt eorum benevolentia comiter alloquendo, & de iis dumtaxat rebus agendo, in quibus cum illis convenimus omni altercatione ſemota. Si quid etiam ill s charitatis, obſequii, aut honoris deferendum ſit, id benevolè præſtandum. Sic enim diſponitur animus, ut videant non contentionis, ſed veritatis & charitatis ſtudio nos conari illos à ſuis erroribus revocare.

Proponenda eſt hæretico paulatim multitudo, novitas, & diſcrepantia tot Sectarum, quæ hoc ſæculo emerſerunt: & quomodo inter ſe tam repugnantes ſint, ut de nullius veritate conſtare poſſit, quod clarè expoſitum invenies in hujus Operis Tom. 1. pag 208. 217. 283. & ſeq.

Et hinc exponet illi obligationem quam quiſque habet indagandi viam certam & ſecuram in negotio tanti momenti, qualis eſt æterna damnatio, ſi illa inquiſitio negligatur. Nec ſufficere quod videatur ſibi hactenus eſſe in via recta, monente Scriptura: *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt in interitum*: à ſimilitudine Viatoris, qui eligit viam minimè periculoſam: obligationem illam demonſtratam reperies in eodem Tom. 1, pag 39.

Iuvabit etiam illi exponere motivum vulgò notiſſimum propter quod moderni Sectarii in Anglia, Germaniam, & Belgio Eccleſiam Romanam primò ſerverunt, quam eorum Majores de nullo unquam errore accuſarunt per mille quingentos annos ante libidinem Henrici Octavi erga Bolenam, & offenſionem Lutheri erga Pontificem, & Principis in Belgio erga Hiſpanos: adeoque propter libidinem, odium, & offenſionem, non propter veritatem ab Eccleſia Romana defecerunt. Tunc perges, propter eorum exemplum, ortum ex ſolo odio & libidine, teipſum in æternum perdes? De hoc vide deducta Tom 1. pag. 239.

Ponatur ipſi pathericè ante oculos ſtatus miſerandus in quo verſatur modernus Sectarius per ea quæ credit ab omni veritatis ſpecie aliena, in Secta nullum habente teſtimonium antiquitatis, aut miraculorum, cui adverſatur totus pœnes orbis Chriſtianus, quod deductum invenies in Idæa miſeranda moderni Sectarii Tom. 1 pag. 25.

Quamvis conſultum non ſit ut cum Hæreticis coram aliis publicè diſputetur, quia ſic honoris conſeruandi ſtudio plurima quærunt effugia, quibus imperitis facilè imponunt. Si tamen juſtas ob cauſas diſputandum ſit ſive publicè, ſive privatim, ſemper obſervanda ſunt ſequentia, 1. Curandum eſt Sacerdoti ut in lectione Evangeliorum, & Communionem Controverſiarum ita verſatus ſit, ut ex ipſo Verbo Dei ſcripto hæreticus convincatur, cujus ſenſum admittere debet juxta mentem Sanctorum Patrum primitivæ Eccleſiæ, juxta Methodum quam ſupra dedimus in Polemicis Tom. 1. c 9. & tract. 2. c. 1. pag. 146.

Secundò, in diſputando non confidat nimium ſuæ eruditioni & induſtriæ; cùm enim ſit Fides donum Dei, humanis mediis non obtinebitur. Itaque ante congreſſum cum hæretico, cum Deo in orationibus commendet, & quaſdam afflictiones ac pœnitentia pro eodem offerat, ſub ipſa etiam concertatione mentem frequenter elevet ad Deum jaculatoriis orationibus, quibus ſibi gratiam, & illi lumen exoret & impetret.

3. Ne tempus fruſtra teratur in diſputatione, conſultum erit mox ad fundamentalem controverſiam venire: ea autem eſt de notis Eccleſiæ; ſi enim demonſtretur noſtra eſſe vera neceſſaria erit ſequela, omnia quoque vera eſſe, quæ ipſa docuit, atque adeò non errare eum, qui ſub una solùm ſpecie ſumit Euchariſtiam, veneratur Sanctos. &c. De quibus ſingulis, Tom.1. agitur.

4. Diſputantibus hæreticis non danda eſt libertas vagandi, & ab uno puncto ad aliud tranſiliendi, ſed certa, & categorica reſponſio extorquenda; quare ſi ipſi irritentur, caveat Sacerdos, ne ipſe etiam irretur, ſed religioſa patientia, & modeſtia adſtantibus ſit bono exemplo, attendat quoque, ne concitate aculeatis verbis inſultet, & quaſi triumphum canat; hoc enim præſentibus, qui plerumque ſuis compati & favere ſolent, diſplicere poterit, & occaſionem dare Sacerdotes Catholicos averſandi ut ſuperbos.

5. Sæpè non oberit urgere hæreticos & premere quæſtionem illam, Unde ſciant Biblia, quibus utuntur, & quæ citant, eſſe verum Verbum Dei, Evangelium S. Matthæi eſſe ſcriptum à S. Matthæo, & non ab alio, qui nomen ejus finxerit? ſic enim denique deveniendum erit ad Traditionem Eccleſiaſticam, adeoque ruet primarium ipſorum fundamentum.

6. Cum iis, qui ſimpliciores ſunt, non multùm altercandum eſt, ſed potiùs hortandi ſunt, ut per orationem commendent Deo negotium hoc, rogentque, ut veram fidem eis oſtendere dignetur: tum ſi legere poſſint, libellus aliquis controverſiarum ſimplici ſtylo ſcriptus legendus offerri poterit. Præterea verò ſuavia, & amica colloquia cum ipſis inſtituentur, in quibus oſtendatur illis diſcordia inter Hæreticos, & contradictiones ipſiuſmet Lutheri, & Calvini, &c. Explicabuntur etiam aliquot motiva credibilitatis pro rudi plebe magis accomodata, qualia ſunt Martyria tot ac tanta pro Chriſtiana Fide tolerata; tot tamque docti Viri ab Hæreſi ad noſtram Fidem tranſeuntes; tam mirabiles Converſiones, tam admiranda Miracula in confirmationem Fidei noſtræ patrata, &c. Denique etſi res prima vice ex voto non ſuccedat, non deſinat conatum ſuum cum patientia ſæpiùs proſequi, & illorum Converſionem Deo in precibus commendare.

§. II.

Documenta Patribus familias tradenda.

1. Studendum, ut curam habeant inſtitutionis Chriſtianæ, liberos ſuos, & reliquam etiam familiam mittant ad Catechiſmum, reduces examinent, & eos, qui meriti ſunt remunerentur aliquo præmiolo, ut alii quoque excitentur.

2. Ut ſuos ſervos, ancillas, liberos diligenter diebus feſtis ad Sacrum & Concionem mittant & ex redeuntibus quærant, quod notaverint, puniant ſubtracta aliqua recreatione, aliove modo negligentiores.

3. Ut otium domo eliminent, ſuoſque benè occupent, ita tamen, ut tempus pro Sacro, precibuſque fundendis concedant; neque exiſtiment per tale otium quidquam decrementi rem domeſticam paſſuram, quin potiùs certò ſibi perſuadeant, multùm ipſam hoc medio augendam; nam lucrum, quod propter virtutes, religionis maximè, deſpicitur, per virtutes melius recuperatur. Certè, ſi pietas, teſte D. Paulo Tim.4 ad omnia utilis eſt, quidni etiam ad rem domeſticam augendam, & conſervandam?

4. Emendent, & tollant ludos inhoneſtos, ebrietatem, laſciviam, colloquia prava, juramenta, blaſphemias, imprecationes, & contentiones, & ſimilia peccata, decreta certa pœna pecuniaria, vel abſtinentia modica iis, qui ſæpiùs horum peccatorum aliquod admiſiſſe deprehenſi ſunt.

5. Commendet illis lectionem libellorum piorum, recitationem Litaniarum B. V. à collecta familia ante ſomnum: pauperum amorem; cultum Sanctorum, & B.V. maximè; proſtent, ſubmotis inhoneſtis, Imagines piæ Chriſti Crucifixi, B. Virginis, Sanctorum, &c. Hæc lecticis etiam ſint affixæ, ut occaſio ſit ante cubitum eas venerandi.

6. Suadeat Patribus familias, ut non ipſi modò uni alterive Congregationi (pluribus enim dare non expedit, quia ob domeſtica negotia ſatisfacere tot legibus non poſſunt) dent nomina, ſed authores etiam ſint domeſticis ad idem faciendum, ſuiſque temporibus eos ad conventus mittant. Ad Confeſſionem, & Communionem, cùm leges exigunt, peragendam hortentur.

7. Summoperè illis concordiam mutuam non modò cum uxoribus ſervandam, ſed inter ipſos etiam domeſticos procurandam commendet, atque ob id frequenter illis in memoriam

riam reuocet tum illam ſancti Spiritus ſententiam, Prouer. 17 *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio* (& pace) *quàm domus plena victimis cum iurgio*: tum tritum illud Prouerbium: *Concordia res parua creſcunt, diſcordia etiam maxima dilabuntur*. Eundem in finem proderit etiam narraſſe ſapientiſſimum illud Sciluri Scytarum Regis factum, qui è vita diſceſsurus, ſeptuaginta quos habebat filios conuocauit, ſingulisque faſciculum 70. ſaggitarum colligatum obtulit, frangereque iuſſit; quod cùm nequirent, ſingulos ſingulas ſaggitas accipere & confringere iuſſit, quod cum ſine labore præſtitiſſent, ſubiecit: *Ita & veſtra potentia, ſi coniuncti per concordiam manſeritis, à nemine frangetur aut ſuperabitur; ſecus, ſi per diſcordiam à vobis ipſis diuiſi fueritis*. Sententiæ & exempla de pace mutua requiſita ad conſeruationem, reperiuntur ſupra verbo, *Pax*, in Apparatu.

§ III.

Praxis agendi cum Mulieribus, & maximè Coniugatis.

CVm fæminis agendum *rarò*, *breuiter*, *cautè*, *prudenter*. Hæc vt ſeruentur, caueatur in Conuerſando locus obſcurus, & ab omni teſte nimis ſecretus: oculi à fixo aſpectu, manus à contactu cohibeantur.

Hinc 1. ſe ſeuerum potiùs, quam familiarem exhibeat; abſtineat à blandis verbis carnalem quendam affectum redolentibus. 2. Non facilè credat querelis, & lachrymis fœminarum, ſed potiùs adhortetur eas ad patientiam, iubeat inquirere, num cauſam iniurijs, vel verberibuſque dederint. 3. Non habeat fidem, ſi reuelationes & deuotiones fingat, ſed potiùs ad obſeruationem mandatorum Dei hortetur. Atque hæc circa mulieres in genere obſeruanda ſunt, nunc ad ſpecialia magis deſcendendum eſt.

Virtutes ergo vxorum quod attinet. 1. Vehementer ipſis commendabit puram intentionem, vt videlicet finem illum, quem coniugata quæque mulier præfigere ſibi deberet, obtinere laborent? Is autem finis eſt, vt marito ſint adiumento in filijs generandis, nutriendis, & educandis, & per hoc debitum amorem, & obſequium Deo exhibentes ſaluæ fiant. Hunc finem indicauit Sapiens Prou. c. 31. dum dixit de muliere illa prouida. *Quæſiuit lanam, & linum, &c.* Per lanam enim externa bona & corruptibilia, per linum verò interna & incorruptibilia ſeu æterna indicantur.

2. Hortetur illas ad inſignem vitæ integritatem & verecundiam, hæ enim virtutes ſunt veſtis illa, quam ſapiens mulier ſibi fecit, vti Salomon indicauit, dum dixit, *Byſſus & purpura indumentum eius*, vbi per Byſſum propter candorem intelligunt Interpretes innocentiam vitæ, per purpuram verò verecundiam propter colorem rubrum. Certe ſi ſic quærant Regnum Dei & iuſtitiam, omnia reliqua, quæ ad ſe ac familiam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, copiosè adijcientur.

3. Moneat, vt etiam atque etiam imitari ſtudeant iam ſæpiùs commemoratam mulierem ſapientem, quæ conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem *otioſa* non comedit. Ad huius ergo exemplum otium diligentiſſimè fugiant, eumque in finem ſæpiùs conſiderent, quæ tum interiori ſuæ domui, animæ ſcilicet: tum exteriori, videlicet familiæ deſint, eaque omnia ſollicitè, & optimo, quo poſſunt modo, procurare ſtudeant.

4. In memoriam illis reuocet illam S. Pauli ſententiam ad Eph. c. 5. *Sicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ita mulieres viris ſuis in omnibus*. Hortetur itaque illas, vt, ſicut Eccleſia triplici potiſſimum obſequio ſuum erga Chriſtum amorem probat, ſcilicet reuerentia, obedientia, patientia: Ita his ipſis tribus officijs ipſæ quoque ſuos ſibi maritos demereri ſtudeant.

5. Singulariter illis commendet domeſticorum, & liberorum maximè curam, hortetur que ad exemplum mulieris ſapientis, omnes ſuos domeſticos *duplicibus* veſtiant, id eſt, vt tam in virtutis, quam in aliarum artium ac munerum, quibus alere poſtea ſeſe debebunt, ſtudio eos perficiant.

6. Non minùs illi commendet imitationem illius virtutis, quam in muliere Sapiente Salomon laudauit, dum dixit: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius*, Prouerb. vlt. Hortetur itaque illas, vt ſingulari ſtudio taciturnitati ſtudeant, & domeſticos manſuetudine potiùs quàm impetijs duris atque verberibus ad officium perducere ſtudeant: nam mitibus promiſit Chriſtus, quod, terram, id eſt, homines ſuæ curæ commiſsos poſſeſſuri ſint.

7. Suadeat, vt cum ſapiente muliere accingat *fortitudine* lumbos ſuos, & roborent brachium ſuum, ad plurima incommoda, quæ matrimonij iugum ſecum ex omni parte affert toleranda: alioqui enim & in hoc, & in futuro ſeculo miſerrimas futuras.

8. Denique miſericordiam erga pauperes ſpecialiter etiam commendent, vt videlicet & ipſæ

ipſæ cum muliere ſapiente manum ſuam aperiant inopi, & palmas ſuas extendant ad pauperem; ſic enim copioſam domui benedictionem obuenturam, iuxta illud Seruatoris promiſſum: *Date & dabitur vobis: Menſuram bonam & confertam, & cogitatam, & ſuperfluentē dabunt in ſinum veſtrum*, Lucæ 6. Has profectò virtutes ſi comparare ſtuduerint vxores, verificatur de illis, quod Salomon de muliere ſapiente narrat: *Surrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt; vir eius et lau auit eam: date ei de fructum manuum ſuarum et laudent eam in portis Operis eius*, Prou, cap. vlt.

Tentationes Coniugatarum ad tria ferè genera reuocantur. *Primum*, & grauiſſimum ferè eſt, quod ex maritorum vel ſeueritate, vel violentia, vel negligentia, alijſque vitijs naſcitur. Contra hanc tentationem ſic eas muniat, & 1. Suadeat, vt pro maritis ſuis aſſiduò Deum, in cuius manu ſunt corda hominum, precentur, imitatæ prudentem Abigail, quæ marito ſuo iratum Dauid placauit. 2. Suadeat, vt non in quotidianis duntaxat obſequijs valde diligentes ſint, ſed extraordinaria charitatis officia erga illos oſtendat, v. g. cibos illis gratos præparent, dicantque ſe ſpecialis affectu erga maritum illos præparaſſe, omnia verò mandata promptiſſimè exequantur, &c. ſic enim amor maritorum erga ipſas creſcet, & ſuo tempore occaſio dabitur, id quod volent, impetrandi, vt in Eſthere patet.

3. Suadeat, vt, dum maritus ebrius aut iratus eſt, taceant; imo etiam poſtero die ab ipſo veniam precentur, non aliter, ac ſi ipſæ illum offendiſſent; talis enim diſſimulatio & patientia mirè illis mentem mariti deuinciet. Certè in pleriſque coniugijs cauſa potiſſima diſcordiam eſt, vxorum garrulitas atque impatientia, vti ingenioſè indicauit Medicus ille, qui vxori, quam maritus quotidie verberabat, remedium petenti, vaſculum naturali aqua plenum obtulit; iubens vt marito irato, hac aqua os ſuum impleret & tam diu retineret, donec mariti ira deferbuiſſet, ſic enim futurum, vt nunquam vapularet, quòd & factum eſt. Idem indicavit prudenter Chirurgus ille, qui dum ad uxorem vulneribus plenam vocatus eſſet, primo loco emplaſtrum ori, nullum alioqui vulnus habenti, applicare voluit, cauſamque rogatus, reſpondit, fruſtra ſe reliqua vulnera curaturum, niſi hoc foramen priùs obſtruxiſſet & ſanaſſet.

4. Suadeat, vt, dum mariti ſigna quædam amoris erga ipſas oſtendunt, occaſionem captent, & blandis verbis rogent, ut deinceps ab hoc vel illo ſcelere abſtineant, ut patienter ferant ſuos (uxorum) errores, ſe quoque, ſi hoc impetrauerint, paratiſſimas ad omnem ipſorum nutum & obſequia fore. Caueant autem, nè unquam maritos, aut increpent, aut cum ipſis litigent, aut omninò manibus certent, nam ſic magis in conſuetudine eos roborant, atque ad odium & rācorem maiorem excitabunt. Si hæc nihil proficiant, ſuadeat illis, vt Parochum, vel Virum Religioſum adeant, eumque rogent vt cum marito ſuo agere, aptiſque medijs prudenter applicatis, ad frugem reducere ſtudeant; Ipſæ verò intereà negotium hoc Deo commendent, proque felici eius ſucceſſu Communiones aliquot, vel eleemoſynas aliaque opera offerant.

5. Si neque hoc remedium efficax fuerit, ad patientiam hortetur, ſuadeatque, vt ex malo tanto fructum bonum meritorum in cœlo ingentium extrahere ſtudeant, nè alioqui & illis obijci poſſit, quod S. Iob. ſuæ vxori obiecit & dixit: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus egiſtis. Si bona de manu Dei ſuſcepiſti, mala quare non ſuſcipias?* Profectò enim ſtultè agunt vxores, quæ impatienter ferunt tales miſerias, quia ſic & gravius ferunt crucem, & in altera vita nil niſi graues pœnas expectare ex ea poſſunt cum tamē per patientiam potuiſſent crucem hanc leviorem reddere, & ſimul ingens in cœlis præmium mereri.

Secundum genus tentationis provenit, ex liberorum & aliorum domeſticorum corruptis moribus. Contra has tentationes ſic eas muniat Sacerdos. 1. Doceat illas, non nimis graviter apprehendere errores ſubditorum & liberorum, ſed potiùs conſiderare eos vt cæcos, vt ægros, quibus minimè iraſci, ſed cum charitate & condolentia media applicare ſolemus. 2. Suadeat, vt non quoſuis errores mox puniant, ſed minores diſſimulent, exemplo piſcatorum, qui piſcis minoris iacturam contēnunt, vt maiorem lucrentur. Revocet illis in memoriam Dei miſericordiam, quam erga ipſas oſtendit; & dicat illis: Ecce, an non vos quoque eſtis filiæ Dei? & tamen quàm parum impletis mandata illius? ſi quoties peccatis, mox Pœnam iniungeret, quoties iam in Purgatorio, aut inferno eſſetis? Si ergo vos, quæ ratione polletis, à vobis ipſis impetrare non poteſtis, vt efficiamini tales, quales eſſe deberetis, quantò minus à liberis veſtris, ratione deſtitutis hoc exigitis? Hortetur illas, vt cum manſuetudine potiùs, quam ſeueritate eos corrigant, nam vt S. Proſper l. 1 de vita contempl. ait; *Leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti, aſperitate autem nimia increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem*.

Et

Et ut S. Gregorius in paſtor. cap. 35. ait: *Plerumque quos Cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia condimenta compeſcunt.*

Tertium genus tentationis oritur ex ſollicitudine, quam de liberis tum alendis, tum neceſſaria dote inſtruendis habent. Contra hanc ſic illas muniat Sacerdos. 1. Hortetur illas, ut filios in timore Domini educent, & exemplo S. Tobiæ ab infantia faciant, timere Deum; Hanc etiam ſolam eſſe optimam hæreditatem, quam nemo liberis invitis auferre poſſit, & cum qua nullum neceſſariorum ad vitam mediorum defectum ſint paſſuri; ea enim ſi liberos inſtruxerint, audacter cum S. Tobia ad illos dicere ipſa poſſe: *Dilecta proles, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccatore, & fecerimus bene* Tob. 4. Vt etiam Deus ipſe per Pſalmiſtam dixit: *Non eſt inopia timentibus eum* Iſaiæ 33.

2. Iubeat illas conſiderare, quàm liberaliter Deus aves in aere, piſces in aqua, feras in ſylvis nutriat, quantò magis ergo hominibus pretioſo ipſius Sanguine redemptis neceſſarium victum non negabit?

3. Iubet item meminiſſe, quod non tam ipſarum, quàm etiam Dei filii ſint liberi earum: imò magis Dei, ut qui corpus & animam dederit, ſi ergo ipſæ tantopere ſollicitæ ſunt pro liberis, neque illos unquam fame perire ſinerent, quantò maior de talibus liberis cura ab ipſo Deo expectanda erit.

4. Oſtendat illis, quantum periculum & damnum liberis & ſibi ipſis creent, ſi amplam nimis hæreditatem parent; ſibi quidem, dum interea ſalutem ſuam & cœleſtes divitias comparare negligunt, pro quo tamen ipſo labore exiguas à liberis gratias referent, ſed potius efficient, ut & in vita mortem ipſarum illi aſſiduò deſiderent (quo citiùs parata hæreditate fruantur) poſt mortem verò convivia inſtituant, & per turpem decoctionem hæreditatis, notam parentibus mortis inurant, pro honore & levamine quod per tantos vitæ labores exſpectabant.

§. IV.

Praxis Viduas inſtruendi.

Explicandum Viduis, quod cum marito careant, debeant ſe Chriſto offerre, & illum in Sponſum accipere. Suadeat ut Chriſto pro dote offerant has quatuor virtutes. 1. Inſignem vitę honeſtatem, qua ſtudeant Chriſto ſoli placere, & ab eo viciſſim amari. 2. Conſtans ſtudium Orationis: per hanc enim ſponſo ſuo familiares fient, nec aliorum colloquia ambient. 3. Patientiam, qua æquo animo ferant miſerias & deſolationes quas ſecum affert ſtatus viduitatis. 5. Charitatem erga liberos & domeſticos, qua tum neceſſaria illis provideant, tum in pietate & bonis moribus benignè inſtituant.

Tentationes quædam propriæ ſunt Viduis, contra quas à Sacerdote munire debent.

Prima tentatio oritur ex mariti morte, contra quam ſic eas muniat Sacerdos. 1. Oſtendat, marito ſperari poſſe, maritum inter Electos annumeratum eſſe, proindè, ſi verè illum dilexerint, gaudere magis ipſas debere, quòd ille ex carcere corporis liberatus, & ab exilio revocatus in patriam, omni deliciarum genere affluentem fuerit.

2. Declaret etiam illis, meliùs ſic proviſum fore à marito, ſi enim, cum in terris viveret, tanta cura uxori & liberis neceſſaria providebat, quantò magis in cœlis hoc facturum, ubi & charitas innumeris partibus aucta eſt, & maior ad quævis à Deo impetranda facultas adeſt.

3. Revocet in memoriam, quoties viventem adhuc Maritum in longinquas forte regiones negotiorum cauſa abeuntē ſine dolore dimiſerint: quidni ergo etiam jam ipſius abſentiam per diem unicum (nam mille anni coram Deo & cum æternitate comparati, ſunt ſicut dies heſterna, quæ præteriit) æquo animo ferant, ut ſuo tempore, tantò cum maior gaudio, in cœlis iterum videant; maximè cum ſperare poſſint, in eūm locum abiiſſe maritum, in quo negotia ſua, & liberorum cōmoda optimè apud Deū & Patronos procuraturus credatur.

4. Oſtendat illis, quod loco Mariti defuncti infinities ditiorem, pulchriorem, nobiliorem, ſanctiorem, & præterea etiam immortalem, ſummeque ſponſæ ſuæ amantem Sponſum, videlicet Chriſtum, habere poſſint; ei proindè ſe deſpondeant, & tum audacter cum S. Davide Pſal. 22. dicturas: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.*

Altera tentatio, ex ipſo Viduitatis ſtatu & ſolitudine pleriſque viduis per quam ſanè moleſta oritur, contra quam ſic illas muniat Sacerdos. 1. Declaret, quantam curam ſe de Viduis habiturum promiſerit Deus, nam Exodi 22. cap. dicit: *Viduæ et pupillæ non nocebitis, ſi læſeritis eas, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem earum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio*, Ieremiæ 22. præcipit: *Viduam nolite contriſtare*, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui domos viduarum*

comeditis. Pſalmiſta Pſal. 145. dicit: *Pupillum et viduam ſuſcipiet*. Et Deus Pſal. 67. *Pater Orphanorum, et Iudex viduarum* vocatur, ut innuat, ſe ſpeciali ratione Viduas defenſurum.

2. Illis oſtendat, quàm fideliter Deus promiſſis ſteterit, & quantam iam olim curam de illis habuerit, in eumque finem ob oculos illis ponat viduam Sareptanam, 3. Reg. 17. ab Elia mirè adiutam.

Alteram item, cui Eliſeus 4. Reg 4. per olei multiplicationem ſubvenit. Nohemi viduam ſingulari benedictione imperritam. Ruth cap. 1. Viduam, cuius filium Dominus à morte ſuſcitavit. Lucæ 7. Annam filiam Phanuelis, quam Prophetico Spiritu donavit, & quam tantoperè à S. Luca c. 2. laudari voluit. Viduā, quæ duos obolos in Gazophilacium miſit, præ aliis omnibus à Chriſto laudatam. Marc. 12.

3. Proponat in exemplum Viduas illas, quæ, cùm poſſent, nubere noluerunt; quales ſunt, Paula Romana. Bleſilla ejus filia; Melania, quæ marito nondum ſepulto viduitatem ſuam Domino conſecravit; Euphraſia, quæ licèt ætate florida, & divitiis affluens, & abipſo etiam Imperatore rogata, ut ſecundas iniret nuptias, conſtanter abnuit, in Thebaidem ſe contulit; Eliſabetha Regis Vngariæ filia, quæ totam ſe poſt mariti mortem pauperibus infirmis curandis impendit; Olympia Conſtantinopolitana vidua, quæ cum per annum & dimidium duntaxat virum habuiſset, & ab Imperatore Theodoſio moneretur alium accipere, reſpondit: *Si Dominus voluiſſet, me viro nuptam eſſe, non tam citò me illo orbaſſet, quia ergo agnovit, non ampliùs expedire mihi Coniugium, coniugem abſtulit*.

4. Revocet in memoriam illis incommoda matrimonii, & durum vinculum, ob quod ablatum gaudet deberent potiùs, quàm triſtari; meminiſſe quoque lubeat illius dilemmatis, quo vidua quædam Romana uſa eſt, dum dixit: *Aut futurus mihi maritus bonus, aut malus eſt: ſi bonus, vexabit ſemper timor mortis illius; ſi verò malus, expedit mihi magis malum hoc non experiri*.

Tertia tentatio, provenit ex ſollicitudine de victu ſibi & filiis procurando; cōtra hanc muniat eas, partim iis mediis, quæ ſupra pro ſimili tentatione conjugatarum attuli; partim verò etiam iis, quæ infra contra pauperum tentationes afferentur.

Specialiter verò hic proderit in memoriam revocaſse illam hiſtoriam de vidua, quæ duas filias, quas alere iam non poterat, ad aram B. V. duxit, eique omne in illas ius maternum tranſcripſit. Quo facto vix egreſſæ templo ſunt, cum obuius illis iuvenis factus plenum pecunia marſupium offert, ſeque patri eorum mortuo has pecunias debere aſſerit. Accipit pecuniam læta mater, & ex ea veſtem filiabus honeſtam confici curat; cum autem vicini ita veſtitas viderent, & talem pecuniam ex quæſtu impudico comparatam ſuſpicarentur, mater de infamia filiarum ſollicita ad templum properat, & B. V. hanc neceſſitatem commendat, & ſanè iterum auditæ ſunt preces. Nam die quodam feſto, dum filiæ ante domum ſedent, adeſt de cœlo Angelus, & in conſpectu multorum roſas virginibus tradit, dicens, eas ab ipſarum cœleſti Matre in teſtimonium illæſæ virginitatis miſſas fuiſſe. Id ubi Princeps illius terræ intellexit, geminum Monaſterium ædificavit, & utrique has virgines præeſse voluit. Ita refertur in ſpeculo Exemplorum, exem. 117. Et ex Apparatu videri poteſt V. *Conſolatio divina*, quomodo illa Viduis aderit, ſi ad eam fidenter confugiant.

§. V.

Quomodo, & de quibus inſtituendæ Moniales, & Virgines.

SVadendum, ut ſæpè recolant illam S. Bernardi ſententiam: *Ad quid veniſti?* Ac proindè Mundo generosè valedicentes, ſolùm Chriſtum pro Sponſo eligant, certoque ſibi perſuadeant, quidquid ſponſa in Sponſo ſuo exoptare poſſet, id omne illas in Chriſto infinities perfectiùs reperire, ideoque meminiſse eas iubeat ſententiæ illius à S. Paulo 1. ad Corint. c. 7. prolatæ: *Quæ nupta eſt, cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt*, ut ſit ſācta & *corpore & ſpiritu*. Audiant ergo & implere ſtudeāt conſilium in ſimili negotio viduis à S. Auguſtino de bono viduitatis datum, dum ait: *Currite ad illum, placete illi, ex illo vivite, cum illo, & de illo*. Præcipuè verò illas hortetur ad magnam corporis, animique integritatem, ad Orationis ſtudium, ad obedientiam, modeſtiam, & patientiam; hæ enim virtutes maximè ſponſam Chriſti decent. Porrò tentationes ipſarum ad quatuor ferè ſpecies revocari poſsunt.

Prima oritur, ex ſolitudinis religioſæ tædio; contra hanc ſic illas muniat. 1. Proponat illis exemplum avicularum incluſarum, quæ initio quidem ſolitudinis impatientes exitum, ubiq; ſollicitè quærunt, ſed paulò poſt ſolitudini aſſuetæ, adeò delectantur illa, ut neque aperto etiam oſtio exeant: idem ergo ipſas ſperare tan-

tanto certiùs jubeat, quantò fortior eſt gratia divina, quàm conſuetudo.

2. Revocet illis in memoriam, quomodo pleræque Vxores in ſæculo ſolitatiæ domi reſideant, & intereà mille crucibus & curis onoratę gemant & felices virgines Deo conſecratas & incluſas prædicent; gaudeant ergò illæ, ſibi obtigiſſe felicitatem, quam aliæ tantopere expetunt, neque tamen obtinere poſſunt.

3. Oſtendat illis peculiaris favoris judicium hoc eſſe, quod Deus ita illas Monaſterio incluſerit; ut enim venatores accipitri oculos obvelant, ne viliorem prædam inſectatus, nobiliorem dimittat; ita Deus obvelat oculos mentis & corporis Monialibus, ne illi videant & Deum amare omittant. Sicut item imagines elegantes & altaria velis obteguntur, ne ſordibus infectæ ſplendorem ſuum & pulchritudinem amittant; ita Deus Moniales vult obvelatas eſſe, ut tanto pulchrior ipſarum anima, puriorque remaneat, aptaque fiat ad ſacrificium Holocauſti in ea offerendum.

4. Meminiſſe jubeat, quid ſponſus ipſarum per Oſeam c. 2. dixerit: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*. Si ergo in ſolitudine IESVS eſt, & eſſe cum IESV Paradiſus eſt; cur ſolitudinem horreat Chriſti Sponſa? Audiant ergo Thomam de Kempis lib. 1. cap. 20. ſic loquentem. *Si cuncta videres præſentia, quid eſſent niſi viſio vana? Eleva oculos tuos ad Deū in excelſis; & ora pro peccatis tuis & negligentiis. Dimitte vana vanis, tu autē intende illis, quæ tibi præcepit Deus claude ſuper te oſtium tuum, & voca ad te Ieſum dilectum tuum, mane cum eo in cella, quia non inveniens alibi tantam pacem.*

Secunda tentatio oritur, ex defectu temporis ad orationem; quãdoque vero ex conſolationum, quas in precibus ſentire cupiunt, carentia: Contra hanc ſic illas muniat. 1. Oſtendat illis meliorem eſſe & gratiorem Deo obedientiam, quàm victimas orationis & ſacrificia laudis: Certè quemadmodum ſervus in vinea laborare juſſus, ſi Domino ſuo domi ſuaviter canere, vel cythara ludere vellet, minimè gratum obſequium ipſi præſtaret: ita nec hominis grata Deo oratio eſſe poteſt eo tempore, quo Deus aliud ab ipſo obſequium petit. Doceat præterea, ipſum opus obedientiæ orationem eſſe; ſic enim S. Auguſtinus ſuper Pſalm. 150. Cum quæſiiſſet, quomodo res ratione carentes à S. Davide ad laudandum Deum invitatæ, laudare ipſum poſſint, reſpondit, in eo, quod ipſi obedientes ſint, & ſuos effectus ad nutum ipſius producant: unde ſubiicit S. Doctor: *Vis ſemper laudare Deum? benè fac omnia, & laudaſti Deum.*

Inſuper firmiter illis perſuadeat, ipſas conſolationes, quas in oratione ſentiunt, ſi propter obedientiam relinquantur, per obedientiam melius recuperari, ſi enim gaudium eſt in hoc mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo; quis autem cor purius & meliorem conſcientiam habet, quàm is, qui in omnibus Dei voluntatem ſe impleviſſe advertit? Nimirum talibus contingit, quod illi Moniali, quæ cum Chriſtum, qui ipſam viſitaverat, ad portam vocata dimiſiſſet, rediens adhuc invenit dicentem tamen, ſe abiturum fuiſſe, niſi ipſa, quo obedientiam vocaverat, abiiſſet.

Secundò illis, quæ Deſolationes in oratione patiuntur, firmiter perſuadere conetur, in his ſenſibilibus conſolationibus non conſiſtere profectum & perfectionem hominis, ſed potiùs in integra reſignatione ſui in manus Dei, multoque gratiores Deo charioreſque eſſe animas, quæ deſolationes patiuntur & ariditates, quã quæ conſolationibus avidè inhiant. Quod pulchrè aliquando Deus perſonæ cuidam deſideranti ſcire, quænam animæ Deo chariſſimæ eſſent, declaravit ſequenti viſo, ut in ſpeculo exemp. V. *Tribulatio exemp. 6.* videre eſt. Viderat illa perſona Chriſtum ad altare ſtantem, in fratres Moniales flectentes: Ad harum primã accedens Chriſtus, ſuaviter eam allocutus eſt, & poſtea SS. Corpus ſuum tradidit. Subinde ad alteram progreſſus, duris verbis, & torvo aſpectu eam caſtigavit, ſimulque etiam SS. Corpus ſuum porrexit. Tandem ad tertiam pergens, non verbis tantum, ſed etiam verberibus eam plurimis afflixit, & tum demum SS. Corpus ſuum præbuit. Cum autem perſona illa hujus viſi explicationem peteret, reſpondit Chriſtus, primam quidem Monialem ſibi charam eſſe, ſed quia non niſi conſolationes appetit, non eſſe eam tam charam ipſi, ac ſecundam, ut quæ etiam durius ab ipſo tractata, ab eius ſervitiis non deſinat; verumtamen, quia, ſi graviores eſſent tētationes, animo & propoſito deficeret, ideò tertiam ſibi chariſſimam eſſe, ut quæ nullis adverſis rebus ſeſe ab eius amore, *& ſervitio permittit abſterreri.*

Tertia tētatio, oritur ex eo, quod à Superioribus non videantur amari, ideoque non applicentur ad honorifica officia, ſed perpetuis increpationibus vexentur Contra hanc tentatione ſic eas muniat. 1. Proponat exemplum Chriſti, qui uſque ad 30. annum obſcuram vitam vivens, ſubditus erat parentibus ſuis.

2. Iubeat meminiſſe, ad quem finem venerint in Religionem? nonne, ut eligerent abiectæ eſſe in domo Dei ſuis magis, quàm habi-

habitare in tabernaculis peccatorum? Gaudeant ergo ſibi occaſionem offerri finis ſui obtinendi,& ea ſedulo utantur.

3. Demonſtret illis, omnia officia ſuam dignitatem & excellentiam deſumere à voluntate Dei, illumque à Deo copioſius honorandum, qui officium ab eo impoſitum perfectius impleverit, perindè ac in comœdia non attenditur, quam perſonam egerit actor, ſed quam benè.

4. Oſtendit illis commoda, quæ afferunt humilia officia præ altioribus. Nam 1. minus periculi in illis reperitur vanæ gloriæ, & præmii per eam perdendi. 2. Purior eſt intentio; & hoc ipſo major à Deo benedictio 3. Minoribus talentis ad ea opus eſt. 4. Curas minores requirunt. 5. Conſolationes divinæ in iis ſunt frequentiores. 6. Proximus magis inde ædificatur. 7. Charitas fraterna mirè per ea augetur, & conſervatur: omnes enim diligunt eos, qui ſe ipſis ſubiiciunt, & onera pro ipſis portant. 8. Superiores valdè recreantur, & multis curis ſublevantur, quas alioqui ſuſcipere deberent, dum timent, ne imponendo vilia officia, ſubditos offendant. 9. Securius poſſidentur; quia pauci ſunt qui ambiant illa humiliora.

5. Demonſtret illis, nullam familiaritatem eſſe magni faciendam, aut magis appetendam, quam cum Deo; ad hanc verò ſemper illis januam eſſe apertam. Hortetur ergo illas, ut in tentatione conſtitutæ imitentur Rachaelem Monialem; quæ, cum à Iudaiſmo ad veram Fidem converſa, nunquam in Monaſterio viſitaretur, ut cæteræ Moniales, reliquis ad portam garrientibus; ad altare cubiculi ſui acceſſit, & B. V. aut Chriſtum rogavit, ut & ipſi eam ad colloquium admitterent; magiſq; conſolata diſceſſit, quam ſi ad portam cum aliis fuiſſet locuta, uti in Spec Exem. *V. MARIAM Exem.* 10. videre eſt.

6. Hortetur eas ad imitandum exemplum S. Catharinæ Senenſis, quæ ut levius ferret vexationes parentum & domeſticorum, Chriſtum in parente, B. Virginem in matre, in reliqua familia Apoſtolos ſibi immaginabatur.

Quarta tentatio, oritur ex vitiis & peccatis quotidianis, in quæ ſolent incidere, & ob quæ non modicè anguntur quandoque Moniales. Contra hanc ergo tentationem ſic eas muniat.

I. Iubeat illas meminiſſe conditionis humanæ, atque in memoriam illis revocet dictum B. Aloyſii, quod dicere ſolebat, nimium de levibus & quotidianis erratis affligi, indicium hominis eſſe ſemet ignorantis: qui enim ſe norit, non poſſe eſſe neſcium, hortum ſuum tribulorum ac ſpinarum ſuapte natura feracem eſſe. Hinc ille adverſus errata quotidiana hac oratione utebatur: En mi Domine, quàm fragilis ſum, & miſerabilis! quàm proclivis ad lapſum! Ignoſce mihi Domine, & gratiam concede, ne idem peccatum iterum committam, & tum quieſcebat.

II. Perſuadeat illis, quòd quemadmodum infirmus tendens in certum locum, etiamſi ſæpius ex infirmitate caderet; certo tamen veniret ad locum, ſi poſt caſum mox reſurgeret: ita & animam, quæ tendit ad cælum, certò eo perventuram, licèt quandoque in peccata venialia labatur, modo reſurgere citò conetur.

III. Pari modo perſuadeat illis; quemadmodum pater infanti ſuo ob morbum cadenti potius condolet, quam indignatur; ita Deum quoque animæ ex infirmitate cadenti, non modo graviter non indignaturum ſed potius condoliturum, mediaque ad infirmitatem curandam ſuppeditaturum.

§ VI.

Praxis juvandi & conſolandi Pauperes?

Inſtruendi ſunt pauperes, ut ſorris ſuæ utilitate non affligantur, ſed cum gaudio inde ſibi meritum, & coronam acquirant.

I. In hunc finem proponat exemplum Chriſti; qui ut S. Paulus 2. ad Corinth. cap. 8. ait: *Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives*; ſi ergo ſolatium eſt miſeris ſocios habere, quantum erit ſolatium pauperi, paupertatis ſocium habere ipſum Chriſtum.

II. Revocet illis in memoriam, quot millia ſapientiſſimorum virorum, & ſanctiſſimorum ſpontè amplexi ſint paupertatem, ut eſſent ſimiliores Filio Dei; quidni ergo & ipſi gaudeant, ultrò à Deo oblatam hanc gratiam, quam alii per magnas difficultates & certamina quæſierunt?

III. Iubeat meminiſſe, vitam noſtram ſimilem eſſe comœdiæ; ut ergo actor libenter per diem perſonam mendici vel ruſtici gerit, ſi ſperet inde ſe regi, Aulicîſque per eam magis placiturum, & majus præmium obtenturum; Ita & ipſi libenter vilem ſuam perſonam per brevem vitæ diem ſuſtineant, ut Deo cœlitibuſque magis placeant, & merita ſua multiplicent.

IV.

IV. Oſtendat talem tantum eſſe quemlibet hominum, qualis & quantus eſt apud Deum, atque adeò illum eſſe in hac vita digniorem, qui ſanctior eſt; hanc ergo dignitatem obtinere cum in ipſorum ſit poteſtate, cur doleant, ſe falſa gloria honoribuſque carere?

V. Demonſtret, quod Deus divitias illis nó dederit, ſpecialis favoris loco habendum. Indicium enim eſt, Deum hic velle curam eorum habere, atque eos in altera vita ditare regno illo, quod pauperibus promiſit: etiam ipſos in hac vita à curis, quas divitiæ afferũt, liberos eſſe, & annos ſuos in vera pace tranſigere. Ad quem finem proderit narrare hiſtoriam de Fabro illo ferrario, quem cum vicinus dives toto die cantantem audiiſſet, quoddam marſupium pecunia plenum in officinam conjecit, quo ille invento, mox curis obruptus de pecunia ſervanda, & augenda, à cantu abſtinuit, neque eum reſumpſit, donec vicinus detecto conſilio ſuo pecuniam repetiit.

Altera tentatio, eaque gravior, oritur ex timore de victu & veſtitu quotidiano parando, contra quam ſic muniat eos. I. Declaret illis, quantam Deus ſemper curam ſe habiturum pauperum promiſerit, & actu habuerit, ut meritò S. Pſalmiſta Pſ. 10. dixerit, quod oculi eius in pauperum reſpiciant; diligenter ſcilicet conſiderantes, ne aliquid ei deſit: *nam illi derelictus eſt pauper*, eodem teſte Pſ. 9. Vnde jam olim etiam apud Ethnicos, teſte Menandro Ep. 28. pauperes æſtimabantur Deorum eſſe. Quam verò fideliter ſteterit Deus promiſſis, id unum indicio ſatis eſſe poteſt, quod Script. dicat Pſalm. 36. *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem Divites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Si Princeps promulgari juberet, nihil ſe magis placiturum, quam ſi cives, quotieſcumque re aliqua indigerent, ad eum confugerent eamque, audacter peterent: quis civium foret qui non ſæpiſſimè, imò aſſiduò ad ipſum confugeret? & tamen hic Princeps tum propter fragilitatem, tum propter limitatas divitias fallere poſſet. Cum ergo Deus ſummè verax, & potens ſimile decretum promulgari juſſerit, imò ipſe promulgaverit, dum dixit *Petite & accipietis, &c.* Ioann. 16. an non maxima cum fiducia ad eum confugiendum erit?

Demonſtret illis, quot titulos habeat quivis homo juſtus ad omnia neceſſaria à Deo ſperanda.

Primus eſt, quod *homo* ſit: ſi enim Deus lilia agri, & volucres cęli tam ſollicitè nutrit, an ipſius hominis, propter quem omnia illa condidit, non maiorem rationem habebit?

Secundus titulus eſt, quod *redemptus* ſit: quis enim ovem, aut equum, aliudve animal, quod magno pretio emerit, fame perire ſinit? quanto minùs ergo Deus hominem pretioſo Sanguine ſuo emptum & redemptum neceſſariis ad vitam ſubſidiis deſtituet.

Tertius eſt, quod ſit, *Chriſtianus*: quis ignorat, quantâ curâ Deus Iſraelitarum habuerit: qua charitate & ſollicitudine illis manna de cęlo tot annis, coturnices, & aquam de petra providerit? & Chriſtianis, qui veri Iſraelitæ ſunt, quorum illi figura erant, victum quotidianum negabit? aut certè populo illum ſequenti per tantum miraculum panem datum credemus; & Chriſtianis nó corpore, ſed animo, non pede, ſed affectu, non greſſu, ſed virtutis ſtudio ipſum ſequentibus ac imitantibus, neceſſaria alimenta negaturũ exiſtimabimus.

Quartus titulus eſt, quod *ſervus* ſit: quis neſcit, quanta cura victũ ſubminiſtremus etiam brutis ſervientibus nobis? ſi verò ſervum nacti ſumus fidelem, & vtilem, quàm ægrè demittimus? An igitur minorem charitatem à Deo ſperabimus! an neſcimus, quanta cura fidelem ſervum ſuum Davide protexerit, & conſervarit? quam ſollicitè Eliam per corvum aluerit? quam liberaliter Iobo, cui ſimilis in terra tum temporis ſervus repertus non erat, duplicia reſtituerit.

Quintus titulus eſt, quod ſit *Amicus* Dei: quis amicũ ſibi gratum deſerit? quis neſcit amicorum omnia eſſe communia ſi ergo Deus hanc conſuetudinem adeò ſervare decrevit, vt etiam ſe ipſum amicis dare ſtatuerit, an in quotidianis alimentis ſuppeditandis eam transgreſſurus credetur? Certè ad fiduciam orationis adhortaturus, amici panem iterato petentis exemplo vſus eſt, vt indicaret, hunc eſſe ſpecialem titulum, ob quem non facilè quid negari poſſit petenti.

Sextus titulus eſt, quod ſit *Filius*, ſi enim ipſa etiam bruta tam ſollicitè pullos ſuos alunt; an Deo hanc providentiam adimemus? An infans, ſi ratione præditus eſſet, prudenter dubitare poſſet, num mater eum lactura eſſet, & quis dubitavit, an Deus ſuſtentaturus ſit? quibus dixit: *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum? quod ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui*, Iſaiæ 49.

Septimus titulus eſt, quod ſit *Sponſa* Dei: quis unquam audivit ſponſam regiam à ſponſo deſertam eſſe, ſi illa bene ſe geſſerit? Certe Aſ-

ſuerus Eſteri dimidium regnum obtulit; quanto magis daturus fuiſſet, ſi victum tantum petijſſet; An Rex cœleſtis à terreno ſe vinci patietur? Hos ergo titulos benè perpendere pauperes iubeat Sacerdos, certoque promittat, ijs fiduciam auctum iri: ſi enim, qui litteras ſeptẽ ſigillis munitas à Rege accepiſſet, quibus ei victum promitteret, minimè dubitaret, quin Rex promiſſis ſtaturus eſſet: quanto minus de Deo, qui hos ſeptem titulos tam benignè largitus eſt, dubitare fas erit? Id unum ergo ſingulari cura agant pauperes, ut mandata Dei ſeruent, orationem frequentes, patientiam in adverſis non deſerant: de cætero omnem ſollicitudinem in Deum conijciant, & eum ipſi in ore ac mente aſſiduè habeant.

§. VII.

Quo modo agendum cum Conſuetudinariis, & obſtinatis peccatoribus.

SAcerdoti hic imitanda eſt Chriſti manſuetudo & patientia, qua peccatores expectat & recipit. Illius ars & induſtria non eſt poſita in eo, ut tales ſtatim ſine abſolutione dimittat, ſed ut congruis mediis & motivis tales efficiat, ut meritò abſolvi poſſint. In hoc, non illo, conſiſtit labor viri Apoſtolici.

Primo loco ad illorum animos emolliendos adhibenda eſt ſincera ad Deum precatio pro eorum ſalute. Iuvat etiam benigna converſatione; aut etiam obſequiis animos eorum diſponere, ut monita ſalutaria facilius recipiant, quod S. Xaverio familiare fuiſſe in eius vita narratur.

II. Si legere norunt ſuadeat illis, ut ſingulis diebus tardè & attentè unum alterumve folium ex libello pio legant, maximè ex tali, qui vel de æternitate, vel de quatuor noviſſimis ſcribat. Hi enim Concionatores muti multo efficacius plerumq; perſuadent emendationẽ, quã ii, qui in cathedris cum ſtrepitu detonãt.

III. Specialiter illis commendet affectum, & fiduciam ad SS. Domini Paſſionem, horteturque, ut ſingulis diebus ſemel vel ſæpiùs ad honorẽ illius Orationem Dominicam, vel Salutationẽ Angelicam recitent: Hunc in finem juverit illis indicare, quod Chriſtus quondam S. Gertrudi dixit: *Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ offerendo Dei Patri meam innocentiſſimam Paſſionem & mortem. Credat igitur peccator, ſe per hoc obtinere ſaluberrimum fructum indulgentiæ, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, ſicut devota memoria meæ Paſſionis cum fide recta, & vera pœnitentia*, l. 4. Inſin. div. piet.

IV. Simili modò conetur eos ad ſingularem fiduciam & amorem erga B. Virginem excitare. Suadeat ergo Sacerdos, vt hanc B. Virginem peccatòr cũ quo agit varijs obſequijs demereri ſibi ſtudeat, maximè ſingulis diebus aliquid in honorem eius recitando, in eius feſtis confitendo, per diem integrum, maximè vero Sabbati, abſtinendo ab illo vitio, quo maximè infeſtatur. Eum in finem conveniunt una alterius breui hiſtoria oſtendere, quàm ſalutare hoc medium multis peccatoribus fuerit, Ex. gr. illi Militi, cui diabolus ſervi ſpecie aſſũpta per 14. annos ſervierat, occiſurus illum, ſi vel ſemel Salutationem Angelicam, quam recitare quotidiè conſueuerat, omiſiſſet, qui tamen poſtea B. V. patrocinio & ope Eremitæ cuiuſdam, fraude dæmonis delecta, egregiè reſipuit. Vti fuſius in Spec. Exem. V. Angel. Exem. 5. refertur. Alius verò, qui Sabbato V. M. nomen habentis pudori, amore beatiſſimæ Dei Matris, pepercerat, in torneamento occiſus, contritionis elicitæ gratiam, & cum hac ſalutem obtinuit. Ibid. V. Horę Canonicę Exem. 4.

V. SS. Euchariſtiæ uſum quoque, ſi poſſit, omnibus modis perſuadeat: ibi enim menſa eſt, quam paravit Dominus adverſum eos, quos tribulant peccatorũ vitiorumque habitus. Ibi humanus ille medicinalis Sanguis latet, qui ſi auriatur à peccatore, à morbo Caduco ad peccati lapſum impellente eum liberabit. Expertus hanc efficaciam eſt miles ille, qui concubinæ amore implicitus, cum S. Bernardi ſuaſu in agone conſtitutus SS. Euchariſtiam recepiſset; adeò mox mutatus eſt, vt ſummè eam deteſtatus ſit, quam ſummè prius deperierat; uti fuſius in Spec. Exem. V. Attritio videre eſt.

VI. Nonnunquam proderit adhibere medium illud, quo Sanctus Bernardus peccatorem quendam à prava conſuetudine abduxit; dum illi ſuaſit, ut triduò tantum ad honorem SS. Trinitati à familiari ſibi vitio abſtineret; quod cum ille feciſset, ſuaſit S. Bernardus ut alterum triduum ad honorem Chriſti adjiceret, quo conſilio obſervato, ita ille immutatus eſt, vt etiam ſine pacto ullo deinceps abſtinere ſtatuerit.

VII. Salubre quandoque etiam fuerit, dolo bono circumvenire peccatorum, & ad exemplum Nathan Prophetæ, parabolæ, vel etiam hiſtoriæ propoſitione, ipſi ſtatus ſui periculũ vitęq; ſceleratę turpitudinem oſtendere; quod tamen inimo diſſimulanter admodum faciendum eſt, ne artem mox advertens, difficulter

ca-

capiatur. Parabolæ autem vel hiſtoriæ tales poſsunt eſse. 1. Narrat, ex Acroamatis Iac. Bidermanni, hiſtoriam de filio, qui in vineam ire iuſſus, patrem in itinere inuadens deiecit in terram, & cultro interemit. Inferat ſubinde, hoc facere peccatorem reſpectu Dei Patris. 2. Narret ex eod. lib. hiſtoriam de muliere illa, quæ captivum maritum teſtudinis ſuæ muſicæ auxilio ex Turcica captivitate liberavit, fingatq; eam poſtea domi à marito malè habitam, & tandem poſt grauia & repetita vulnera penitus occiſam. Inferat hoc peccatores reſpectu Chriſti facere. 3. Fingat fuiſse Reginam, quæ ex humili loco in aulam tranſlata ad regias nuptias, miſcuerit ſe aliquoties ſtabulis, & lixis, & neque à Rege priuatim monita, neque minis deterrita abſtinuerit. Tali parabola propoſita exſpectet, quid peccator iudicet: & tum inferat: Tu es illa Sponſa Spiritus ſancti, &c. 4. Fingat aulicum ob delicta ſua ſæpius à Rege monitum, iamque excludendum ab aula amicorum tamen precibus fuiſse ſeruatum; ſed illum poſt decies recuperatam, amicorum ope, gratiam apud Regem, nec dum tamen reſipiſcere, ſed in antiqua peccata frequentius labi; an hic vlteriori amicorū auxilio dignus videbitur? Inferat ſubinde, peccatorem talem eſse, qui toties Sanctorum precibus in gratia cum Deo reductus, nec dum tamen reſipiſcat. Fingat hominem aliquem eo inſaniæ redactum eſse, vt ultro veſtes exuens porcorum ſtabulum intraverit, ibique cum porcis habitarit, ſiliquas & fæces comederit, in luto, ſi quod vidit, ſe volutarit, vomitū reſorbuerit &c. Inferatque, peccatorem eſse talem, beſtijſque ſe aſſimilare. 6. Fingat eſse aliquem, qui teſtamentum, quo ignes, hereditas ei tranſcribebatur, vili pretio vendiderit: & oſtendat talem eſse peccatorem, qui gratiam pro vili voluptate vendat.

VII. Fingat Ducem quendam, cui arx valdè opulenta commiſsa ſit, eaque inſuperabilis vili pretio corruptum, ſe & arcem hoſtibus capitaliſſimis tradidiſse. Inferat hoc peccatorem agere, qui arcem animę diabolo tradat. 8. Fingat comicum fuiſse; qui, cum pollicitus fuiſset comœdiam exhibere, atque ideò Regem cum tota aula ſua invitaſset, nunquam tamen in theatrum prodierit, & comœdiam auſpicatus ſit. Inferat, talem comicum eſse peccatorem, qui converſionem differt.

VIII. Quandoque illi oſtendat, quantum gaudium creare poſſit Deo, & omnibus Sanctis, ſi ſeriò ſe emendet. Eum in finem proderit attuliſse fauores ſpeciales, quos peccatoribus ſincerè conuerſis exhibuit Deus maximè S. Mariæ Magd. Mariæ AEgyptiacæ, Pelagiæ &c.

§. VIII.

Quo modò inducendi qui Inimicitias deponere nolunt.

Difficilis eſt curatio huius morbi, quia inſtat vlceris intimis præcordiis infixa hæret inimicitia & fermè quiſque ſuam iram & indignationem iuſtam putat, & culpam totam in ſuum inimicum reiicit. Hinc conſultum eſt, ut Sacerdos tanquam Dei mediator conetur initio inducere utramque partem ad exhibendam aliqua ſigna ſaltem communia mutuę benevolentiæ, ut eſt ſalutatio, alloquium, aut congreſſus mutuus: per hæc enim aliquando incipit illa nubes diſpelli, dum unus experitur alium non eſse à ſe tam alienum, quā exiſtimabat. Oſtendat etiam pacis Mediator, ſe Aduerſarij cauſam non agere, ſed potius velle ipſius bono, ſaluti, & tranquillitati conſulere.

I. Cum affectu charitatis, proponat illi exemplum Chriſti, qui in Cruce exclamavit: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*, Lucæ 23. Inferat ergo: Si Dominus inimicis tam gravibus, tā liberaliter ignouit, tu ſervus illis minoribus non ignoſces? Hoc exemplo Theodoſius Imperator ſe animabat; cum enim rogaretur, ut veniam ijs, qui ipſum offenderant, daret, reſpondit. Quid mirum eſt, ſi nos, qui homines ſumus, homini ignoſcamus, cum Chriſtus, qui Deus eſt, inimicis ſuis tantis tam liberaliter ignoverit.

II. Oſtendat, quàm neceſsarium ſit, ignoſcere inimicis, eo quod alioqui nec nobis dimittantur peccata noſtra, uti pater ex ſervo Euangelico debitum ſuum parvum dimittere nolente. Hunc in finem proderit unum alterumve exemplum paulò terribilius adferre, v.g. de Sapritio Sacerdote; qui iam ad martyrium ductus, quia Nicephoro veniam petenti eā negavit, mutata mente diis immolavit, uti apud *Surium* 9. Februarij videre eſt. Aut de muliere; quę cum in turba hominū ab adoleſcente leviter impulſa, & humi proſtrata, veniam flexo poplita & iunctis manibus petenti negaſset, à dæmone inſpectantibus omnibus abrepta & in puteum deiecta eſt, vti *S. Bernardinus* Senenſis Ser. 15. Quadr. refert. Aut de illa muliere, quæ dimittere noluit, in morbo dū ei SS. Euchariſtia pro Viatico offertur, vultum illa avertit, & dixit. *Sicut ego averti vultum ab alijs, nolens eis dimittere, ita Deus avertit nunc, vultum ſuum à me*: Hæc dicens obiit. *Spec. Exem. V. Dimittere. Exem. 6.* Aut de illo, qui cum eſset mortuus, & in Eccleſia

pro

pro eo preces conſuetæ dicerentur; Crucifixi imago manus retraxit, & auribus opponens dixit: *Nec pepercit, neque parcam*, ibid. *exem.* 4. Quod ſi dubitaret Sacerdos, num is, cum quo agit, ſeriò ignoſceret; poſſet terribilem illam hiſtoriam de Nobili illo Cordubenſi narrare; qui quia fictè tantum veniam dederat, Angeli duo Sacerdotē ad eius ſepulchrum deducentes, juſſerunt SS. Hoſtiam ex ore auferre; quo facto deturbatum cadauer in foſſam, videri deſiit, vti fuſius legere eſt in *Pædag. Chriſt. p.* 2. *c.* 15. *§.* 2.

III. Oſtendat, quantos favores Chriſtus exhibuerit ijs, qui inimicis ignoverunt: nam S. Gualberto, & alteri cuidam nobili Anglo, poſt condonatam hoſtibus, ab illo quidē fratris, ab hoc autem patris cædem, ad Chriſti effigiem orantibus, viſus eſt Chriſtus, viventis modo, toto capite annuere, & factum approbare, vt *Baron. tom.* 2. *anno* 1051. teſtatur. Mulieri verò cuidam, quæ occiſorem filij in domum ſuſceperat, ita Deus rependit hanc gratiam, vt filium eius ex Purgatorio eriperet, & ipſi vitam æternam promitteret, vt Faber in *Feſto S. Steph. conc.* 3. *n.* 3. refert.

IV. Declaret, quàm præclaram habeat occaſionem ingentia bona ſibi comparandi, ſi ſincerè & liberaliter ignoſcat inimicis. Nam 1. per hanc viam facillimè obtinetur remiſſio peccatorum, iuxta illud Chriſti: Matth. 6. *Si remiſeritis hominibus peccata eorū, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur?* ibid. c. 5. Quis autem non libenter tres obolos proximo remitteret, vt aliquot milliones debitorum ipſi remitterentur? 2. Ingens præmium in cælo ſperare poteſt: ſi enim maius meritum ibi eſt, vbi maior difficultas reperitur; quis dubitet, huic actui maximum olim præmium reſponſorū, ſicut maxima in eo difficultas reperitur. 3. Etiam majorem ſibi honorem & famam comparare poteſt ignoſcendo: ſi enim magnam ſibi obvenisſe gloriam crederet, ſi exercitu multis millibus conſtantem ſuperasſet: an non maiorem obtigisſe dicit, ſi victoriam de ipſo reportet, quæ omnium nobiliſſima eſt.

V. Oſtendat illi, quod inimicus ſibi potius: quàm ipſi nocuerit: ſimiles enim ſunt tales homines, qui alicui nocent, vulpeculis Samſonis, quæ, dum ſegetes Philiſtæorum accendunt, ſeipſas etiam pereunt: Similes ſunt vnicorni, quæ dum alia cornu appetit ſeipſam ita arbori affigit, vt extrahere illud non poſſit: Similes ſunt gladio Adamantem aut ſilicem ferienti, qui ſe potius deſtruit, quàm lapidem: Similes ſunt apibus, quæ dum alijs aculeum infigunt, ſe perimunt; Similes ſunt canibus lapidem invadentibus, qui dentes potius ſuos conſumunt, quam lapidi noceant: Similes ſunt illi, qui candelam emungit, ac candelæ quidem lumen clarius facit, digitos autem ſuos adurit & contaminant. Vnde S. Hieronymus ad Euſtochium ait: *Apud Chriſtianos non qui patitur, ſed qui facit contumelias, miſer eſt.*

VI. Oſtendat, quam multorum bonorum occaſiò illi ſit inimicus, illorum nimirū omnium, quæ, n. 5. indicaui: ſi ergo amamus eum, qui nobis viam facit ad ignes lucrum faciendum, vel occaſionem præbet ingenris præmij obtinendi: ſi diligimus eos, qui nobis vel in pugilatu vel in Academicis certaminibus ſeſe opponunt, atque adeo occaſionem faciunt fortitudinis & doctrinę noſtrę oſtendendæ; an non tantò magis diligamus inimicos, quanto maiora bona ſunt ſpiritualia, quæ per amorem inimicorum obtinentur, quam materialia, quæ in hoc mundo tam ſollicitè quæruntur.

7. Hortetur, vt inimicum tanquam manum, & inſtrumentum, aut legatum Dei intueatur, quo Deus vſus eſt ad ipſius læſi ſpeciale commodum: an non enim vt ſic exoſculabitur potius manum, aut legatum Dei tam paternè caſtigantis? Aut certe hortetur, vt eum intueatur tanquam à dæmone impulſum, aut morbo ſuo, an non vt ſic potius condolebit ipſi, quàm iraſcetur?

8. Oſtendat, quod ſi velit vindictam de hoſte capere, non poſſit id melius facere, quam ſi totam ſuam cauſā Deo committat; ſic enim ipſe Deus petijt: *Mihi vindicta & ego retribuam*, ad Rom. c. 12. Præterea verò etiam in memoriam illi reuocet, quod nulla re magis ſe vindicare ab inimico poſſit, quàm ſi nihili faciat iniurias eius; ita enim docet S. Hieronymus in Epiſtolam ad Hebræo, dum ait: *Nihil ita confuſam facite iniuriam agentis, ſicut fortis & miris patientia tolerantis, & neque in opere, neque in lingua ſe vindicatis.*

Conſultum eſt, etiam inducere alios Amicos quibus ipſe ſpecialiter fidit, vt de aduerſario mollia colloquia inducant, declarando aliquam ab eo humanitatem aut beneficiū ſibi præſtitum eſſe, bene de ipſo locutum & conando in rebus agendis aliquod cum ipſo commercium inducere: debent enim ad huius morbi inteſtini curationem varia remedia tentari.

Quo

§. IX.

Quo modo juvandi qui in aliqua Tribulatione verſantur.

EXponendum primò, Nihil ſine voluntate Dei nobis contingere, teſtante Scriptura, *Eccleſ. cap. 17. Bona & mala, vita & mors, paupertas, honeſtas à Deo ſunt.* Deus autem noſter eſt Pater benigniſſimus, quia omnia ad utilitatem noſtram diſponit, & ſolus novit quid nobis expediat. Nec omittet ſuo tempore ſuum nobis auxilium, & ſolatium præſtare, qui dicit juſto: *Cum ipſo ſum in tribulatione*, & D. Paulo: *Virtus in infirmitate perficitur.*

2. Oſtendat, Tribulationes eſſe ſignum filiorum Dei & prædeſtinationis. Id colligitur 1. ex S. Paulo ad Hebræos c. 12. dicentes: *Fili mi, noli negligere diſciplinam patris, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ex Teſtimonio S. Raphaelis Tob. 12. *Quia acceptus fueras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* 3. Et ex praxi Amantium, qui comprimunt fortiter manus. Sic Deus Apocalip. 3. ait: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* 4. Ex revelatione Dei, qua quondam revelavit S. Gertrudi, quod, quando Dominus nihil invenit in homine, propter quod placita dignatione ipſi adeſſe debeat, tribulationes vel moleſtias tam corporales, quam ſpirituales eidem immittit, ut inde habeat oportunitatem manendi cum illo; quia S. Scriptura dicit: *Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Alio tempore eadem Virgo intellexit, *Bloſio teſte in conſolat. Puſill.* quod quemadmodum annulus eſt ſignum deſponſationis, ita adverſitas humiliter propter Deum tolerata, ſit veriſſimum ſignum divinæ Electionis, & quaſi deſponſatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quiſque confidenter dicere poſſit; Annulo ſubarrhavit me Dominus meus IESVS Chriſtus. Quod ſi inter ipſa adverſa homo poteſt dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, jam tanquam ſponſa amabilis coronam obtinet à Domino, quia gratitudo animi in adverſis eſt ornatiſſima atque pretioſiſſima corona animæ. 5. Ex teſtimonio Dei, quo S. Franciſco dixit, infirmitatem, quam tum patiebatur, eſſe arrham theſauri cœleſtis, qui ipſi olim offerendus eſſet; ut in *Specul. Exempl. V. cal. gloria exemp.* 8. refertur. 6. Ex omnium SS. Exemplo, de quibus S. Eccleſia canit: *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam Martyrii.* Certè quò ſanctiores fuere tantò magis tribulationibus vexati ſunt. 7. Ex figuris variis, nam Electi Dei ſunt Lapides, qui ſuper ædificandi ſuo tempore ſuper lapidem Angularem Chriſtum creſcent in templum Dei, ergo in hac vita polliri malleo tribulationis debent. Illi ſunt Triticum ſuo tempore in horreum Domini congregandum, ergo priùs flagellari & excuti debent. Illi ſunt Vuæ ex Chriſto, tanquam vera vite prognatæ, ergo oportet torculari eos ſubiicere, ut gratiſſimum virtutis ſuccum porrigat. Illi ſunt holocauſtum & Victima Deo gratiſſima, ergo per ignem tribulationis immolari debent. Item tribulatio eſt aureæ virgæ Aſſueri ſimilis, quæ ſignum clementiæ & gratiæ apud Regem obtentæ erat. Item eſt ſimilis Funiculo rubro, quem milites Ioſue Rahab meretrici dederant, ut eum appendens ante feneſtram ab interitu ſervaretur, *Ioſue cap.* 2. Tandem eſt ſimilis ſigno Tau, per quod olim *Ezech. c.* 9. notati ab exitio ſervabantur.

3. Præcipuè hortetur afflictum, ut Chriſti exemplum & SS. Paſſiones ob oculos ponat ſibi. Hinc enim mirum robur & ſolatium oriri colligitur. 1. Ex ipſa Chriſti revelatione; cum enim quædam perſona vehementer afflicta eſſet, hanc audivit vocem, ſurge & cogita vulnera mea. Fecit, & mox ſe conſolatam invenit, uti in *Faſciculo Myrrhæ P. Caraffa.* refertur. Alius, qui à Religione ad ſæculum reverti volebat, à Chriſto his vocibus in propoſito confirmatus eſt: *Omne aſperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce.* ibid. Vnde S. Catharina Senenſis dicebat, tribulationem eſſe duro pani ſimilem, qui ut facile per patientiam concoqui poſſit, in SS Chriſti Sanguinem intingendus ſit. 3. Ex æquitate: non enim eſt major ſervus Domino, neque diſcipulus ſupra magiſtrum: neque membrum pedis melius eſt capite: ſi ergo Chriſtum oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam, quanto magis membra, diſcipuli & ſervi ejus per hanc viam ad cœlum tendere debebunt: Vrias admonitus à Davide, ut in domum propriam iret, & quieſceret: reſpondit: *Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in Papilionibus, & Dominus meus Ioab & ſervi Domini mei ſuper faciē terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* 2. Reg. 11. An non multo magis Chriſtianus ſimili modo ſe alloquatur: Dominus meus in toto Corpore paſſus eſt talia ac tanta: & ego hanc parvam tribulationem non ſuſcipiam. Et ego quidem juſtè, ipſe verò quid

fe-

fecit? Ille totum Calicem in ſanitatem meam exhauſit, & ego in ejus honorem vel guſtare illum recuſabo?

Experientia colligitur hujus medii efficacia. S. Elzearius Comes, cum uxor illius patientiam mitaretur, reſpondit illi: *Noveris me interdum ſentire aliquam in animo adverſus infeſtantes me indignationem: ſed illicò me converto ad cogitandas iniurias Chriſto illatas, dicoque mihi ipſi eum imitari cupiens: Etiamſi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi impingerent, nihil rerum hoc eſſet præ illis, quæ Dominus tuus, & plura, & maiora perpeſſus eſt, certoque habeas, coniux mea, me nunquam ceſſare à commemorandis iniuriis Salvatoris mei, donec animus planè ſit tranquillus.* Surius 27. Sep. Colligitur etiam ex ſimili: ſicut enim amaræ pilulæ, dum hoſtia involvuntur, faciliùs ſumuntur: ita & tribulationes, ſi eas memoria Paſſionis Chriſti velut hoſtia involvamus. Sicut etiam Erinaceus in foraminibus petræ refugium quærit: ita anima Chriſtiani in SS. vulneribus quærere deberet.

4. Hortetur, ut ſæpe ad præmia tribulationibus promiſſa animum afflictus convertat, revocetque in memoriam illud S. Pauli ad Rom. c. 8 *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Si ergo Vrinatores in aqua ſe promptè coniiciunt, & gladiatores verbera contemnunt, & milites pericula alacri animo ſubeunt: bajuli onera læti portant, ut vilem mercedem & præmium conſequantur: ſic etiam Iacobo Patriarchæ videbantur dies pauci præ amoris multitudine erga Rachaelem; quidni multò magis Chriſtianus omnes adverſitates libenter ſuſtineat amore & ſpetanti præmii, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit? Sic Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem. Sic S. Stephanus intendens in cœlum, vidit cœlos apertos, ſic & Chriſtus Apoſtolos excitavit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Matth. 5. Sic S. Franciſcus in gravi dolore oculorum animavit, dum dixit: *Franciſce, ſi tota terra eſſet aurũ, & mare ac flumina & fontes eſſent balſamum, & omnes montes, colleſq; ac lapides eſſent gemmæ; tibi alius theſaurus, longè his pretioſior daretur pro infirmitate, an non gauderes? Ecce hic theſaurus eſt vita æterna, quã tibi repoſui. Et ex nunc te inveſtio; & iſta infirmitas & afflictio tua eſt arrha illius beati theſauri.* Spec. Exem. V. *Gloria cœl ex.* 8 Diabolus quoq; aliquando faſſus eſt, ſe libenter omnia tormenta damnatorum uſq; ad extremum Iudicii diem toleraturum, ſi unico momento Deũ intueri liceret: quid non tolerandum ut æternùm videatur: Sicut ergo vadantes flumen, ſurſum oculos erigunt, ne titubantes prolabantur; ita ne inter tribulationes labamur, conſultum eſt, ut ad cœlum oculos mentis erigamus; nam, ut S. Iſidorus ait: *Qui futuræ vitæ præmia diligenter recogitat, præſentis vitæ mala æquanimiter portat.*

5. Moneat afflictum, quod nemo ſit in hoc mundo ſine aliqua afflictione, nam, uti Iob. 14. ait: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.* Ergo ſatius eſt pati propter Deum, ut hac ratione ſatisfaciamus pro peccatis, lætiùs feramus tribulationem, & præmium in altera vita accipiamus, quàm ut per impatientiam nobis faciamus crucem majorem, & graves in altera vita pœnas acerſamus, jacturamque ſummæ mercedis faciamus. Quam doctrinã antiqui pulchro hoc apologo explicabant. *Hinnulus*, inquiebant, *ſylveſter à lupis agitatus ad oves cõfugerat, quas cum videret in pace degere,* ait: *Hic deinceps vitã meam pacifice tranſigam. Paulò poſt tamen adjunt Sacerdotes, & agnos aliquos abducunt. Quos cum hinnulus ad immolandum trahi audiſſet, cũ ſuſpirio exclamavit: Heu mihi, ut video, nullus locus à perſecutione immunis eſt; ſed tamen omnibus perſpectis, meliùs eſt hic manere, & in obſequium Dei pati, quam in eſcam cedere luporum.* Sic ergo etiam omnes juſti & prudẽtes Chriſtiani diſcurrunt, quos hinnulus iſte ſignificat.

6. Iubeat afflictum meminiſſe, quoties infernum vel purgatorium meruerit: ſic omnia leviùs tolerabit. Quis enim latro graviſſima tormenta promeritus, non cum gaudio acciperet colaphum, ſi tota pœna in hanc converteretur, & prætereà ingens pro eo fortiter tolerato præmium offerretur? Ecce omnia tormenta hujus mundi comparata cum gehenna nec colapho quidem comparari poſſent; & tamen erit, qui his longè mitiora & minora ferre recuſet, maximè cum in præmium ipſa beatitudo promittatur? S. Franciſcus Borgia omnia hoſpitia ſibi optimè præparabat, quia cognitionem ſui & inferni præmiſerat. Præmittat & hos duos prodromos afflictus, ſic omnes tribulationes, per quam leves efficiet.

7. Demonſtret, fruſtraneum eſſe mœrorem ad malum leniendum, nam ut eleganter S. Chryſoſtomus ait hom. 5. ad populum: *Triſtitia ob id nobis data eſt, nõ ut in morte, aut alia re doleamus, ſed ut doleamus peccatum, quaſi morbi illius remedium. Sicut ergo remediũ lippitudinis illam tollit, non alios morbos; ſic triſtitia peccatũ tollit, non alias ægritudines, v. g. pecunia quis mulctatus eſt, doluit, non emendavit: filium amiſit, doluit;*

luit; non reſuſcitavit mortuum: contumeliis affectus eſt; non revocavit contumeliam: infirmatur, dolet: morbum non aufert, ſed auget. Sed peccat quis: triſtatus eſt, peccata delevit. Ergo triſtitia tantùm facta eſt propter peccatum, à quo nata eſt: ideò ut tinea ipſum corrodit et abſumit.

§. X.

Quomodo Conſolandi quibus Amicus, parens, aut filius mortuus eſt.

1. Sic afflictum apte alloqueris. Tres tantum poſſunt eſſe cauſæ te affligendi dolore ex tali morte, vel ex parte Dei, vel ex parte defuncti, vel ex parte tua aut amicorum: ex nulla autem hic parte dolendum eſt. Nam 1. ſi Deum attendamus: ille iure ſuo repetiit quod ſuum erat: ſi ergo, cum depoſitarius repetit depoſitum ſuum, volentes reddimus; cur ſi Pater cœleſtis repetit amicum, quem nobis ad tempus cõceſſit, doleamus & queramur? Præterea ſi boni Chiſtiani ſumus, nihil aliud velle debemus, quàm quod vult Deus: ſi ergo ille voluerit defunctũ nobis auferre, quidni & nos velimus? Cur ergo non exclamamus cum S. Hieronymo (ad Paulam de obitu Bleſillæ) *Bonus eſt Deus, et omnia, quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur: plango, quod accidit: ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Vnicus raptus eſt filius: durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat.*

2. Si ipſe defunctus attendatur: vel bonus is fuit, & bene defunctus eſt, vel malus fuit, & malè obiit: *Si bene*, lætandum potius eſt, quàm triſtandum: nam ut S. Chryſoſtomus Hom. 63: in Matth. ait: *Illum abiiſſe in prata florentia cum putes*, ingentes cur adverſum te ſuſciras fluctus *tempeſtatis? hic autem (luctus præſentis vitæ) pernavigavit. Si ad imperandum, regnandumque hoc caduco mortalique regno filius tuus abiiſſet, nolles eum indè redire, ut ipſum videres: nunc verò cum ad meliora, maioraque regna proceſſerit, parvi temporis abſentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare: reddidiſti enim depoſitum quod tibi creditum erat.* Præterea ſi tu cum amantiſſimo amico in carcere conſtitutus eſſes: & illi à Rege gratia fieret, atque ex carcere in aulam transferretur, ut ibi continuis deliciis frueretur: an ut dolores, velleſque eum in carcere retinere? minimè profecto, ſi verus amicus eſſes. Ecce Deus amicum tuum ex carcere corporis eduxit ad gaudia cœleſtia: & tu eum ab his impedire velles? Si verò *malus fuit*: dolendum iterum non eſt: quia peior vaſiſſet, ſi diutiùs vixiſset, atque adeo maiorem pœnam incurriſſet: quod Deus prævidens rapuit illum, unde Tertullianus c. 9. de patientia. *Chriſtum lædimus*, inquit, *cum evocatos quoſque ab illo quaſi miſerandos non æquanimiter accipimus.* Certè Deus & Beati non minus amant amicum tuum, quàm tu: & tamen illi etiam in tali caſu conſtitutum non lugent, ſed potiùs divinæ juſtitiæ & voluntati acquieſcunt: neque tu etiã, ſi aliquandò veneris eò aliter facies: cur ergo non jam quoque facere poſſis, & facias, quod ibi poſtea facturus es?

3. Si ſeipſos afflicti attendant, necdum habent cauſas dolẽdi, nam loco amici huius aut filii, ipſum Deum habent, qui ipſos ſolari vel adiuvare poſſit, ergo meritò illis dici poteſt, quod Reg. c. 1. Elcana Annæ uxori dixit: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi ſum, quam decem filii?* Nimirum vanum auxilium & ſolatium illis ſubtraxit Deus, ut in illo tanquam fonte ſinceriora quærant, cur ergo tam ſalutari conſilio non acquieſcant? Iubeat item meminiſse, quantarum curarum cauſa fuerit defunctus: quantum impedimentum in divino ſervitio: hoc certè agnovit Melania Iunior de qua S. Hieronymus ſcribit, quod calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdiderit filios: quo tamen in caſu lacrymam non fudit, ſed ſtetit immobilis, & ad Chriſti pedes devoluta quaſi ipſum teneret, arriſit, & dixit: Expeditiùs tibi nunc ſervitura ſum Domine, qui tanto me onere liberaſti. Tandem oſtendat, cum ſpes ſit, defunctum talem in cœleſtem aulam receptum eſſe, gratulari ipſos debere, quod ibi tantum amicum habeant, qui & velit, & poſſit plurimum ipſorum commoda promovere.

2. Revocet in memoriã, quod talibus amicis caruerint ſine dolore antequam ii nati eſſent: cur ergo non etiam nunc carere poſſint, cum ii amplius non exiſtunt? Imò in cœlis magno gaudio exſpectant ipſos, & ad ipſorum præſentiam anhelant.

3. Proderit aliqua exempla afferre eorum, qui mortem amicorum forti animo tulere: quale ante omnia alia eſt exemplum Beatiſſimæ Virginis, S. Iobi, matris Machabæorum, S. Felicitaris, & S. Symphoroſæ, quæ ſeptem filios martyrio affici coram ſpectavit; Mauritii, qui ad ſingulos ictus, quibus filii interimebantur, exclamavit: *Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum.*

Mo-

§. XI.

Modus diſponendi eos qui gravem Bonorum iacturam fecerunt.

1 OStendat, Bona quæ amiſerunt à Deo ipſi donata fuiſſe: nam omnes nudi in hunc mundum venimus, & nudi inde exibimus. Non eſt igitur ægrè ferendum, quod Deus illa pro arbitrio abſtulerit. Sed potiùs cum maximo animæ ſuæ lucro dicat cum S. Iobo cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

2. Imo oſtendat, talem iacturam ſæpe eſſe ſignum divinæ dilectionis. Nam ſicut Vinitor amputat vites, quas diligit: & qui avē amat, & retinere deſiderat, alas ei amputat, & mater filio cultrum ſubtrahit, ne ſemetipſum lædat; & dominus foco ligna ſubtrahit, ne domus omnino comburatur: ita Deus iis, quos amat, temporalia bona amanter ſubtrahit.

3. Declaret illis, quàm miſericorditer cū illis agat Deus, per hanc iacturam illos puniendo; quæ enim adultera non clementer ſecum agi exiſtimet, ſi maritus tantùm adulterum auferat, & ſimul promittat, ſe, ſi illa patienter ferat hanc ablationem, non modo in gratiam cum recepturum, ſed ingentibus etiam donis ditaturum? hoc autem facit Deus, divitias ab illo, cum quibus ſpirituale adulterium commiſerat, auferendo. Si ergo nulla adultera in adulterio deprehenſa, dicere audet marito: relinque mihi adulterum, ut pergam cum eo ius tuum lædere; quomodo anima fidelis divitias ablatas repetere à Deo audebit?

4 Demonſtret, ingens illis beneficium eſſe collatum per divitiarum ablationem: ſi enim divitiæ ſunt ſpinæ ſuffocantes ſemen verbi divini, ſi ſunt laquei diaboli trahens in ſempiternam mortem, ſi ſunt cancer ad vitalia animæ ſerpens, & mortem cauſans ſpiritualem; ſi ſunt lapis animam pondere curarum, & peccati opprimens; quidni magnum ſibi beneficium collatum exiſtimabit, à quo hi laquei, & ſpinæ ablatæ ſunt; cui cancer iſte ſine inciſione ademptus eſt?

5. Hortetur, ut oculos convertant ad veras divitias, ſcilicet ad virtutes & bona opera; itē ad cœleſtia gaudia, quæ ipſis invitis auferri non poſſunt, uti nec ipſe Deus, ſic certè leviter ferent iacturam temporalium exemplo primorum Chriſtianorum, ad quos S. Paulus Hebr. cap. 10. ſcribit. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gladio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere melierem & manentem ſubſtantiam.* Quis non libenter Agrum ſuum grandine deſtrui ſineret, ſi grando Aurea eſſet? talis autem grando eſt tribulatio, quia per illam regnum cœlorum emimus. Iubeat ergo meminiſſe illorum S. Davidis verborum; *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua* (offerentes pecunias, quæ ipſis vel à magiſtratu, vel ab hoſte auferebantur) *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

6. Denique iubeat ſperare, quod ſicut Dominus Iobo duplicia reſtituit, ita & ipſis poſſit, & verò etiam velit (ſi ita ipſis utile fore videbit) duplicia reſtituere; certè neceſſaria non negabit, iuxta teſtimonium Scripturæ: *Iunior fui, etenim ſenui: Numquam vidi iuſtum derelictum, aut ſemen eius quærens panem.*

§. XII.

Quo modo Inſtituendi ſunt qui in Fama aut Honore grave detrimentum acceperunt.

INfamiæ apprehenſio quantùm fieri poteſt diminuenda: plerique enim plus ſui Honoris ſe amiſiſſe putant, quàm re ipſa perdiderint. Imo multi circa ablati Honoris meras umbras verſantur.

Sed etſi pateat Honorem alicuius facto, maledictio, aut calumnia verè læſum fuiſſe. Iubeat conſiderate, an ipſius honor pluris faciendus ſit, quam honor Dei? Sicut ergo Deus hominum blaſphemiis, iniuriis, & peccatis contra ſe factis nihil in ſe turbatur, ſic multo minus debet homo conturbari, aut contriſtari, cuius honor infinities minoris eſt momenti.

1. Oſtendat illi talem & tantum eſſe quemlibet, qualis & quantus eſt in oculis Dei; parum ergo curandum eſſe, quidquid de illo ſentiant homines: neque enim propterea æger eſt ſe quis incipit, ſi alii ægrum dicant; neque Sol ſplendorem ſuum amittit, ſi aliqui obſcurum eum eſſe aſſerunt; neque propterea, quod aliqui aſinum, leonem vocent, talis erit. Verbo, ſi cuncta contra aliquem dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſent, quid ipſi noceret, ſi omnino tranſire permitteret, nec plus, quam feſtucam perpenderet, nunquid vel unum capillum extrahere poſſent? uti rectè Thomas Kempenſis l. 3. c. 46. d. ſcribit.

2. Hortetur, ut is, qui iniuriam accepit, peccata ſua & utilitatem inde exortam bene perpendat; ut verè nihilum ſe agnoſcat: ſic enim

enim haud difficulter contemni & infamari ſe ſinet: quis enim ægrè fert, ſi in nihilum verba contumelioſa iaciantur? quis indignatur, ſi de ſterquilinio, vel de ſtulto parum honorificè homines loquantur?

3. Oſtendat illi, tantam eſſe dignitatem, ſi quis ſine cauſa iniurietur & contemnatur, ut erubeſcere potiùs deberet, quòd Deus ad talem dignitatem eum eueha. Quid enim dignius, quod magis maieſtate plenum, quam ipſi Chriſto orbis Servatori ſimilem fieri? quantopere honoratum ſe crederet is, cui Rex veſtem proprii filii ſui dono mitteret, eamque induere iuberet; hoc autem beneficium & honorem exhibet Deus illi, quem comtemni & iniuriis affici ſinit.

4. Oſtendat, quam nihil proficiat, mutuas iniurias & convitia reponendo. Id profectò eleganter hac ſimilitudine declaravit S. Chryſoſtomus c.5. in Epiſt. ad Theſſal. *Cōvitiatus eſt quiſquam? vituperavit? tu claude os tuum ſi enim illud aperueris concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quod, quando è regione directò duæ ianuæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit; ſi alteram clauſeris, nihil efficiat flatus, ſed plurimū de illius robore præcidatur? Ita & hic duæ ſunt ianuæ, os tuum, & os illius qui te vituperat & probro afficit: Si tuum occluſeris, & ſpirationem debebis, omnem iſtum flatum extinguas; ſi verò aperueris, effrenis reddetur*. Dicat ergo, quiſquis iniuriam paſſus eſt: *Poſui ori meo cuſtodiam: cum conſiſteret peccator adverſum me, obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*. Hoc enim ſilentio duo inſuper commoda conſequetur. Primum eſt, quod ſic magis ſe vindicet de lædente: nam, ut S. Ambroſius lib. 2. de offic. c. 3. ait: *Si taceas, ſi diſſimules, ſolet dicere* (convitiator) *quid taces? loquere, ſi audes; ſed non audeas, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum ſe reputat, illuſum, poſthabitum, ac irriſum. Si reſpondeas: ſuperiorē ſe factum arbitratur, quia pacem invenit*. Secundum eſt, quod ipſa taciturnitate famam ſibi hominis virtuoſi faciat, qua fama non poteſt eſſe præſtantiori: ſicut enim ſi dolium percuſſum, ſonum edat ad minimum iſtum, vacuum eſſe colligimus: ſi verò non reſonet, plenum eſſe dicimus, ita plenos gratia & fortitudine exiſtimamus eſſe, quos ad iniurias tacere advertimus. Hinc Eccleſia de SS. Martyribus canit: *Non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde tacito, mens bene conſcia conſervat patientiam*.

5. Non parum etiam proderit, eos, qui iniuriam inferunt, conſiderare quaſi infantes, phræneticos, inſanos, &c. quod medium S. Baſilius homil. 10. de ira ſuggeſſit, dum dixit: *Si parvus puer te verbis contumelioſis peteret, occaſionem tibi potiùs ridendi daret. Quod ſi phrenesi captus, & ſenſu excidens verba vitæ incompoſita & ſtulta minimeque vera dicat, miſericordia potius quam odio dignus erit*. Hoc medio uſus eſt Chriſtus, dum in Cruce dixit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*, Lucæ 23. Eodem uſus eſt & Seneca, hinc quibuſdam ſibi oblatrantibus dixit *Moverer, ſi iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, ſed de ſe*. Prætera lingua aliena loquenti (iuxta commune adagium) obſurdeſcendum eſt; atqui lingua convitians non eſt Chriſtiana, ſed diabolica (nam benè advertit S. Hieronymus ad S. Euſtochium: *Iraſci hominis eſt frænū iracundiæ imponere Chriſtiani*) ergo tacendum eſt potiùs, quàm loquendum. Si hæ rationes etiam Ethnicos ad animi æquitatem compoſuerint, quanto magis Chriſtianos, quibus infamiæ æquo animo toleratæ promiſſa ſunt à Deo præmia æterna.

§. XIII.

Quomodo Conſolandi & Inſtruendi ſint Captivi in carcere detenti.

EXponat captivo Carcerem eſſe Scholam plurimarum virtutum, quas forte alibi non tam commodè diſceret aut exerceret. Nempe in ea exerceri poſſe Humilitatem, Patientiam, Orationis ſtudium, Reſignationem, & Fiduciam in Deum. Hortetur ergo ut divinæ iuſtitiæ æquitatem humiliter agnoſcens, ſæpius ex animo dicat, *Iuſtus es Domine et rectum iudicium tuum*, Pſ. 118.

1. Oſtendat huius, & omnium malorum cauſam præcipuam eſſe peccata noſtra: Sicut enim ex terra aſcēdit materia, ex qua tonitrua & fulmina homines percutientia generantur: ita in cœlos quoque homines materiam iræ divinæ, ſcilicet peccata, mittunt. Vnde S. Chryſoſtomus; *auferamus*, ait, *malorum fontem, et omnia malorum ſiſtent fluenta*. Hortetur ergo captivum, ut velut obediens filius agnoſcat paternam Charitatem, & carceris pœnam cum patientia & reſignatione accipiat, ſic enim & Deum ad parcendum citius permovebit, & ſuam ipſe pœnam levius tolerabit; nam ut S. Gregorius l. 10. mor. c. 5. ait: *Quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur*. Et, *dolor flagelli temperatur, culpa agnoſcitur; quia tanto quiſque ferramentum Medici patientius tolerat, quantò magis putridum eſſe conſpicit, quod ſecat*. Certè facilior erit conſolatio, ut idem Do-

Ctor

ctor ait, ſi inter flagella, quæ patimur, delicta quæ fecimus, ad memoriam revocemus. Dicat ergo Sacerdos captivo: *Quod meritò pateris, patienter ferramento.*

2. Suadeat captivo, ut, quo faciliùs ferat captivitatem, in carcerem præmittat duos nuntios: cognitionem ſcilicet purgatorii, & inferni, quorum utrumq; per peccatum ſuum meritus fuerat, neque dubitet, quin inde levior quantacunque carceris moleſtia ſit futura. Ita S. Chryſoſtomus promiſit, dum dixit: *Si terribile aliquid videris, cogita gehennam, & illud deridebis*. Certè Monachus quidam, qui infernum viderat, ultrò ſe per duodecim annos incluſit, nullius admittens colloquium, donec tempus moriendi advenerat: uti Io. Maior in Specul. Exem. diſt. 2. ex. 246. refert.

3. Revocet illi in memoriam commune illud Proverbium: *Anima magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat*: hortetur ergo illum, ut & ipſe in Paradiſum mente deambulet: ſic enim carceris moleſtias non ſentiet.

✠ Sanctorum exempla, qui carceres cum gaudio inhabitarunt, Proponat videlicet S. Ioſephi Patriarchæ, SS. Petri, & Pauli, S. Ioannis Baptiſtæ, &c. de quorum captivitate loquens S. Chryſoſtomus hom. 5. de par. Iob. ait: *Si mihi quiſpiam dixiſſet, elige, utrum velis: vis eſſe Angelus Petrum ſolvens, An Petrus vinctus? Petrus utique eſſe maluiſſem. Maius hoc vinculorum donum eſt, quàm ſolem ſiſtere, aut mundum movere, aut dominare dæmonibus, eoſque expellere*. Neque obſtat, quod hi non propter ſcelera incluſi fuerint: nam qui illis carcer honorificus fuit propter Dei amorem, is illis honorem afferre ſimilem poterit per iuſtitiam, & humilitatem. Et præterea quod carceri huic ad martyrium deeſt, ipſa voluntas deſiderio ſuo ſupplere poteſt. Atque hanc ipſam ob cauſam ſuadendum ipſi eſt, ut vel maturè contritionem eliciat, vel etiam omninò Confeſſionem faciat (etſi capite non periclitetur) ne per peccatum mortale obicem ſatisfactioni, meritiſq; ponat.

V. Magnopere curet, ut talis captivus otioſus non ſit; ſic enim triſtibus, & nocuis cogitationibus, tentationibuſque aperitur aditus. Itaque ſuadeat frequentem roſarii, aliarumque precum recitationem, ſubminiſtret illi imaginem piam, numiſma habens Indulgentias, commendet ei ſtudium in animas purgatorii, & alias ſimiles devotiones. Quandoq; etiam prodeſſet, talem captivum opere manuali occupare, ſunt enim plerumque homines rudes, non aſſueti occupationibus mentalibus, vel librariis; ſi tamen legere norunt, utiliter illis liber aliquis ſpiritualis v. g. vita Chriſti aut Sanctorum, de æternitate, de morte, de patientia, &c. offeretur legendus.

§. XIV.

Quomodo aſſiſtendum damnatis ad mortem ante, & poſt latam ſententiam.

1. NOn expedit pendente mortis ſententia Reum ad Confeſſionem hortari, ne tunc timore ſupplicii peccatum ſileat; ſed potiùs ritè diſponere ad præparationem Confeſſionis generalis poſtea faciendæ, & ad Reſignationem in divinam voluntatem.

2. Non expedit etiam, ut recipiat in ſe vitę ſervandę patrocinium; quia ſic Reum non poſſet tam commodè diſponere: ſemper enim Reus haberet ſpem vitæ à Confeſſario obtinendæ: quod ſi hac ſpe cadat, ab alienabitur ab eodem, utpotè qui cauſam ſuam non benè egerit. Poterit tamen in genere promittere, ſe nihil omiſſurum, quod in illius commodum cedere poſſit: quia tamen Iuſtitiæ curſus ſuus relinquendus, & Magiſtratus tum propter obligationem, quàm habet ſcelera puniendi; tum propter maturam conſiderationem, quàm in huiuſmodi cauſis adhibet, non facilè mutat ſententiam: ideò ſuadere ſe dicat, ut in divina voluntatem ſe penitus reſignet, & quo prævíſa tela minùs feriant, ad quamcunque ſententiam de manu Iudicis non aliter, atque de manu ipſius Dei accipiendam ſe præparet.

III. Poſt latam mortis ſententiam Reo per Confeſſionem expiato, & SS: Corpore Domini refecto, præter Confeſſarium, & eius ſocium non expedit plures cum eo converſari? ipſi verò de nulla re alia loquantur, niſi quæ ad ſalutem pertinet, omnem ſermonem de amicis, parentibus, &c. præſcindentes.

IV. Ultima nocte imminente admonebit Reum, ut dormiat; ne timor mortis imminentis hominem nimis debilitet, & indiſpoſitum reddat diei ſequentis neceſſariis admonitionibus, & imparem doloribus exantlandis. Expedit autem dormienti adeſſe quendam, qui ſi neceſſe ſit, conſolari queat; quia tunc magis creſcunt tentationes, & deſolationes.

V. Illuceſcente fatali die, prima ſit cura Sacerdoti, ut formato S. Crucis ſigno, & invocato in vota Deo, eidem dies illa offeratur intentione optima: uniatur diei quo Chriſtus paſſus eſt; imploretur auxilium Sanctorum,

præ-

præſertim Patronorum, & illius, cuius nomen gerit Reus, Detur opera, ut confiteatur iterùm, lucretur indulgentias, conformetur voluntas cum divina, & alia exerceantur pietatis opera, uſquedum carcere educatur. Solatio erit magno, ſi indicetur pro eius felici morte jam litatum Deo; pro anima verò denuò litandum. Spondeat quoque Sacerdos, ſe rogaturum plures, maximè verò Spectatores poſt ſupplicium ſumptum, ut pro eo preces, & fortè etiam indulgentias aliquas (maximè menſtruæ Communionis, ubi earum facultas eſt) offerre dignentur.

VI. Caveat, ne quidquam ad feſtinandam mortem proferat, imò interrogatus à ſatellitibus vel aliis, an omnia ſint abſoluta? reſpondeat, ſui muneris eſſe, cum Reo de animæ ſalute agere, reliqua ſui fori aut judicii non eſſe. Secundùm *Vaſquez* tamen irregularitatem homicidii publici non incurrunt perſonæ privatæ, ſed tantùm miniſtri juſtitiæ.

VII. Cum fertur ſententia decretoria, hortetur Reum, ut eam cum humilitate & reſignatione magna, de juſtiſſima Dei manu accipiat, rogetque Deum ardentibus ſuſpiriis & verbis ferventibus, ut intuitu huius fetalis ſententiæ dignetur eum a ſententia mortis æternæ liberare.

VIII. Cùm Reus ad mortem pergit, ſummopere curandum eſt, ne oculis huc illuc vagetur, obvios ſalutet, aut alloquatur, maximè amicos aut conſanguineos; ſed totis viribus in unam animæ ſalutem incumbat. Si trantseundum ſit propè templum vel Crucem juvabit Chriſtum vel ſacram ædem inclinato capite, aut forſitan etiam flexo poplice venerari, & opem gratiæ divinæ expoſcere.

IX. Proderit tota tam funeſto itinere orare continuò quod ut fiat ſuavius, nunc è libello preces recitentur, nunc è memoria prout affectus dictaverit, actus virtutum eliciantur, præſertim Contritionis, Fidei, Spei, reſignationis, invocationis, &c. Sæpe tamen clamare non expedit, quia non raro magis turbatur animus Rei, & quodam horrore percellunt vociferationes huiuſmodi. Curet, ut manibus teneat Crucem; circumligatum ſit Roſarium, ſi quidem manus poſt tergum non ſint revinctæ, tum enim ipſe Crucem ferat, & ſæpius offerat deoſculandam.

X. Cùm in conſpectum loci fatalis venerit, conetur Reo adimere horrorem, vel minuere certè. Proderit exemplum S. Andreæ in memoriam revocare, & explicare, quo animo Chriſtus montem Calvariæ conſcenderit: Iuvabit etiam frequenter tum repetere voces illas: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Domine hic ure, hic ſeca; modò parcas in æternum. Etiam ſi occiderit me in eo ſperabo.*

XI. In ipſo loco denuò & magno cum affectu interroget, num animum aliquid cruciet, vel remordeat conſcientiam? num iterum confiteri velit? an alia quapiam tentatione impugnetur? Adhortetur exquiſitis verbis ad luctam ultimam, quam ſi victor evadat, triumphaturus ſit in æternum. Iterum quærat, num omnibus ignoverit? ingeminentur actus contritionis, virtutum Theologicarum; offeratur oſculum Crucis, & eiuſdem ad pectus amoroſa appreſſio.

XII. Ut maiori cum alacritate vel ictum excipiat, vel laqueum recipiat; ruſum polliceatur Sacerdos, ſe illius poſt mortem memorem futurum; nec unquam deſiſtat à cohortatione ad patientiam. Curet, ut ſæpè ingeminet illa SS. Nomina, Et illa: *IESVS MARIA!* Et illa: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.*

PRAXIS aſſiſtendi aliis ægris ac moribundis. Et Motiva illis inculcanda ad Reſignationem, Patientiam, Fidem, Spem, Charitatem: Et harum virtutum ac Contritionis Actus, diſerte expreſſi habentur paulo ſupra in ipſa praxi aſſiſtendi cuivis moribundo: quæ ſi opus ſit, poſſunt hinc, aut alibi uſurpari: & maximè in quavis Sacramentorum adminiſtratione.

Item *Inſtructiones* pro ipſo Sacerdote quoad ſuam perſonam, & Functione, traduntur infra in ſequenti Praxi aſſidua Meditationum pro Sacerdote &c.

PARS SEXTA
PRAXIS ASSIDUA MEDITATIONUM PRO SACERDOTE
Ad Vitæ & Functionum ſuarum perfectionem.

Item: RITUS & ORDO *ſingulorum Sacramentorum, &c.*

CUm Sacerdotis ſit populum non tantùm verbo, ſed etiam exemplo docere, ante omnia opus eſt, ut ipſe omnes muneris ſui partes piè ſanctèq; exequatur. Debet enim Sacerdos eſſe in Eccleſia Dei, *Lucerna ardens & lucens;* lucere autem non poteſt foris vitæ exemplo, niſi priùs ardeat intus ſincera erga Deum ac proximum charitate, neque hunc divinæ charitatis ardorem concipere, niſi coram Deo ſeria officii ſui conſideratione intellectum illuminet, & voluntatem ardenti virtutis ac perfectionis deſiderio accendat. Hinc ſapienter affirmat *Caietanus in 2.2. q.82. ar.3.* neminem poſſe dici Religioſum (nec ſimili ratione perfectum Sacerdotem) qui ſemel in die mentali oratione animum non exercet: quia fieri non poteſt, ut quis ad Chriſtianæ virtutis perfectionem perveniat, niſi eam ſeriò deſideret, deſiderare autem non poteſt niſi eam eiuſque dignitatem attentè conſideret.

Et mos eſt laudabilis hic in Belgio, ut nemo à Prælatis ad Sacerdotium admittatur de quo non conſtet quod per Exercitia ſpiritualia in ſanctis Meditationibus animum excoluerit, quod utinam alibi in praxim inducatur. Ne igitur omninò deſideretur medium ad Sacerdotis perfectionem tam neceſſarium, hic aliquem ad meditationem ingreſſum per materias illius ſtatui convenientes, breviter aperiemus, ut Meditationis utilitate & ſuavitate deguſtata, poſſit paulatim Sacerdos ſua induſtria, & divino auxilio, illius uſum ſibi reddere magis familiarem.

Hæ autem Conſiderationes quas ſubiicio, non ſunt obiter legendæ, ſed meditantium more in ſingulis punctis ſiſtendum eſt, cum pio affectu conſiderãdo documenta, quę Deus illic proponit, quam neceſſe ſit illa obſervare, quàm periculoſum negligere, notando virtutem quam commendant, aut vitiũ quod damnant. Et in ſingulis reflectendo ad ſe ipſum, & examinando, an hoc hactenus obſervaverit, aut contrarium vitium evitaverit, proponendo quam primum, & in particulari ſeriam emendationem, & operum ſuorum dignam Sacerdote perfectionem, ad Dei gloriam, ad proximi ædificationem, & animæ ſuę ſolatiũ, tam in hac vita, quam in tota æternitate.

DIE DOMINICO

Conſiderationes de Dignitate, & Obligatione Sacerdotum.

COnſidera primò. Sacerdotes plures ſuam dignitatem & obligationem vel ignorare, vel non ſatis expendere: & hinc fieri, ut in multis more ſæculariũ vivant, nec obligationi ſuæ reſpondeant, nec in debito honore & æſtimatione à ſæcularibus habeantur. Sacerdotis perſona & officium ſemper apud præcipuas Gentes tanta in æſtimatione habita fuit, ut qui erant Reges, debuerint ſimul eſſe Sacerdotes, ad maiorem reverentiã Regiæ perſonæ conciliandam. Teſtatur id S. Ambr. Ser. 18. in Pſal. 118. ubi teſtem adducens Platonem ſic ait. Inter alia didicit (Plato) apud Ægyptios non licere Regem abſque Sacerdotio imperare. Quin imo ſi ex alio genere quiſpiam Regnum uſurparet, cogebatur ſtatim ſacris initiari, ut ſimul Rex eſſet & Sacerdos. Aſſerit etiam Xenophon omnes Reges Lacædemonios ſimul Sacerdote fuiſſe. Id ipsũ primi Reges Romanorum firmiter obſervarunt,

vt diſertè tradit S. Iſidorus l.7.Ety.n.c.12.Sacrę etiam Litteræ,Gen.c.14 indicant,Melchiſedech Regem ſimul & Sacerdotem fuiſse.

Quia etiam à dignitate, puritate, ac ſcientiæ quæ debet ineſse Sacerdotibus, in ſacris Scripturis Angeli nuncupantur, vt *Malachiæ cap.* 2.Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & Legem requirent ex ore eius,quia Angelus Domini exercituum eſt. Et ab ipſo Chriſto, *Matthæi 5. & alibi*, Sacerdotes vocantur, Sal terræ, Lux mundi, Lucerna ſuper candelabrum poſita. Et etiamnum propter ſacri Ordinis reuerentiam quilibet Sacerdos vocatur Reuerendus Dominus, & alibi Sir Petrus Sir Thadæus, &c.

His expenſis,ſeriò cogita,an tua vita& mores ſint Sacerdotio digni. Non enim eſt tanti officij dignitas, onus, & obligatio temerè ſuſcipienda,aut indignè exercenda. Nulli sũt in toto mundo homines grauiori iudicio à Deo puniendi, quam mali Sacerdotes. Rei optimæ corruptio ſolet eſse omnium peſſima.

Errat ſanè, & grauiter errat, qui ad ſuſtinendum Sacerdotis nomen ſibi ſufficere putat, à Laicis veſte diſtingui, & Horas, ac Sacrificium, curſim abſoluere. Attendè quantum porrò ad exercendum hoc Sacroſanctum munus perfectionis requiratur. Audi S. Chryſoſtomum *conc. ad pop Antioch.* His verbis graviter monentem.

Quo non oportet eſse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem Manum carnem hanc dividentem. Os quod igne Spirituali repletur, Linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Attende etiam *S. Ambroſium* lib. de dignit. Sacer. graphicè docentem Sacerdotis dignitati vitam & mores reſpondere debere. Nihil, inquit, eſt in hoc ſæculo excellentius Sacerdotibus:ſi quod ſumus profeſſione, actione potiùs quam nomine demonſtremus,vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini,nec ſit nomen inane,& crimen immanè,ne ſit honor ſublimis,& vita deformis, ne ſit deifica profeſſio,& illicita actio.

Conſidera ſecundò, Quantam apud omnes æſtimationem, & venerationem conciliare debeat ordinis Sacerdotalis excellentia & perfectio, & quantam Deo & Eccleſiæ iniuriam faciat Sacerdos, qui Ordinem illum mala vita,& pravo exemplo commaculat. Conſtantinus Imperator tantopere Sacerdotes veneratus eſt, vt dixerit: Si Sacerdotem viderem peccantem, ne ab alijs videretur, pallio meo illum cõtegerem. S. Martinus Epiſcopus Turon. prandens cum Cæſare, priùs ſocio ſuo, quòd eſset Sacerdos, poculum porrexit, quàm Cæſari. S. Ambroſius dicit Regum, ac Principum colla genibus ſubmitti Sacerdotum, eoſque oſculata eorum dextera credere ſe eorum orationibus adiuvari. B. Gelaſius Papa in Ep. ad Anaſtaſium Imperatorem. Duo ſunt, inquit, Imperator, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas, in quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus in diuino examine ſunt reddituri rationem.

Conſidera 2. Hinc ſanctiſſimos quoſque ob ſummam eius dignitatem refugiſse Sacerdotium, vt S. Antonium, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciſcum, cui hærenti, an fieri deberet Sacerdos, cum eſset Diaconus, in via occurrit Angelus, geſtans vitrum perlucidum clariſſimo liquore plenum, dixitq; Sacerdotis animam ſimilem eſse debere illi liquori: Vndè ille Sacerdos fieri noluit, quia tantam ſuę animæ puritatem eſse non putauit. Multi quoq; Sancti & ætate prouecti Eremitæ Monaſteria deſeruere, ne ad Sacerdotium proueherentur, alij verò iam ad illud prouecti, vel etiam ad Epiſcopatum, in remotas terras abierunt, ne agnoſcerentur, vt Ioannes Silentiarius, & alij. S. Marcus quoque dicitur ſibi abſcidiſſe pollicem, ne fieret Sacerdos, & S. Ammonius aures, ne fieret Epiſcopus. Et ego, quomodo in hac dignitate me gero? Qua pietate erga Deũ? Qua ædificatione erga proximum? Hic vita anteacta ſeriò conſideranda eſt, & noua melioris vitæ propoſita Deo offerenda.

Conſidera 3. Dignitatem Sacerdotum nouę legis, ſumi ex duplici poteſtate illis collata, ordinis, & iuriſdictionis. Ratione Ordinis poſsunt cõſecrare Corpus & Sanguinem Domini, ratione Iuriſdictionis poſsunt homines abſolvere à peccatis, & Eccleſiam gubernare.

2. Expende quam admiranda ſit illa poteſtas conſecrandi. Magnum beneficium credimus præſtitum Ioſue, quod imperio ſuo fecerit ſiſtere ſolem, *obediente Domino* vt loquitur Scriptura Ioſue 10. *Voci hominis*, ſed multo maius præſtitum eſt cuique Sacerdoti. Ille enim fecit ſtare ſolem, vbi ante erat, at Sacerdos ſiſtit Chriſtum in cœlo exiſtentem, vbi ante non erat, id eſt, in altari: illi creatura obediuit, huic creator: illi ſol ſemel loquenti obtemperauit, huic Deus, quot es verba conſecrationis eloquitur, obedit. Quis Sacerdos tam ſtupidus eſt, qui conſiderans tã ſtupendam Chriſti erga ſe obedientiam, ſummi Regis ad ſubditum, Dei ad creaturam, non vicıſſim libenter obtemperet Dei mandatis? Quis ... B.

Ioanne Baptiſta non dicat, Matth. 5. 3. *Ego à te debui baptizari*, tibi debui obedire, *& tu venis ad me*, tu mihi obedis? O me ingratum, & indignum!

Suſcipe Domine deinceps vniuerſam vitam & operam meam, accipe intellectum & voluntatem, corpus & animam, vt in ſtatu Sacerdotij tam ſancto me totum tibi & proximo ſeriò & ſanctè impendam: tribue mihi tuum amorem & hanc gratiam, & nihil vltra poſco in rebus creatis. *Addendo alia, quæ affectus ſuggeret.*

DIE LVNÆ.

De Virtutibus, Zelo, & Scientia, quæ debent ineſſe Sacerdoti.

1. Conſidera, Apoſtolorum 1. *ad Timot* 3. velle vt Epiſcopus, id eſt, qui intendit curæ animarum, primò, non ſit ſuperbus, 2. non iracundus, 3. non ligitioſus, 4. non percuſſor, vel manu, vel lingua, id eſt, detractor & calumniator, 5. non vinolentus, 6. non turpis lucri cupidus, nec auarus, 7. vt ſit irreprehenſibilis, id eſt, quem nemo iure queat reprehendere, quique nullam det occaſionem iuſtæ querelæ, vel etiam qui nullius mali ſibi ſit conſcius.

2. Conſidera, ideò tantam perfectionem ab Apoſtolo exigi in Sacerdote quia, vt omnes Patre docent, quo quis eſt ſublimiori ſtatus & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, ſecundùm illud Lucæ 12. *Cui plus datum eſt, plus exigetur ab illo*, & Sap. 6. *Iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur*. Et S. Gregorius. Sicut Prælatus inquit, tot coronas ſibi multiplicat, quod Deo animas lucrifacit, ſic ſi peruerſa perpetrat, tot mortibus dignus eſt, quot ad ſubditos ſuæ perditionis exempla tranſmittit.

3. Conſidera, Sacerdotem debere eſſe omnium virtutum, maximè autem fidei, ſpei, charitatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis & caſtitatis, ſpeculum & exemplar: ſi enim Lux eſt mundi, & lucerna ſuper candelabrum poſita, debet luce doctrinæ ſuæ, & vitæ exemplaris illuſtrare omnes, *Matth.* 5. Si Sal eſt terræ, debet omnes à corruptione peccati conſeruare, ſi Pater & Magiſter eſt ſubditorum fidelium, debet in ſe oſtendere exempla quæ omnes imitentur.

Debet enim Sacerdos eſſe ſpeculum pietatis, modeſtiæ in quo reluceat imago Chriſti, ad cuius exemplum homines ſæculares vitam, actiones ſuas conformare conentur. Nihil decet eſſe in ipſius verbis leue, nihil in oculis, nihil in geſtibus niſi moderatum & verecundum. Dum quidam Sacerdos iocoſus interrogaſſet D. Thomã Aquinatem, an non videret bouem in aere volantem, & hic ſtatim oculos ad ſpectandum ſuſtuliſſet, deriſit Sacerdos illius ſimplicitatem, quod hoc crederet. Reſpondit autem vir Sanctus, Facilius ego crederem bouem volare, quam Sacerdotem mentiri.

4. Conſidera. Sacerdotem debere habere diuinæ Scripturæ, rerumque Theologicarum pro officij magnitudine coniunctam ſcientiam & ſapientiam, &, vt Apoſtolus monet Timot. 1. c. 4. *Attendere Lectioni, exhortationi, doctrinæ*. Quilibet enim Sacerdos curã habens animarum, tenetur exponere; Euangelium, & Catecheſin fidei Chriſtianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petrus Ep. 1. c. vult omnes eſſe *paratos ad ſatisfaciendũ omni poſcenti de fide, quæ in ipſis eſt*: quantò magis debet eſſe Sacerdotes, quia aliorum ſunt Magiſtri & Doctores? Quid turpius eſt, quàm Sacerdotem non poſſe reſpondere alicui mulierculæ, vel adoleſcentulo hæretico obiectanti, vt hoc tempore fit, Scripturæ ſacræ teſtimonia? Vnde Chryſoſtomus ſcribit, Sacerdotem in omnibus debere eſſe ſapientiſſimum, & mille inſtructum oculis, vt non ſolùm ſibi, ſed etiam toti populo ſeruiat Deus verò apud Oſeæ Prophetam comminatur imperitis repulſam à dignitate Sacerdotii. *Quia*, inquit, cap. 4 *tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Vnde patet, quantùm delinquat, & ſuo muneri deſit Sacerdos, qui otio, aut negotijs ſæcularibus vacans, negligit operam impendere vtili ſtudio, & lectioni Sacræ, quibus ſe, & alios perficiat. Sicut enim Calix conſecratus non debet vſibus profanis, ſed tantum Sacris impendi, ſic multò magis Sacerdos per Ordines Sacros diuino obſequio conſecratus, debet ſe totum ſtudijs, & rebus Sacris, & proximorum ſaluti impendere.

Hic conſideratis, in particulari examinabis, quantam curam & ſtudium adhibeas, vt his dotibus præfulgeas, & ſatisfacias officio Sacerdotis aut Paſtoris, cuius ſeuera ratio à te exigetur in hora mortis breui adfutura, quando ſera nimis erit emendatio. Nunc igitur neceſſariò faciendum eſt, quod tunc à te factum fuiſſe optabis. Deindè, per colloquium cum Deo, ad vitæ emendationem gratia humiliter poſtulanda eſt.

DIE MARTIS.

De Charitate ad imitationem Chriſti Sacerdoti neceſſaria.

POſtulata gratia ad imitandum Chriſtum tanquam tuum Ducem, Regem, ac Magiſtrum, imaginare illum ſumma charitate peragrantem pagos & villas inſtar optimi Paſtoris, ut oves perditas quærat, & ad viam ſalutis adducat.

Conſidera primò, Sacerdotem nulla magis virtute, quàm charitate debere flagrare, tum quia fides, ſpes, aliæque virtutes ad juſtitiam, teſte Apoſt. 1 Corint. 13. ſine illa non proſunt; tum quia officium Sacerdotis vel Paſtoris, tam ratione poteſtatis Ordinis, ut dignè conficiat & adminiſtret Sacramenta, quam Iuriſdictionis, quatenùs curam animarum habet, id omninò poſtulat. 2. Nota, typum hujus geſſiſſe veteris Teſtamenti Sacerdotes, quorum functio erat ignem ſacrum quotidie in altari fovere, *Luc.* 6. Quid enim aliud ignis ille deſignabat, niſi ſacram Euchariſtiam, Deum & hominem ſub ſpecie panis & vini continentem? *Deus autem ignis conſumens eſt. Deut.* 4. qualem ignem Sacerdotes non ſolùm quotidie conſervant, ſed etiam conficiunt. Deindè veſtiti eſſe debebant cocco bis tincto, ut indicaretur Sacerdotem debere duplici charitate flagrare, in Deum ſcilicet, & proximum.

2. Condera, Chriſtum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, *Pſal.* 109 cujus vices obeunt omnes Sacerdotes noſtri in conſecrando Corpore Chriſti, dum aiunt, *Hoc eſt corpus meum*, maximè declaraſſe charitatem erga nos, cùm inſtituit Apoſtolos in Sacerdotes. Nam B. Joannes in *cap* 12. de extrema Cœna acturus præmittit, quod *in finem dilexit illos.* Deindè ex mero in eos amore inſtituit S. Euchariſtiam, id eſt, excogitavit modum, quo perpetuò nobiſcum realiter maneret. Ad hæc longum habuit ſermonem de novo mandato charitatis. Poſtremò, ex nimio amore ſanguinem ſuum pro nobis profudit. Attende quomodò imiteris: qualem charitatem Chriſto retribuas; an magis lucra, quàm animas quæras.

3. Conſidera, quòd Chriſtus inſtituens Principem Sacerdotum & Paſtorum Petrum, de charitate tantùm eum percunctatus eſt, Io: 21. *Simon diligis me plus his?* Et ille tantùm reſpondit: *Domine tu ſcis quia amo te.* Chriſtus verò, *Paſce oves meas*, indicans ad paſcenda doctrina & exemplo oves, & gubernandam Eccleſiam maximè opus eſſe ardenti charitate in Deum & proximum. Veri ſiquidem Paſtoris eſt, *Luc.* 15. ovem perditam requirere, & inventam, relictis licet 99. ovibus humeris ſublatam in ovile portare. Ejuſdem eſt adveniente lupo, & perſecutione exorta, non cum mercenario, qui non eſt Paſtor, fugere, ſed animam ponere pro ovibus, *Io:* 10. Ejus eſt cognoſcere omnes oves, eaſque exemplo vitæ præcedere, efficereque ut ſe, ſuamque doctrinam & vitam ſequantur, quod non facilè impetrabit, niſi multis beneficiis, & amoris indiciis eas ſibi devinciat, ac tandem ritibus Eccleſiæ, tanquam clave cœleſti, regnum cœlorum illis aperiat.

Hic in particulari circa hujus charitatis actus ſe examinabit, & nova circa eam propoſita Chriſto Domino, Sponſo, Regi, ac ſupremo Paſtori ardenter offerent.

NOTA, excitandum affectum ſpecialem erga alios animarum Curatores, ac præſertim omnium Ordinum viros *Religioſos*.

Conſideret Religioſos illos non eſſe aſpernandos ex eo quod humilem vitæ ſtatum ex imitatione & Concilio Chriſti amplexi ſint, ſed potiùs inde erga illos præ aliis majorem venerationem concipiat, quod inde omnes ſæculi Res & Spes deſeruerint, eorumque pios conatus ad Dei gloriam promovere ſtudeat. Conſideret quam (præ ſe) præcellenti in ſtatu forent illorum innumeri à doctrina, dotibus; parentela, gratia, virtute, ſi ſe omnes illi Clero ſæculari addixiſſent: & quàm multos nunc illis fruentes, ubique ab Eccleſiaſticis beneficiis, officiis, & dignitatibus excluſiſſent; qui illis concurrentibus ad ea minimè perveniſſent.

Ex altera verò parte, expendat *Religioſus*, ſe non debere cum Clerico ſæculari contendere cum amore Chriſti illum amplexus ſit ſtatum in quo potius illum decet cum Clericis, aliiſque pro noviſſimo loco concertare. Utinam hæc documenta in aliquorum animos altè deſcenderent, quod cederet in multo majorem Fidelium ædificationem.

DIE MERCURII.

De Puritate vitæ & Caſtitate in Sacerdote maximè requiſita.

1. COnſidera, ſi veteris Teſtamenti Sacerdotes toto tempore, quo miniſtrabant tabernaculo, à domo & uxore abeſſe tenebantur (miniſtrabant enim per vices) quantò magis novi Teſtamenti Sacerdotes, qui non per vices, ſed ſemper miniſtrant, debent à conjugio & omni conſuetudine fœminarum, & omni im-

puritate abſtinere. Deinde ſi Abimelech Sacerdos 1. *Reg.* 21. noluit Davidi famelico dare panes propoſitionis comedendos, niſi priùs intellexiſſet eum ab uxore aliquamdiu ſe continuiſſe: & ſi idem populo faciendum fuit, *Exod.* 19 cùm eſſet legem à Deo accepturus: Quantò magis convenit Sacerdotes noſtros ab omni fæminarum contubernio alienos eſſe, quibus quotidie in Sacrificio Miſſæ corpus Domini, per panes propoſitionis præfiguratum, non ſolùm ſumendum, ſed etiam conficiendum, manibuſve tractandum eſt. Conſidera D. Paulum 1. *Cor.* 7. docere eos qui uxorem habent, ſolicitos eſſe, quæ ſunt mundi, ut placeant uxori, & ideò eſſe diviſos, id eſt, in multas ſolicitudinum partes, ut exponit Hieronymus, diſtractos; qui autem non habent, cogitare quæ Domini ſunt, ut ſint ſancti corpore & ſpiritu. Unde conſequens eſt Sacerdotes ſoli Deo adhærere debere, ut cogitent quæ Domini ſunt, & ſint ſancti corpore, & ſpiritu.

2. Conſidera, puritatem animi, & corporis, non ſolùm à divinis Scripturis, ſed etiam ab omnibus Conciliis, Patribus & Doctoribus, eamque non vulgarem, in Sacerdotibus poſtulari, idque multis de cauſis. 1. Quia ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, quo nihil auguſtius, crebrius peragere, in eoque puriſſimum Domini Corpus ore ſuo conſecrare, & manibus tractare, aliſque porrigere debent. 2. Quia aſſiduè orationi & ſacrarum Horarum lectioni, quæ mentem puram, tranquillam & in Deum elevatam requirunt, vacare tenentur. 3. Item alios prædicatione, & ſanctæ vitæ exemplo ad omnem virtutem, & perfectionem inflammare debent. 4. Quia debent magnam partem temporis impendere ovibus ſuis, vel ſubditis erudiendis, & in viam reducendis, ac ſi ægri ſint, inviſcendis ſolandis & paſcendis, pauperibus item juvandis, peregrinis recipiendis, Sacramentis variis adminiſtrandis: quæ omnia ſanè requirunt hominem non ſolùm ab uxore & liberis, ſed etiam omnium negotiorum ſæcularium cura liberrimum. Unde Apoſtolus 2. Timoth. 2. *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*.

3. Conſidera, Sacerdotem, ſi caſtitatem inviolatam non ſervet, multo graviùs peccare, quàm peccent in eodem genere homines ſæculares. Primò, quia ſacrilegium committit: *Si quis Templum Dei violaverit*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 3. *diſperdet illum Deus.* At quis templum Dei ſanctum, & Deo conſecratum propriè eſt, niſi Sacerdos, toties per varios ordines inunctus, & vices Dei & Angelorum ſubiens? 2. Quia violat votum caſtitatis ipſa ordinis ſuſceptione factum. 3. Quia ſummo ſcandalo eſt bonis & malis, imò & viliſſimis hominibus: quod ſcandalum tantùm hoc ſæculo eſt, ut cauſam dederit tot hæreſibus. 4. Quia ſi in ſtatu huius peccati celebret, aliaque Sacramenta adminiſtret, Chriſtum ſuo modo crucifigit, Chriſto quaſi in faciem ſpuit, Chriſtum cum Iuda prodit, quodammodo conculcat, & in cloacam proiicit. Quid enim aliud eſt os Sacerdotis impudici aut concubinarii, quid aliud eius anima, vel cor, quàm cloaca fœtidiſſima? Quid eſt margaritas proiicere ante porcos, ſi hoc non eſt, cum impudicus Sacerdos audet celebrare, & puriſſimum Dei, ac Virginis filium manibus contrectare?

Hic examinanda eſt conſcientia & formanda propoſita firmiſſima, vitandi in particulari occaſiones, quæ poſſint puritati nocere, & adhibendi remedia quæ contra luxuriam aſſignavimus ſupra *par.* 3. *cap.* 6. in fine. Quæ omnia confirmari poterunt ſequenti ad Deum Proteſtatione, quæ à multis puritatis amatoribus quotidie, & præſertim occurrente tentatione, uſurpari ſolet.

Ego N. N. Dei & Domini mei Ieſu gratia & miſericordia fretus. Tibi me ſiſto Deus cordis mei, quem ubique præſentem agnoſco & veneror; & coram puriſſima Matre tua & mea, coram Angelo meo tutelari, & omni Curia cœleſti, proteſtor velle me hodie, & quotidie Tibi mundo corde ſervire, & fugere quidquid inquinare puritatem poteſt. Mori malo, quàm fœdari, quàm turpi motui vel delectationi ſcienter cauſam dare, vel conſentire, ne momento quidem. Tu cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Da Perficere, qui dediſti velle. Hoc iterum iterumque Te, Bone Ieſu, ſupplex, per Sanguinem tuum, mortem & paſſionem rogo: Et te Patrona mea Virgo Maria, nulla unquam labe inquinata. Et vos omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro me, ut aliquando vobiſcum poſſim ſequi Agnum puriſſimum quocumque ierit, tunc & in æternum. Amen.

DIE JOVIS.

Praxis Brevis.

Devotè Miſſam celebrandi.

PRo diſpoſitione remota, hæc inter alia à *Sancto Carolo*, & Synodo Mediolanenſi ſalubriter inſtituta & commendata reperiuntur. 1. Ut Sacerdotes quo puriores ad divinam

nam rem faciendam accedant, ſaltem ſingulis hebdomadis peccata ſua confiteantur, etiam ſi graviora non occurrant. 2. Ut antequam celebrent ſe colligant, & orantes mentem in tanti myſterii cogitatione defigant. 3. Ut ſacris veſtibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoveant, quibus diſtrahi poſſent.

Gregorius XIII. Pontifex conceſſit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Miſſæ, quæ ſequuntur, 50. annorum Jndulgentiam.

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini Noſtri Ieſu Chriſti juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem Omnipotentis Dei, totiuſque curiæ triumphantis: ad utilitatem meam, totiuſque curiæ militantis, pro omnibus qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere, & in ſpecie, & pro felici ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ gratiam & conſolationem S. Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

Poſtea Sacerdotalia ſumens veſtimenta. Ad *Amictum*, recordaberis illius faſciæ, qua Ieſu Chriſti fuerunt velati oculi. Ad *Albam*, albi indumenti, quo ſtulti ad inſtar fuit illuſus. Ad *Cingulum*, funium, quibus tam in horto, quàm ad columnam fuit ligatus. Ad *Caſulam*, recordare purpureæ veſtis, qua ut fictus Rex illuſus fuit, & ſtude te Chriſto conformare.

Accedendo ad Altare, reminiſceris Domini, quando Cruce humeris impoſita, perrexit ad montem Calvariæ, ut ibi Cruci affigeretur.

1. Ad Altaris deſcendens gradum, antequam ſacroſanctam ordiaris Miſſam; tuam ad Deum elevabis mentem, ac denuò æterno Patri hoc offeres Sacrificium, in unionem immenſi illius amoris, quo unigenitus eius Filius ſemetipſum obtulit in ara Crucis.

2. Incipies Miſſam voce mediocriter alta, piè, diſtinctè, & non multum feſtinanter pronunciando verba, obſervando cæremonias tempori congruas, cum gravitate, devotione, & circumſtantium ædificatione: uti in Rubricis Miſſalis annotatæ ſunt.

Ad *Gloria in excelſis*, excitandus eſt affectus ad offerendum Deo Sacrificium laudis, eiuſque gloriam pro viribus promovendam.

Ad *Præfationem*, mens iterum ſurſum elevanda eſt ad novam intentionem, & offerendum Sacrificium Euchariſticum àrdenti affectu gratitudinis, cum omnibus Angelis, & Sanctis, in cœlo, & in terra.

Hic affectus in toto *Canone* continuandus eſt, cum attenta eius lectione, non recitatione de *memoria*.

3. In primo *Memento*, præter tuas obligationes, varias poteris Domino commendare neceſſitates, per hebdomadam ſequenti modo diſtributas.

Dominica, Summum Pontificem, omnes Eccleſiæ Catholicæ, & præcipuè huius N. Diœceſis, & Civitatis, & Paſtores ac Prælatos.

Die Lunæ, Omnes Principes Chriſtianos: ut inter ſeſe concordent, & Catholicam Religionem ardenter promoveant.

Die Martis, In particulari huius Civitatis, aut loci Gubernatores & Magiſtratus; ut pacis ac juſtitiæ ſint amatores.

Die Mercurii, Omnes in Chriſti vinea operarios, ut animarum ſaluti cum zelo & fructu conſtanter inſiſtant.

Die Iovis, Omnes Eccleſiaſticos Ordines, ut ſaucti ſint, & aliis ſeſe exemplares præbeant.

Die Veneris, Omnes peccatores hæreticos, & infideles, ut convertantur ad Dominum.

Sabbatho, Omnes juſtos, ut in bono uſque in finem perſeverent.

4 Iamiam conſecraturus hoſtiam, priuſquam *Conſecrationis* pronunties verba, brevi mentis ſuſpirio intentionem conſecrandi renovabis. Eodem affectu conſecrabis & Calicem.

5. In actu *Adorationis*, peracta iam Conſecratione, Domino offeres toto corde in ſacratiſſima Hoſtia præſenti, eoſdem Adorationis actus, quibus illum in cœlo & in terra omnes Sancti, ac univerſa adorat Eccleſia. Idipſum toties facies, quoties aliquem adorationis exhibebis cultum, genuflexione, aut alio modo.

6. *Elevando* in altum ſacratiſſimam *Hoſtiam*, forti fide & profunda humilitate, ac reverentia, Patri æterno, illam offeres, atque una cum illa te ipſum, in perpetuum holocauſtum, ad ſuam gloriam, commendando illi finem, ad quem applicatur Miſſæ Sacrificium.

Idem facies etiam in elevatione *Calicis*; illum offerendo magno affectu in tuorum delictorum remiſſionem, ac totius mundi ſalutem.

7. In ſecundo *Memento*, præter illos vitâ functos, pro quibus aliquo titulo obligatus es orare quotidie, commendare poteris Domino ſequentes, per ſingulos itidem hebdomadæ dies aſſignatos.

Die Dominica, defunctos tuos parentes, conſanguineos, & affines.

Die Lunæ, alios defunctos, à quibus aliquo modo beneficia tibi impenſa ſunt.

Die Martis, illos, qui quoquo modo, cùm viverent, te offenderunt, vel perſecuti fuerunt.

Die Mercurii, vita functos, quos tu quomodolibet offendiſti, vel in illorum vita eos ſecutus es.

Die Iovis; defunctos, pro quibus ab aliis nullæ ſpeciales funduntur preces.

Die Veneris, illos, qui diuturniore tempore in Purgatorio detinendi ſint.

Sabbatho, illas animas, quæ citiùs de purgantibus flammis educendæ ſunt in cœlum.

8. Accepturus *Manu* Hoſtiam, mente illam Domino ſacratiſſimæ ejus Matris offeres puritatem, qua ab illa infans in ulnas exceptus fuit.

9. Sacroſanctam in Communione accepturus Hoſtiam, paulisper ſubſiſtens, viva fide Domino Jeſu, in illa verè præſenti, profundæ adorationis exhibebis actum, deſiderando eum ſuſcipere cum illa humilitate, charitate, & ſanctitate, qua ſacratiſſima ejus Genitrix eum in terra ſuſcepit, & qua illum omnes ejus ſuſceperunt Electi, atque etiamnum ſancta Catholica ſuſcipit Eccleſia in ſupplementum ſummæ tuæ imperfectionis, & ſpiritualis paupertatis.

Accipiendo *Calicem*, ſimiliter corde profundam pretioſiſſimo ſanguini, pro tuis ſuſo peccatis, exhibebis adorationem, ſupplicabiſque ejus meritis, & virtute tibi donari omnium offenſarum Indulgentiam, & ardentem honoris, & animarum ſalutis zelum.

10. Si aliis ſacram diſtribues Communionem, mentis oculos diriges ad immenſam Unigeniti Filii Dei Charitatem, & Humilitatem, qua ſeipſum indifferenter omnibus: pro illorum ſalute dedit in cibum, & inter diſtribuendum, ſacris ejus Vulneribus, intimo cordis affectu, communicantium animas, & ſimul tuam commendabis.

Poſt Sacrum Actio Gratiarum, &c.

PRimò, tanquam tuo Domino, vel Patri, vel Medico, &c. profundum adorationis actum exhibebis.

Secundò, Gratiarum actionis affectum, pro tanto beneficio.

Tertiò, Amoris actus ardentes.

Quartò, Contritionis tuorum delictorum.

Quintò, Oblationis tui ipſius, ac totius tuæ vitæ.

Sextò, Varias, hoc vel ſimili modo, efflagitabis gratias.

ORATIO.

In qua ſupradicti Actu continentur.

CLementiſſimè Domine Jeſu Chriſte, unice Servator meus, toto & intimo corde te adoro, & pro tanto beneficio immenſas gratias ago. Et quia omni dignus es amore, ſupra omnia te amo? & doleo, quod non, quantùm mereris, te amaverim, nec amem. Et in locum hujus defectus, illas tibi offero adorationes, gratiarum actiones; & illos amoris, reverentiæ, & gratitudinis affectus, quibus te tua ſacratiſſima complexa eſt Mater, & omnes Sancti ac ſervi tui unquam perſolverunt, atque etiamnum in cœlo, una cum univerſa Eccleſia Catholica tua Sponſa, perſolvunt. *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

Doleo ſuper omnia, mi Domine, quod quomodocunque te offenderim: & ſummoperè diſplicet mihi, quòd non tantùm doleam, quantum tua Bonitas requirit & Majeſtas: deque tuæ ſacratiſſimæ Paſſionis virtute, cunctarum offenſarum ſummiſsè deprecor veniam & remiſſionem. Offero cum eadem quoque meipſum, omneſque quos exantlavi, & quos per omnem meam vitam exantlaturus ſum labores, & quicquid ſum perpeſſurus, in ſatisfactionem & remiſſionem omnium meorum peccatorum, uti infinitæ tuæ Bonitati & Clementiæ confido, quòd omnes mihi noxas ſis remiſſurus. Humiliter inſuper precor, ut emendandi, & uſque in finem in tuo ſancto ſervitio perſeverandi gratiam copioſam concedas. Amen.

DIE VENERIS.

Praxis Brevis.

Horas Canonicas devotè recitandi.

COnſideret attentè Sacerdos obligationem, quam habet debito modò, & devotione recitandi Horas Canonicas, juxta illud Decretum Innocentii III. in *c. Dolentes*, de celebratione Miſſarum, *Strictè*, inquit, *præcipimus*

mus in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium noſtrum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent & devotè. Ubi non præcipitur tantùm ſubſtantia Officii, quæ pridem in Eccleſia conſtituta fuit; ſed præcipitur ipſe modus ſtudioſè & devotè recitandi, uts etiam *Cajetanus*, accuratè advertit. Ad hoc ſanè quemlibet animæ ſuæ, & ſpiritualis lucri ſtudioſum vehementer invitat, & impellit conſideratio præclara Sancti Hieronymi, in capit. *Non mediocriter*, de conſecrat. diſtinct. I. *Melior eſt*, inquit, *quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ſerenitate. & ſpirituali alacritate, quam totius Pſalterii modulatio, cum anxietate cordis, & diſtractione.*

Quod ſi habeas etiam curam animarum, pro quibus oportet Deo Preces offerre, conſidera te id optimè præſtiturum per attentam, ac devotam recitationem divini Officii in conſpectu Dei, & totius Curiæ cœleſtis, ad divinam opem & protectionem tibi, & tuo populo impetrandam, iuxta documenta hic ſequentia.

Itaque dum Horas recitas, omni ſtudio conaberis attentionem, devotionem, & intentionem actualem, aut minimum virtualem continuare, aut ſæpiùs renovare, cùm interna, externaque reverentia; memor divinas laudes legendas eſſe, aut canendas, non ſolùm cum debita verborum prolatione, ſed etiam cum ſeria memoriæ, intellectus, & voluntatis applicatione, & religioſa totius corporis compoſitione, juxta illud Pſalmi 46. v. 7. *Pſallite Deo noſtro, pſallite Regi noſtro, pſallite; quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter.* Ubi quater repetito verbo, *pſallite*, inſinuatur pſallendum Deo, quoad vocem, diſtinctè; quoad memoriam, attentè; quoad intellectum, intelligenter; quoad voluntatem, ardenter: & quoad habitum totius corporis, reverenter.

Hoc aſſequi conaberis. 1. Opportunum & ſufficiens tempus ſingulis Horis Canonicis, ſi extra Chorum legas, tribuendo, juxta communem morem Eccleſiæ, & virorum timoratorum, quibuſcum vivis, non præcipitando verba, nec mutilando, nec indecorè feſtinando. 2. Locum pietati tuæ magis congruum, & à ſtrepitu, & interpellatione remotiorem, eligendo. 3. Decentem corporis ſitum adhibendo; videlicet, ſi vires ferant alternatim genua flectendo aut ſtando. 4. Oculorum evagationes, aliaſque diſtractionum cauſas declinando. 5. Viva fide Deum præſentem, eique Beatorum choros laudes æternum concinentes crebro intuendo, cum affectu amoris, gratitudinis, zeli laudandi Deum, eique per omnia placendi. 6. Subinde memoriam renovando eorum, quæ Chriſtus tali hora fecit, vel paſſus eſt, cum ſimilem piorum affectuum, ac deſideriorum, Chriſtum redamandi imitandi, eius merita participandi, inſtauratione. 7. Renovando propoſitum attentionis, ſi diſtractionibus agiteris, maximè in initio & fine cujuſque Pſalmi: initio quidem deſiderando & petendo affectum à Spiritu ſancto intentum: in fine verò, *ad Gloria Patri*, ferventi affectu laudando ſanctiſſimam Trinitatem, reverenter, attentè, devotè, cum omni poſſibili perfectione.

8. Ad certa verba ſæpè occurrentia, quæ *Deum*, ejuſque attributa, beneficia, opera denotant, conando elicere affectus congruos, admirationis, reverentiæ, adorationis, timoris, ſpei, amoris, gratitudinis, laudis, congratulationis. Ad voces, *Nos*, *homines*, miſerias humanas indicantes affectus humilitatis, contritionis, compaſſionis, & ſimiles.

9. Ad ſenſum verborum, vel litteralem, vel ſpiritualem attendendo, & affectus convenientes excitando. Ut in *Pater noſter*, cum viva memoria præſentis Dei, filiali fiducia, reverentia, reſignatione, & zelo gloriæ Dei, petendo illa ſeptem, juxta modos orandi ſupra inſinuatos. In *Ave Maria*, excitando deſiderium laudandi B. Virginem, benedicendi Chriſtum, & impetrandi per ejus, Matriſque merita gratiam bene vivendi, & moriendi.

In *Credo*, excitando fidem, ſpem, charitatem, gratitudinem, deſideriumque participandi merita Chriſti: *Ad Domine labia mea, & Deus in adiutorium, &c.* recitando ea cum affectu fiduciæ in Deum per merita Chriſti, & diffidentiæ ſui, amoris, gratitudinis, zeli glorificandi Deum. In *Invitatorio*, omnes Choros Sanctorum, & ſuas potentias omnes ad Deum laudandum invitando.

Pſalmi recitandi ſunt eo affectu, quem verba præ ſe ferunt, & quidem, vel uno affectu præcipuo, e. g. contritionis, ut in Pſalm. 50. *Miſerere*. Vel laudis, in Cantico *Benedicite*, & Pſal. 145. 149. 150. Vel gratiarum actionis, ut in Pſalm. 102. 104. 105. 105. Vel affectu divini beneplaciti perfectè adimplendi in obſervatione divinorum præceptorum, conſiliorum, inſpirationum, ut in Pſal. 118. & aliis, qui unum tantùm præcipuè affectum continent. Vel diverſis affectibus recitando cæteros, qui miram affectuum varietatem ſuppeditant. Videlicet. juxta D. Auguſt. in Pſalm. 30. timendo cum timet Propheta, amando cum amat, laudando cum laudat, plorando cum plorat, poſtulando cum poſtulat, nos humiliando, cum ipſe ſe

vi-

vilem agnoſcit, gratias agendo pro beneficiis nobis ſpiritualiter collctis, quæ Jſraelitis corporaliter collata refert

Similiter Antiphonas, verſus, lectiones, orationes recitando cum affectibus, deſideriis & ſuſpiriis congruentibus. In fine, cum memoria brevitatis vitæ, & deſiderio beatæ mortis, orando pro defunctis ferventer, prout pro ſe alios orare optares, dum *ad Fidelium animæ*, ſingulas horas concludis.

Poſt Officium.

I. DEfectus minus voluntarios in recitatione Officii admiſſos quam primum expiare ſtude, recitando Orationem, quæ habetur appoſita Breviario Romano *Sacroſanctæ & individuæ Trinitati*, *&c.* & lucrando indulgentias in hunc finem conceſſas.

II. Offer tuum obſequium quantumvis imperfectum, in unione orationum & meritorum Chriſti, Beatæ Virginis, & Sanctorum, ad intentiones initio præfixas; idque vel immediatè ſanctiſſimæ Trinitati, vel per Chriſtum æterno Patri; vel primum B. Virgini, deinde Chriſto, & per hunc, Patri, hac vel ſimili formula juxta induſtrias quodvis opus bene peragendi.

O Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ, reſpice oculo pietatis hoc exiguum ſervitutis meæ obſequium, quod mellifluo cordi tuo emendandum, perficiendum, & repræſentandum dilectò Filio tuo offero, ad maximam eius gloriam, amorem, beneplacitum, in gratiarum actionem æternam, & ad gratiam nobis impetrandam illi placendi perfectiſſimè in tempore & æternitate. Amen.

DIE SABBATHI.

Conſideranda Exempla Divinæ Vindictæ in Sacerdotes indignè celebrantes.

COnſidera, ſicut Corpus & Sanguis Chriſti in Sacrificio Miſſæ dignè accepta conferunt Sacerdoti: ingentia Dei dona, & gratiam, & vitam æternam, ut teſtatur ipſe Chriſtus, Ioan.6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus, &, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sic è contrario indignè ſumenti, cibus ille ſalutaris & cœleſtis convertitur in mortiferum animæ venenum.

Hinc accedentes ad hoc Sacrificium ſeriò monet Apoſtolus I. ad Corinth.II. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* In quem Apoſtoli locum audi graviter monentem non me, ſed Doctorem Sanctum, Thomam à Villa Nova concione 3. de Sacram. altaris: *Reus*, inquit, *erit Corporis & Sanguinis Domini: ac ſi Chriſti effudiſſet Sanguinem. Quaſcumque enim blaſphemias, quaſcumque irriſiones, quæcunque opprobria impiiſſimi Iudæi corporaliter in Chriſtum exercuerunt, has omnes ſpiritualiter repetit impius confeſſor, Filium Dei rurſus in ſemetipſo crucifigens, & oſtentui habens.*

Quid igitur mirum, ſi Sacerdotes ad tremendum hoc Altaris Sacrificium indignè, aut irreverenter accedentes horrendis à Deo Suppliciis, non tantùm in futura, ſed etiam in præſenti vita non rarò puniantur? De his pauca ex multis exempla annotemus.

Primò. Narrat Palladius, dum quadam die inviſeret Macarium Eremitam, ſe quendam ante eius fores vidiſſe Sacerdotem, totum vulneribus ſaucium, cuius in capite oſſa erant putrefacta: qui dum Macario ſupplex factus eſſet, ut ſuis orationibus vulnerum ſuorum impetraret ſanitatem; abnuit Sanctus, aſſerens hanc illi à Deo miſſam infirmitatem, in correptionem & vindictam ſuæ ſacrilegæ temeritatis, qua auſus fuit celebrare Miſſam in fornicationis delicto. Nec unquam à Deo illi voluit impetrare ſanitatem, quoadvſque promitteret, ſe de cætero ad tremendum Altaris non acceſſurum Sacrificium. Quod cum ſe facturum, cum juramento promitteret, nec amplius omni vitæ ſuæ tempore peccaturum ſponderet, intra paucos dies, S. Macarii precibus priſtinæ fuit reſtitutus ſanitati. In vita S. Macarii cap.2.

2. Refert item Thomas Cantipratanus in hunc modum ſequens exemplum Prope Villam, in qua natus fui, Sacerdos lubricus & immundus fuit. Et olim quidem cum immundis mulieribus, panem illum legalem Sabbathi, edere non licebat. At infelix ille Preſbyter hunc quotidie polluto ore ſumebat. Et vide vindictam Dei. Os eius circa nalum, & mentum, & lingua computruit, ita ut vix poſſet præ fœtore ab amiciſſimis ſuſtineri. Sed & alius in Gallia Sacerdos fuit, ut quondam puer audivi, cuius manus ſuper Aram extenſæ, igne cœleſti, uſque ad cubitos combuſtæ & conſumptæ fuerunt, *lib.2. Apum c.40 p 6.*

3. Legitur in *Specul.* Exemplorum, quòd Sacerdos quidam Sæcularis, dum quadam die Miſſam celebraret, alius ei aſſiſtens, vidit in Patena tempore ſumptionis, non ſpeciem pa-

nis,

nis, ſed infantis. Quem cum Sacerdos levaret, ut ſumeret; cœpit infantulus ille faciem avertere, & ne ſumi poſſet, manibus & pedibus reluctari: & non ſemel vir ille devotus hoc vidit, ſed ſæpiùs. Cui idem Sacerdos quadam vice dixit inter cætera: Quoties ſumo Corpus Chriſti, cum tanta difficultate ſumo, ut mirari non ſufficiam. Cui ille: Conſulo, ut vitam corrigas: nam hoc, & hoc ergo de te, vidi. Quod audiens Sacerdos, vitam mutavit, emendationemque propoſuit. Et cum poſteà celebraret, viſus eſt ille infans ab illo viro devoto junctis manibus & pedibus, cum ſumma velocitate, illabi in os Sacerdotis *diſt. 9 Ex. 190.*

4. Narratur & aliud hoc modo. Fuit quidam Sacerdos, majorem carni, quam ſpiritui curam impendens. Is dum vice quadam honeſtos viros, fœminaſque ad convivium invitaſſet: iuſſit ſeruum (cui ex officio incumbebat) piſces non vili pretio coemptos igni elixandos apponere, atque hujuſmodi cura diſtractus ad celebranda divina myſteria, ipſis etiam Angelis humeris formidanda, mente vagus, corde aridus, cura diſperſus, rapido cœpit curſu properare. Cumque iam in medio Sacrificio conſiſteret, ſolicita mente cœpit, & importunis curis turbari, ne fortè prædicti piſces, aut plus aut minus debito, ſale injecto condirentur. Verùm, cum ille Sacerdos ſe ab hujuſmodi & tali hora indecentibus cogitationibus non cohiberet: Ecce tibi Dæmon, terra quadam ſuligine tectus, ſubitò adfuit, & raptum cacabum è mediis flammis, una cum piſcibus, ſecum detulit ad Altare. O Coce, inquit, non Presbyter, cur fatuis curis in diverſa diſtraheris? Ecce piſces bic ſunt, ecce ſal; (vas enim ſale plenum exhibuit,) iniice quantùm libuerit, & vel de cætero ſacris Altaribus attentior factus aſſiſte: Atque ita irriſa Presbyteri ſuperflua cura, onera quæ portavit, ſuo loco reſtituit. *Diſt 10. Exempl. 28.*

5. Si in veteri lege Oza Sacerdos, quia indignè attigerat Arcam Domini; repentina correptus eſt morte; quantò ampliùs timendum, illis, à talibus caſtigationibus, qui non ſolùm tangunt, verùm etiam intra ſua immunda pectora tremendum Filii Dei Corpus & Sanguinem recipiunt. Iudas quando in ultima Cœna indignè Corpus Domini accepit, ſtatim in illum intravit Satanas, eumque in proditionem & deſperationem, & demum in flammas æternas præcipitavit.

Ex quibus exemplis clarè liquet, Sacerdotes, qui indignè divinum accipiunt Sacramentum, à Deo gravibus ſubiici infirmitatibus, ſubitanea diſcedere morte, variè divexari à Diabolo, facilè in enormia labi peccata, & tandem infauſta morte vitam finire.

O quam tremendum eſt Sacerdotem, qui tanta præ cæteris beneficia à Deo in hoc Sacramento quotidie accepit, comparere coram Chriſto ſevero Iudice, poſtquam Statum tam ſanctum peccando maculavit, aut officii ſui functiones ſacra, erga Deum & proximum, debita cura, & pietate non perſolvit. Idque tanto majori cum dolore atque opprobrio, quanto plura habuit Sacerdos in ſuo ſtatu ſalutis auxilia, quibus poterat ſibi, & aliis ſuæ curæ commiſſis, æternam felicitatem comparare.

NOTANDA.

Pro materia aliarum Meditationum.

ALiæ Meditationes eodem modo poterunt ab ipſo Sacerdotes formari, quibus aſſiduè, matutino tempore, per horam, vel ſaltem mediam, ſpiritum in ſe pietatis excitet ac conſervet: Ad hoc ut præſto ſit ad manum opportuna Materia, notanda ſunt ſequentia.

Primò, poterit ex hoc Libro deſumere aliquot idoneas Meditationes: De virtute Fidei, Spei, & Charitatis, ex Motivis & affectibus, quæ deducuntur ſupra, in Praxi aſſiſtendi ægris ac moribundis p. 116. & ſeq. Item, de motivis ad peccati deteſtationem, & de remediis contra ſingula peccata in particulari hic infra p. 122. Denique ex toto Apparat. ſupr. par. 2. p. 7. &c. poterit ſibi ſeligere, & formare Meditationes de Virtutibus; aut Vitiis, quæ ibi per exempla ac ſimilitudines proponuntur.

Secundò, Ex ipſo Breviario fieri poſſunt meditationes, de Lectionibus quæ concernunt myſteria vitæ, aut Paſſionis Chriſti. Vel de aliquo inſigniori Pſalm. qui pium affectum & devotionem excitet: ut de Pſalmo, Miſerere, *pro affectu pœnitentiæ: de Pſalmo,* Benedic anima mea Dominum, *pro affectu Gratitudinis, & ſic de cæteris: ſingulis ſcilicet Pſalmi, Verſibus cum attenta ſenſus conſideratione inhærendo.*

Tertiò, Formando meditationem, de vita Sancti eo die occurrentis, ex tribus Lectionibus, quæ de eo in Breviario aſſignantur. Obſervando modum meditandi initio traditum, ſingula puncta, & virtutes attentè conſiderando, pios affectus, & deſideria eliciendo, firma imitationis propoſita concipiendo, & Deo, ac Sanctis per pia colloquia & affectus abhærendo, & quam parum inanes hominum fabulas & colloquia affectaret, qui ſemel in meditatione ſancta seriò guſtaret & videret, quam ſuavis eſt Dominus.

NO-

NOTA. *Poſt hæc conſiderati præcedentibus Inſtructionibus per omnia conforme*, Schema vitæ Paſtoralis, *in cultiſſima Diœceſi Antuerpiana vulgatum, & omnibus ubique, in illo munere commodiſſimum tam obligationis, quàm perfectionis compendium.*

SCHEMA VITÆ PASTORALIS.

Prout extat impreſſum in calce Ordinationum Diœceſis Antuerpianæ.

AD ſalutem gregis multùm valet vita, & diligentia Paſtoris, unde Exodi 19. dicitur, *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum ſanctificentur: nihil* enim *eſt, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat; quàm eorum vita & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt.* Trid. ſeſs.23 c.1.

Vita Paſtoris duplex eſt, *privata* & *publica*. Diligentia etiam duplex, nimirum *in ſpiritualibus*, & *corporalibus*.

VIta *Privata* Paſtoris conſiſtit, Primò: In frequentatione Sacramentorum, ut quotidie (ſi diſpoſitio corporis & animæ permittat) Miſſam celebret: & ut ſingulis ſaltem ſeptimanis confiteatur.

2. Item in oratione *Mentali*, ut manè & veſperi habeat horam huic aſſignatam: Et *Vocali* ex obligatione, ut debitè Horas ſuas legat, vel devotione, ut Roſarium, Litanias, Pſalmos Pœnitentiales, &c. adjungat.

3. Item in recollectione ſpirituali: Singulis annis per aliquot ſaltem dies, ex directione Viri alicuius intelligentis: Singulis diebus manè, proponendo vitare omnes, & magis noxias peccandi occaſiones, & offerendo omnia illo die agenda, vel ſuſtinenda ad honorem Dei, & ſalutem proximi: Similiter Veſperi, examinando conſcientiam, tum generaliter, tum particulariter circa aliqua peccata: Ac etiam interdiù, Per orationes jaculatorias ad pulſum horæ, & aliàs ſæpè: Per actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia: Et per reſignationem propriæ Voluntatis in Divinam.

4. Item in mortificatione Interiori paſſionum, nimiæ ſollicitudinis, curioſitatis, ac affectionis circa cupiditatem rerum temporalium, vel appetitum propriæ æſtimationis & honoris: Similiter in mortificatione exteriori ſubtrahendo aliqua licita de cibo, potu, & aliis commoditatibus corporis, ac de viſu & uſu aliorum ſenſuum: Et exercendo aliquos Pœnitentiæ actus.

5. Item in lectione Libri Spiritualis, Vitæ Sanctorum vel Sacræ Scripturæ, quam nullo die omittat per mediam ſaltem circiter horam.

6. Item in ſtudio Caſuum Conſcientiæ, Inſtructionum Paſtoralium, vel ſacræ Hiſtoriæ, tempore à reliquis vacuo.

7. Item in Familiæ adminiſtrationes, quæ ſit, honeſta, frugalis, nitida & ordinata.

VIta *Publica Paſtoris*, Requirit, ut abſtineat à Potu, Tabernis, Luſu, Contentione, Litibus, Præſumptione, & Sæcularibus negotiis: inſuper, ut habeat.

1. Zelum animarum, ita ut vultum peccatoris agnoſcat, Morbidos diligenter curet, Et diſcolos fortiter corripiat.

2. Amorem Parochianorum, difficultates componendo, neceſſitates ſublevando, & infirmos conſolando.

3. Converſationem exemplarem, raram cum fœminis, circumſpectam cum omnibus, gravem ſine moroſitate, & affabilem ſine levitate.

SAlus Populi etiam pendet *à Paſtoris Diligentia*: Nempè in *Spiritualibus*: deinde in *Temporalibus*.

In Spiritualibus, Vtpotè, 1. In Sacramentis & Sacramentalibus adminiſtrandis; Cum promptitudine nocte & die; cum ſanctitate, conſcientia munda, intentione pura, præparatione debita & Charitate affectuoſa: & cum decore juxta ritus præſcriptos, animo ſedato, vultu compoſito, voce intelligibili, & pronuntiatione diſtincta.

2. In Sacramentis & Sacramentalibus conſervandis cum munditie, nitore & ſplendore, juxta præſcriptum Ritualis.

3. In Officio Divino, ut fiat horis ſtatutis, cum ornatu decenti, cum exactis cæremoniis, & cum devotione ædificativa.

4. In Catechiſmo, ut nunquam omittatur, ſervetur apta methodus, alliciantur pueri præmio & apparatu; & ut Parentes & Magiſtratus invitentur.

5. In Concione, qua Rudiores inſtruat in neceſſariis ad ſalutem; Sit ad captum populi, quæ doceat peccata fugere, & virtutes ſectari.

IN *Temporalibus*, Ut Fabricæ, Menſæ pauperum, & piarum Fundationum proventus, non alienentur, verùm debitè elocentur, diligenter conſerventur, benè impendantur, in computum deducantur idque juxta Decreta & ordinata Diœceſis noſtræ.

2. Ut

2. Vt ſui Paſtoratus Domus ſarta tecta cõſeruentur, Fundi vel Decimæ ex præſcripto adminiſtrentur, & Iura recipiant non vltra taxã.

Sententias ſelectiſſimæ de Paſtoralis officii ſingulari Dignitate, & obligatione vid. ſupra pagin. 176.

RITUS ET ORDO ADMINISTRANDI SINGULA SACRAMENTA

Et aliæ *Benedictiones*, ac *Formulæ* Curatori Animarum neceſſariæ.

Ex Rituali Romano priora.

PRO SACRAMENTO BAPTISMI.

§. I.

Ritus ſiue: Ordo Baptiſmi paruulorum.

Sacerdos, omnibus ritè paratis, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus accedit ad limen Eccleſiæ; vbi foris expectant, qui infantem detulerunt. Tu incipit.

N. Quid petis ab Eccleſia Dei? *Patrinus respondet*: Fidem, *Sacerdos*: Fides quid tibi præſtat: *Patrinus reſpondet:* Vitam æternam. *Sacerdos:* Si igitur vis ad vitam ingredi ſerua mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,& ex tota mente tua;& proximum tuum ſicut teipſum.

Deindè ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel: Exi ab eo (*vel* ab ea) immunde ſpiritus,& da locum Spiritui Sancto Paraclyto. *Poſtea pollice facit ſignum in fronte & in pectore infantis, dicens:* Accipe ſignum Crucis tam in fronte ✠ quam in corde; ✠ ſume Fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, vt templum Dei iam eſse poſſis.

OREMVS.

PReces noſtras,quæ ſumus Domine,clementer exaudi;& hunc electum tuum N. Crucis Dominicę impreſſione ſignatum perpetua virtute cuſtodi,vt magnitudinis glorię tuę rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominu n. ℟. Amen.

Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es:omnem cæcitatẽ cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos ſatanæ quibus fuerat colligatus,aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat,& ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat ſalem: qui ſemel benedictus aliàs,ad eundem vſum deſeruire poteſt.

Exorcizo te creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠ & in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ in virtute Spiritus Sancti, ✠ exorcizo te per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ per Deum ✠ qui te ad tutelam humani generis procrauit, & populo venienti ad credulicatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit,vt in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter,vt hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠ & be-

Credis in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Credis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? ℟ Credo.

Subinde expreſſo nomine baptizandi, Sacerdos dicit: N. Vis baptizari? ℟. *Patrinus:* Volo.

Tunc Patrino vel Matrina, vel vtroque (ſi ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu vrceolo accipit aquam baptiſmalē, & de ea ter fundit ſuper caput infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens, ſemel tantùm diſtinctè & attentè dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠ *fundat primo*, & Filij ✠ *fundat ſecundo*, & Spiritus ✠ Sancti. *fundat tertio*.

Vbi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, Sacerdos accipit infantem, & aduertens, ne lædatur, cautè immergit, & trina merſione baptizat, & ſemel tantùm dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ Sancti.

Mox Patrinus, vel Matrina, vel vterque ſimul infantem de ſacro fonte leuant, ſuſcipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitabatur, an infãs fuerit baptizatus, vtatur hac forma. N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris ✠ Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ *Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & vngit infantem in ſummitate capitis in modum Crucis, dicens:*

DEus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium paccatorũ (*hic inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tum bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum & locum inunctum, & imponit capiti eius linteolum candidum loco veſtis albæ, dicens:

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Poſteà dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens:

Accipe lampadam ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum; ſerua Dei mandata, vt cum Dominus venerit ad nuptias poſſis occurrere ei vna cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeaſque vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. ℟ Amen.

Poſtremò dicit: N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℟. Amen.

Si verò fuerint plures baptizandi, ſiue maſculi, ſiue fœminæ in Catechiſmo maſculi ſtatuantur ad dexteram, fœminæ verò ad ſiniſtram, & omnia pariter dicuntur, vt ſuprà, in proprio genere, numero plurali. Verùm prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio, ſeu ſignatio, tactus aurium, & narium cum ſaliua abrenunciationis interrogatio, vnctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide ſeu Symbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio Chriſmatis, candida veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio, ſingulariter ſingulis, & primum maſculis, deinde fœminis fieri debent.

Si infans ægrotus adeo grauiter laboret, vt periculum immineat, ne pereat antequam Baptiſmus perficiatur, Sacerdos omiſſis quæ Baptiſmum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam ſemel infundens aquam ſuper caput eius in modum Crucis, dicens: Ego te Baptizo in nomine Patris ✠ &c.

Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum impendeat, Sacerdos vtatur aqua ſimplici.

Deinde, ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. *vt ſuprà*.

Poſteà det ei linteolum candidum dicens: Accipe veſtem, &c.

Ac demum det ei ceream candelam accenſam, dicens Accipe lampadem, *vt ſuprà, Si ſuperuixerit, ſuppleantur alij ritus omiſſi.*

§. II.

Ordo ſupplendi omiſſa ſuper baptizatum.

CVm vrgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate paruulus, ſacris precibus, ac cæremonijs prætermiſſis fuerit baptizatus; vbi conualuerit, vel ceſſauerit periculũ, & ad Eccleſiam delatus fuerit, omiſſa ſuppleantur. idemq; ordo, ac ritus ſeruetur, qui in Baptiſmo paruulorum præſcriptus eſt: Excepto, quod interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptiſmi, & ablutio præmittuntur, & quædam orationes, & exorciſmi ſuo quique loco immutati, vt infrà dicuntur.

Sacerdos igitur antequam immittat ſalem in os baptizati, manum ſuper caput eius imponens dicit:

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem dudum ad rudimenta Fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſiam tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit, ſalis percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

℞. Amen.

Deinde poſteaquam medicum ſalis immiſit in os baptizati, dicens: Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatio ſit tibi in vitam æternam, Amen: *dicit:*

OREMVS.

DEus Patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor Veritatis. Te ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, vt hoc pabulum ſalis guſtantē non diutius eſurire permittas, quo minùs cibū expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens, & quem ad nouæ regenerationis lauacrum perduxiſti, quæſumus Domine, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Poſt hæc facto ſigno Crucis in fronte Baptizati, dictiſque illis verbis:

Et hoc ſignum Crucis ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Manu ſuper caput eius impoſita dicit:

OREMVS.

AEternam, ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, vt dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus ſit ad retinendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

PRO SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Ordo miniſtrandi ſacrum Viaticum.

SAcerdos ingrediens locum, vbi iacet infirmus, dicat: Pax huic domui. *Reſp.* Et omnibus habitantibus in ea.

Tunc depoſitum Sacramentum ſuper menſa ſuppoſito corpora i, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, & mox accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam. Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor: *& primum verſum Pſalmi.* Miſerere mei Deus, *cum* Gloria Patri. Sicut erat, &c. *Deinde repetitur Antiphona:* Aſperges me, &c. *Poſtea* ℣. Auditorium noſtrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationē meam. ℞. Et clamor meus ab te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cęlis, qui cuſtodiat, foueat protegat, viſitet; atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, vt cognoſcat num ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacrum Viaticum, & vtrum velit aliqua peccata confiteri, & illum audiat, atque abſoluat, quamuis priùs deberet eſſe ritè confeſſus, niſi neceſſitas aliter vrgeat. Poſtea facta de more Confeſſione generali, ſiue ab infirmo, ſiue eius nomine ab alio, Sacerdos dicit. Miſereatur &c. Indulgentiam, &c.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vaſculo, atque illud eleuans, oſtendet infirmo, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: *et more ſolito ter dicat:* Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meū, ſed tanto dic verbo, & ſanabitur anima mea. *Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba, ſaltem ſemel ſubmiſſa voce; tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:* Accipe frater (*vel*) ſoror) Viaticum Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam, Amen.

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat, &c.

Quod ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicito. Miſereatur, &c *prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticū præbeatur. Poſtea Sacerdos abluat digitos nihil dicens & infirmo datur ablutio. Deinde dicat:* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro (*vel ſorori noſtræ*) ſacroſanctum Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti Filii tui, tam corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

His expletis, ſi altera particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmū nihil dicens & reverenter illud deferens ordine quo venerat, revertitur ad Eccleſiam dicendo Pſalmum: Laudate Dominum de cœlis. *Et alios Pſalmos & Hymnos, prout tempus feret. Cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper Altare; adorat, deinde dicit.* ℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis ℟. Omne delectamentum in ſe habentem. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas, &c. Amen.

PRO SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Ritus, ſeu Ordo miniſtrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis.

SAcerdos *intrans cubiculum dicit:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. *Deinde depoſito Oleo ſuper menſam, ſuperpelliceo, ſtolaque violacea indutus, ægroto Crucem piè deoſculandam porrigit: mox in modum Crucis eum aqua benedicta, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam:* Aſperges, &c.

Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Deinde piis verbis illum conſoletur, & de eius Sacramenti vi, atque efficacia, ſi tempus ferat, breviter admoneat, & quantum opus ſit, eius animum confirmet, et in ſpem erigat vitæ æternæ.

Poſtea dicat verſiculum: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

INtroeat, Domine Ieſu Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna; effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum, adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos nomē ſanctum tuum, & benedic ✠ noſtræ converſationis, ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ut benedicēdo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitātes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderādum mirabilia de lege ſua, avertat ab eis omnes contrarias poteſtates: eripiet eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMVS.

EXaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Quæ orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confeſſione generali, latinè, vel vulgari ſermone Sacerdos dicat: Miſereatur tui, &c. Indulgentiam abſolutionem, &c.

Antequam inceptiat ungere infirmum, moneat adſtantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit pro loco, tempore et adſtantium numero, vel qualitate, recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, cum Litaniis, vel alias preces, dum ipſe Unctionis Sacramentum adminiſtrat, mox dicat:

IN nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritu ſancti, extinguatur in te omnis virtus

O dia-

diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per inuocationem omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum, Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo ſancto in modum Crucis vngit infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad oculos.

PEr iſtam ſanctam Vnctionem, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per viſum deliquiſti. Amen.

Miniſter verò ſi eſt in ſacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet vnctionem tergat loca inuncta nouo globulo bombacij, vel rei ſimilis, eaque in vaſe mundò reponat, & ad Eccleſiam poſteà deferat, comburat, cineresque proijciat in Sacrarium.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per auditum deliquiſti, Amē.

Ad nares.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per odoratum deliquiſti, Amen.

Ad os compreſſis labijs.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per guſtum & locutionem deliquiſti, Amen.

Ad manus.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per tactum deliquiſti, Amen.

Et aduerte quòd Sacerdotibus manus non inunguntur interiùs, ſed exteriùs.

Ad pedes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per ingreſſum deliquiſti, Amen.

Ad lumbos, ſiue renes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per lumborum delectationem deliquiſti, Amen.

Hæc autem vnctio ad lumbos omittitur ſemper in fœminis; & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix aut ſine periculo moueri non poſſunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine Deus, qui per Apoſtolum tuum Iacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio Fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei: cura quæſumus, Redemptor noſter, gratia ſancti Spiritus languores iſtius infirmi, eiuſque ſana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & corporis ab eo expelle, plenamque interiùs, & exteriùs ſanitatem miſericorditer redde, vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMVS.

REſpice, quæſumus, Domine, famulum tuum N. Infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refoue, quam creaſti; vt caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſaluatum. Per Chriſtum Dominum noſtrū, Amen.

OREMVS.

DOmine ſancte, Pater omnipotens; æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad inuocationem tui nominis benignus aſſiſte: vt famulum tuum hac ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextra tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctæ, cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRO

PRO EXEQVIIS

§. I.

Ritus, ſeu Ordo Exequiarum.

SAcerdos antequam cadauer efferatur, illud aſpergit aqua benedicta mox dicit Antiph. Si iniquitates obſeruaueris. *& Pſalm.* De profundis clamaui, *&c. in fine:* Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei: *repetit Antiphonam totam*. Si iniquitates, *&c. Deinde cadauer effertur, Sacerdoſque de domo procedens, ſtatim graui voce intonat Antiphon.* Exultabunt Domino, *& Cantores inchoant Pſalmum.* Miſerere mei Deus ſecundùm magnam, *&c. Clero alternatim proſequente; ac ſi longitudo itineris poſtulauerit, dicuntur Pſalmi graduales:* Ad Dominum cum tribularer, clamaui *vel alij Pſalmi ex Officio mortuorum, & in fine cuiuſque Pſalmi dicitur:* Requiem æternam dona eis Domine, *qui Pſalmi deuotè, diſtinctè, grauique voce recitari debent vſque ad Eccleſiam.*

Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur Antiph. Exultabunt Domino oſſa humiliata *Deinde Eccleſiam ingreſſi cantat* ℟. *Cantore incipiente, & Clero alternatim reſpondente, videlicet:*

SVbuenire Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius. Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. Suſcipientes. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei Offerentes.

Depoſito feretro in medio Eccleſiæ, ita vt defuncti pedes. ſi fuerit laicus, ſint verſus altare maius, ſi verò fuerit Sacerdos, caput ſit verſus ipſum altare: & cereis accenſis circa corpus, ſtatim niſi quid impediat, dicatur Officiũ mortuorũ cum tribus nocturnis, & laudibus, & duo ex Clero incipiant abſolutè Inuitatorium; Regem cui omnia viuunt venite adoremus. *& repetitur à Clero:* Regem cui omnia, *&c. Pſalm.* Venite exultemus, *&c. & duplicantur Antiphonæ.*

Ad finem Officij poſt Antiphonã Cantici, Benedictus. &c. Ego ſum reſurrectio, *dicitur* Pater: *ſecretò.* Et ne nos inducas in tentationem: ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius ℣. Requieſcat in pace. ℟ Amen ℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

ABſolve, quæſumus, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionem gloriæ inter Sanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dum in officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum miniſtris paratur ad celebrandam Miſſam ſolemnem pro defuncto, ſi tempus congruens fuerit; vt in die depoſitionis in Miſſali Romano.

Finita Miſſa, Sacerdos depoſita caſula, ſeu planeta, & manipulo, accipit pluuiale nigri coloris, et Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad feretrũ et ſe ſiſtit ad caput defuncti cũ Cruce, medius inter duos Acolythos, ſeu ceroferarios cum candelabris, et candelis accenſis tũ omnes alij de Clero veniunt ordinatim in gradu ſuo cũ candelis accenſis, et ſtant in circuitu feretri. Tum ſequitur Sacerdos cum Diacono, et aſſiſtente aliiſque miniſtris, et facta reuerentia altari ſiſtit ſe contra Crucem ad pedes defuncti, retrò aſtantibus et à ſiniſtris duobus Acolythis, vno cum thuribulo, et nauicula incenſi, altero cum vaſe aquæ benedictæ, et aſperſorio, et Acolytho ſeu Clerico tenente librum abſolutè dicit ſequentem orationem.

NOn intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergo eum, quæſumus, tua iudicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio Fidei Chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟ Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumſtans, cantat ſequens Reſponſorium.

LIbera me Domine, de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli mouendi ſunt & terra. Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Quando cœli mouendi ſunt, & terra ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. ℣. Libera me.

Dum cantatur prædictum Reſponſorium, Sacerdos; Acolytho ſeu Diacono miniſtrante, accipit incẽſum de nauicula, et ponit in thuribulum, et finito reſponſorio, Cantor cum primo choro dicit.

Kyrie eleiſon. *et ſecundus Chorus reſpondet:* Chriſte eleiſon *Deinde omnes ſimul dicunt.* Kyrie eleiſon.

Mox Sacerdos dicit alta voce, Pater noſter, &c. *& ſecretò dicitur ab omnibus; & ipſe interim accipiat à Diacono, vel Acolytho aſperſorium aquæ benedictæ, et facta profunda inclinatione Cruci, quæ eſt aduerſo, Diacono ſeu Miniſtro genuflectente, et fimbrias pluuialis ſubleuante, circuiens feretrum (ſi tranſit ante Sacramentum, genuflectit) aſpergit corpus defuncti, ter aſpergens latus dexterum feretri, et ter ſiniſtrum: deinde reuerſus ad locum ſuum, Diacono miniſtrante, accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incenſat, vt aſperſerat: poſteà reddito thuribulo ei, à quo acceperat, ſtans in loco ſuo, Acolytho ſeu alio Miniſtro tenente librum apertum ante ſe, dicit.* ℣. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi.

℟. Et clamor.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo:

OREMVS.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, vt non tradas eam in manus inimici, neque obliuiſcaris in finem, ſed iubeas eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad Patriam Paradiſi perduci: vt quia in te ſperauit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie &c.

Finita Oratione, corpus defertur ad ſepulchrum, ſi tunc deferendum ſit, et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam.

IN Paradiſum deducant te Angeli, in tuo aduentu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in ciuitatem ſanctam Ieruſalem. Chorum Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cum autem peruenerit ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem.

OREMVS.

DEus, cuius miſeratione animę fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere digneris, eique Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem, & quorum, quarumque corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolue vinculis delictorum, vt in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dicta oratione, Sacerdos aqua benedicta aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum.

Quòd ſi corpus tunc ad ſepulturam non deferatur, omiſſo reſponſorio: in Paradiſum, &c. *& benedictione ſepulchri, ſi iam eſt benedictum; proſequatur Officium; quod nunquam omittitur, & intonet Antiph.*

Ego ſum reſurrectio: *& dicitur Canticum* Benedictus EVOVAE. *Et repetitur Antiph.* Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credidit in me, non morietur in æternum.

Poſteà Sacerdos dicit: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter. *Interim corpus aſpergit* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

FAc, quæſumus, Domine, hanc cum ſeruo tuo defuncto (*vel* famula tua defuncta) miſericordiam, vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui (*vel* quæ) tuam in votis tenuit voluntatem, vt ſicut eum (*vel* eam) vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum (*vel* eam) tua miſeratio ſociet Angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen. ℣. Requiem æternam dona ei Domine ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟ Amen.

Deinde à ſepultura in Eccleſiam, vel in ſacriſtiam reuertentes, dicant ſine cantu Antiph. Si iniquitates *cum Pſalmo*: De Profundis, &c. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis, &c.

§. I.

Ritus, ſeu Ordo ſepelliendi Paruulos.

C*Vm igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante vſum rationis, induitur iuxta ætatem, et imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis, et odoriferis in ſignum* in-

integritatis carnis & Virginitatis, & Parochus ſuperpelliceo, & ſtola alba indutus, & alii de Clero, ſi adſint, præcedentes Cruce, quæ ſine haſta defertur, accedunt ad domum defuncti cum clerico aſperſorium deferente Sacerdos aſpergit corpus, deinde dicit.

Antiph. Sit nomen Domini. EV OV AE.

Pſalm. 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum. A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen Domini. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria ejus. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo, & in terra? Suſcitans à terra inopem: et de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem. Gloria Patri, et Filio, &c.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et uſque in ſæculum.

Dum portatur ad Eccleſiam, dicatur.

Pſalm. 118.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde exquirunt eum. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Tu mandaſti: mandata tua cuſtodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas juſtificationes tuas. Tunc non confundar: cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quò didici judicia juſtitiæ tuæ. Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelin. quas uſquequaque. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis. In corde meo abſcondi eloquia tua: ut non peccem tibi. Benedictus es Domine: doce me juſtificationes tuas. In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum: ſicut in omnibus divitiis. In mandatis tuis exercebor: et conſiderabo vias tuas. In juſtificationibus tuis meditabor: non obliviſcar ſermones tuos. Gloria Patri &c.

Et ſi tempus ſupereſt, dici poteſt Pſalm. Laudate Dominum de cælis; *ut habetur in Officio ad Laudes; cum aliis duobus ſequentibus, & in fine:* Gloria Patri, &c.

Cum autem pervenire ad Eccleſiam, dicatur.

Antiph. Hic accipiet EV OV AE.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, et plenitudo eius: orbis terrarum, et univerſi, qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, et ſuper flumina præparavit eum. Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, et mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec iuravit in dolo proximo ſuo Hic accipiet benedictionem à Domino: et miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, qui hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Poſteà dicitur: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, *ſecretò, interim corpus aſpergit* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti. ℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens, & mitiſſime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte Baptiſmatis, dum migrant à ſæculo, ſine ullis eorum meritis, vitam illicò largiris æternam, ſicut animæ huius parvuli hodie credimus te feciſſe: fac nos quæſumus Domine, per interceſſionem Beatæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum hic purificatis tibi mentibus famulari. Et in Paradiſo cum beatis parvulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum; & etiamſi tunc non portatur dicitur.

Antiph. Iuvenes & Virgines. EV OV AE. *Pſ.* Laudate Dominum de cælis, &c *ut habetur in Officio ad Laudes; & in fine:* Gloria Patri, &c. *et repetitur. Antiph.* Iuvenes, & Virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini. Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos inducas in tẽtationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Sinite parvulos venire ad me. ℟. Talium eſt enim re-

gnum cœlorum. ℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad cœlorum regnum hodie miſericorditer vocare dignatus es; digneris etiam Domine ità nobiſcum miſericorditer agere, ut meritis tuæ ſanctiſſimæ Paſſionis, & interceſſione Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis, & electis tuis ſemper facias congaudere. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus &c.

Deinde Sacerdos corpus aſperget aqua benedicta, & thurificet; ſimiliter & tumulum; poſteà ſepelitur.

Cum autem à ſepultura revertuntur in Eccleſiam, dicatur:

Antiph. Benedicite. EVOVAE.

Canticum trium Puerorum Daniel. 3. Benedicite omnia opera Domini Domino, &c. Gloria.

Antiph. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Deinde ante altare dicit Sacerdos: Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

DEus qui miro ordine Angelorũ miniſteria, hominumq; diſpenſas, concede propitius, ut à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſẽper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrũ, &c.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§. I.

Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

SAcerdos Matrimonium celebraturus, Publicationibus factis tribus diebus feſtis, ſi nullum obſtet legitimum impedimentum: in Eccleſia, ſuperpellicco, & alba ſtola indutus, adhibito uno ſaltem Clerico ſuperpellicco pariter induto, qui librum, & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio deferat coram tribus, aut duobus teſtibus, virum & mulierem, quos parentum vel propinquorum ſuorum præſentia cohoneſtare decet, de conſenſu in matrimonium interroget utrumque ſigillatim in hunc modum vulgari ſermone.

N. Vis accipere N. præſentem in tuam legitimam uxorem iuxta Ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ? *Reſpondeat ſponſus:* Volo. *Mox Sacerdos ſponſã interroget:* N. Vis accipere N. hic præſentem in tuum legitimum maritum iuxta Ritum ſanctæ Matris Eccleſiæ? *Reſpondeat:* Volo. *Nec ſufficit conſenſus unius; ſed debet eſſe amborum & expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per procuratorem. Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem iungere dexteras, dicens:* Ego conjungo vos in Matrimonium; In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, Amen. *Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcuiſque Provinciæ Ritum, poſtea eos aſpergat aqua benedicta, mox benedicat annulum.*

Benedictio annulli.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

BEnedic ✠ Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus ✠, ut quæ eum geſtaverit, fidelitatem integram ſuo ſponſo tenens, in pace, & voluntate tua permaneat, atq; in mutua charitate ſẽmper vivat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aſpergat annullũ aqua benedicta in modũ Crucis, & ſpõſus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari ſiniſtra manus ſponſæ. Sacerdote dicẽte: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti Amen. *Mox ſubiungat.* ℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. ℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Eſto tu Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

REſpice quæſumus, Domine, ſuper hos famulos tuos; & inſtitutis tuis quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte, ut qui Te auctore iunguntur, te auxi-

auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

His expletis, ſi benedicendæ ſint nuptiæ, Sacerdos Miſſam pro ſponſo & ſponſa, ut in Miſſali Romano celebret ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.

Ceterum, ſi quæ Provinciæ aliis ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas ſancta Tridentina Synodus optat retineri.

§. II.

Benedictio mulieris poſt partum.

Si qua puerpera poſt partum iuxta piam, ac laudabilem conſuetudinem ad Eccleſiam venire voluerit pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque à Sacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, tum miniſtro aſpergillum deferente ad fores Eccleſiæ accedat, ibi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem, aqua benedicta aſpergat: deinde dicat, ℣. Auditorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Antiphona*: Hæc accipiet Benedictionem à Domino. *Pſalm.* Domini eſt terra, &c. *totum ut ſupra pag.* 480. Gloria Patri, &c. Hæc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem ſtolæ, eam introducit in Eccleſiam, dicens: Ingredere in templum Dei, adora filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipſa ingreſſa genuflectit coram Altari, & orat gratias agens Deo de beneficiis ſibi collatis, & Sacerdos dicit: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter *ſecretò*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvam fac ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eam. ℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor &c. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M U S.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem, & præſta, ut poſt hanc, eiuſdem Beatæ Mariæ meritis, & interceſſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde illam aſpergit iterum aqua benedicta in modū crucis, dicens: Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

RITUS SIVE ORDO

Conficiendi aquam benedictam.

Ex Rituali Romano.

Diebus Dominicis, & quandocumque opus fuerit præparato ſale, & aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel in Sacriſtia. Sacerdos cum ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus, primò dicit.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde abſolutè incipit exorciſmum ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum, qui te per Eliſeum Prophetam in aquam mitti iuſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ: ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat a loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia, & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

O R E M U S.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam, in uſum generis humani tribuiſti, benedicere, ✠ & ſanctificare ✠ tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mētis & corporis: & quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus aquæ; & dicatur ſine OREMUS.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris omnipotētis, & in nomine Ieſu ✠ Chriſti filii eius Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ ſancti: ut fias aqua exorcizata ad

effugandam omnem poteſtatem inimici; & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis: per virtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

O R E M V S.

DEus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum; ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici: & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione huius aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum, &c. *Hic mittat ſal in aquam in modum crucis, dicendo ſemel.* Commixtio ſalis, & aquæ pariter fiat: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

DEus invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, te Domine trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam ſalis, & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicumque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorq; veneneſi ſerpentis procul pellatur: & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum, &c. in unitate eiuſdem Spiritus ſancti, &c.

Poſt benedictionem aquæ Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Miſſam, aſpergit Altare, deinde ſe, Miniſtros, ac populum, prout in Miſſali præſcribitur.

Benedictio Domus cum aſperſione Aquæ Benedictæ.

P*Arochus vel alius Sacerdos volens aliquã particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aſpergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant.* Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aſpergendo dicant: Antiph.* Aſperges me Domine hyſſopo, & mundator, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. *Pſalm.* Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, &c. Gloria Patri, &c. *& repetitur Antiph.* Aſperges me Domine, &c. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de coelis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio ordinaria Locis cuiuslibet.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

BEnedic ✠ Domine Deus omnipotens Locum iſtum (*vel* domum iſtam) ut ſit in eo (*vel in ea*) ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, manſuetudo, plenitudo legis; & gratiarum actio Deo Patri, & filio, & Spiritui ſancto; & hæc benedictio maneat ſuper hunc Locum, & ſuper habitantes in eo, nunc & ſemper. ℟. Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Domus novæ.

V*Erſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORE-

O R E M V S.

TE Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus eius, ac rebus: vt eam benedicere, ✠ & ſanctificare, ✠ ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine, de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitę ſubſtantiam, vt deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Iacob; & intra parietes domus iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & eius habitatores cuſtodiant, Per Chriſtum Dominum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio communis ſuper fruges & vineas.

V*Erſ.* Audiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aeris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ vſque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, vt à fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Aſpergat illas aqua benedicta.

Benedictio nouorum fructuum.

V*Erſ.* Adiutoriū noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

BEnedic ✠ Domine hos nouos fructus N. & præſta, vt qui ex eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animæ ſalute potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio ſeminum ac ſegetum, in feſto Natiuitatis B. V. Mariæ.

V*Erſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M V S.

TE Domine ſancte Pater, omnipotens ſempiterne Deus petimus ac rogamus: vt hos fructus ſegetum tuis ſerenis oculis, hilarique vultu aſpicere digneris. Et ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Ægypti, dicens: Dic filijs Iſrael, cum ingreſſi fuerint terram promiſſionis, quam eis dabo: vt primitias fructuum ſuorum offerant Sacerdotibus; & erunt benedicti. Sic & nos rogamus te Domine; vt per auxilium miſericordiæ tuæ, emittas ſuper hunc fructum ſegetum dexteræ tuæ bene ✠ dictionem, quas ad exhibēdum proferre digneris: vt non ſubruat grando, nec turbo ſubuertat, nec vis tempeſtatis detruncet, nec aeris innundatio exterminet: ſed ſemper incolumis permaneat, propter vſum animarum & corporum, & ad bene abundantem, & pleniſſimam maturitatem perducere digneris. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

O R E M V S.

OMnipotens ſempiterne Deus, cæleſtis verbi ſeminator & cultor, qui noſtr cordis aream ſpiritualibus raſtris exerces: adeſto propitius precibus noſtris, & ſuper agros, quibus hęc ſemina fuerint inſita, tuam largam benedictionem infunde, ac ab eis omnem vim procelarum gratiæ tuæ defenſionis auerte: vt omnis hic fructus, & tua benedictione repleatur, et ad horrea ſine impedimento perueniat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Tunc thurificentur ſemina, & aſpergantur aqua benedicta.

Forma breuis Exorciſmi aduerſus dæmonis in aliquo homine obſeſſionem, aut maleficia.

S*Acerdos indutus ſuperpellicio & ſtola, etiam afflicti collum altera ſtola obuoluat, per* quam

quam quaſi in tutelam eum aſſumat, & ſibi iungat, vel in maiorem fiduciam erigatur. Deinde poſt humilem inuocationem S. Spiritus, & adſtantium monitione, vt ſuas preces cum Sacerdotis actione coniungat.

Et muniens ſeipſum ſigno Crucis, dicat clara voce:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens Domine, Verbum DEI Patris, Chriſte Ieſu, qui ſanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici; & cuius virtute victus, tanquam fulgur de cœlo, Satanas cecidit: tuum nomen tremens ſupplexque deprecor, vt mihi indigniſſimo ſeruo tuo data venia peccatorum, confidentiam & virtutem donare digneris, vt hunc crudelem draconem brachij tui potentia ſecurus aggrediar. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c. ℟. Amen.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, à cuius facie cæli diſtillant, montes ſicut cera liqueſcunt, terra tremit; cui patent abyſſi, quem inſernus paueſcit; Te ſupplex deprecor, vt inuocatione tui nominis huius famuli tui (*vel* famulæ tuæ) N anima à vexatione liberata, ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremque ſuum, diabolico depulſo fetore, & odore ſuauiſſimo Spiritus ſancti percepto, ſequatur Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat, &c. ℟. Amen.

Tunc energumenus, ſi poſſit, clara voce dicat Symbolum Apoſtolorum, præeunte Sacerdote, qui ſtatim dicat:

℣. Benedicamus Patrem & Filium, cum ſancto Spiritu.

℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Maieſtatis adorare vnitatem; quæſumus vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus hic breuis ſubinde repeti poſſit, cum recitatione Euangelij. *In principio, &c. Longior eius proſecutio, & diſpoſitio in Rituali, aut Paſtorali continetur.*

Exorciſmus domus à malis ſpiritibus vexatæ.

SAcerdos indutus ſuperpelliceo & ſtola, dicit In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ ſancti. Amen. *Deinde flexis genibus Hymnum.* Veni Creator Spiritus, &c.

℣. Exurge Chriſte, adiuua nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

DEfende, quæſumus Domine, beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, iſtam ab omni aduerſitate familiam: & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contuliſti, vt quidquid in tuo nomine dignè perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur; quæſumus immenſam clementiam tuam, vt quo modo viſitari ſumus, viſites: & quidquid benedicturi, bene✠dicas; & ad ea quæ acturi ſumus dexteram tuæ potentiæ extendas: fiatque ad noſtræ humilitatis introitum (Sanctorum tuorum meritis,) fuga dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum. ℟. Amen.

ORE-

O R E M U S.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, & omnium bene viventium: Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te invoco, & nomen ſanctum tuum, ac præclaræ Maieſtatis tuæ clementiam ſupplex depoſco, ut mihi auxilium præſtare digneris adverſum nequiſſimum ſpiritum, ut ubicumque ſit, audito nomine tuo velociter exeat, & recedat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Adiuratio.

ADiuro te ſerpens antique, per Iudicem vivorum, & mortuorum, per Factorem mundi, qui habet poteſtatem mittere te in gehennam, ut ab hac Domo feſtinus diſcedas: Ipſe tibi imperat maledicte Diabole qui ventis ac mari & tempeſtatibus imperavit. Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit, Ipſe tibi imperat, qui te retrorſum abire præcepit. Audi ergo Satana, & time, & victus & proſtratus recede, adiuratus in nomine Domini noſtri IESV Chriſti: Qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipiet quindecim Pſalmos Graduales, qui ſunt inter alios Pſalmos magis proprii ad hanc materiam; legendoque aſpergat aqua benedicta domus loca, illa potiſſimùm ubi ſit maior infeſtatio, ac primùm inferiorem partem domus. Moneatque aſſiſtentes ut preces ſuas cum ipſis coniungant.

FORMULÆ PASTORALES.

Pro Teſtimoniis variis, quæ ab iis requiruntur, *ex Manuali Paſtorum deſumpta.*

FORMULA ſcribendi Teſtimonium pro iis, qui egent Diſpenſatione Proclamationum *ante nuptias.*

FActa per me infraſcriptum Rectorem Parochialis Eccleſiæ loci de... Diſtrictus... Diœceſis N. diligenti inquiſitione apud Perſonas fide dignas ſuper libertate NN. & N. N. Subditorum prætractæ Parochialis, cupientium inter ſe ritè contrahere Matrimonium. Scio & teſtificor eos ad id eſſe liberos, & ab eo non prohiberi per aliquod canonicum impedimentum. Inſuper ipſos eſſe boni nominis & famæ, & in Catholica fide quam profitentur, eſſe ſufficienter inſtructos, uti per examen deprehendi: Denique eorundem Parentes conſentire in prædictum prætenſum Matrimonium, prout ex ore eorundem parentum coram didici. Et quia prædicti nupturientes excurrunt, ut gratiam diſpenſationis proclamationum obtineant, & allegant pro cauſa quod &c. Fidem facio cauſam illam revera ſubeſſe. Datum die...anno....

Apponendo ſuum Nomen & Sigillum. Et ante omnia curando ut prædicta ſi[...]int, debitè examinata & probata.

F O R M U L A.

Teſtimonii Paſtoralis pro iis, qui migrant ex una Provincia, Civitate, Oppido vel Pago, ad aliam Provinciam, Civitatem, Oppidum vel Pagum.

EGo infraſcriptus Paſtor Eccleſiæ Parochialis N. Civitatis N. vel Oppidi N. vel Pagi N. fidem facio NN. & NN. perſonas in legitimo Matrimonio conſtitutas, & hinc aliò cum ſuis prolibus & domeſticis demigrantes, eſſe Catholicæ & Orthodoxæ fidei cultores, Eccleſiam ſuam Parochialem & Sacramenta diligenter frequentaſſe, quamdiù apud nos fuerunt, & non fuiſſe in ullo ſcandaloſos, nec eſſe notatos ulla infamia; ſed è contra iſtam familiam, & ſingulares eius perſonas mihi eſſe notas, ut probæ vitæ & converſationis, & ab honeſtate vitæ ac morum eſſe commendabiles, uti in qualitate mea ſupraſcripta mihi conſtat ex ſpeciali eorum notitia, & inſpectione.... vel ex fide dignorum vicinorum teſtimonio.... vel tam ex fide dignorum teſtimonio, quam ex perſonali notitia.... vel quia habitarunt in vicinia mea per Annos....

Quodſi is, qui petit teſtimonium, eſt iuvenis intendens peregrè proficiſci, verbigratia, ad Urbem Romanam, ad Divam Virginem Lauretanam, Compoſtellam ad S. Iacobum, vel ad terram Sanctam, Sancta ibidem loca veneraturus, expedit etiam ea in teſtimonio ſpecialiter exprimi.

FORMULA. Approbationis Epiſcopalis ad Confeſſiones audiendas exprimitur ſupra *Tom.2. pag.149.*

FORMULA. Teſtamenta ritè conficiendi indicatur ſupra *Tom.2. tr.5. pag.236.*

FOR-

FORMVLA. Accurata, & varia ſcribendi Romam pro diſpenſatione, vel aliqua Facultate, ſive in caſibus Matrimonialibus, ſive in aliis ad Pœnitentiariam Romanam, &c. exprimitur in proprio tenore ſupra *Tom. 2. tr. 4. pag.* 206.

Item in cauſis pertinentibus ad alia Eccleſiæ Tribunalis *pag.* 244.

NOTA.

PRo huiuſmodi Teſtimoniis, Litteris, Petitionibus aut commendationibus ad Perſonas in Dignitate conſtitutas, per commodum erit Viro Eccleſiaſtico, aliiſque, in promptu habere Titulos; & Inſcriptiones communiores, *quæ perſonis talibus in particulari attribuuntur, ideoque illa in eius gratiam hic conor annotare.*

Tituli proprii variarum perſonarum, dignitatum, &c.

P*ontifex*, Sanctiſſimus Pater, *Imperator*, Auguſtiſſimus Cæſar.

Cardinalis, Eminentiſſimus, *Archiepiſcopus*, Illuſtriſſimus, *Epiſcopus*, Reverendiſſimus; *nunc additur*, Illuſtriſſimus, *Abbas*, Reverendus admodum &c. *Pro varia qualitate. Pleraque alia Dignitates inferiores* Ampliſſimi *Domini*, *titulo gaudent, Doctor Theologiæ dicitur*. Eximius *Licentiatus Theologiæ*, Eruditiſſimus. *Graduatus inferior*, Doctiſſimus. *Doctor Iuris*, Clariſſimus. *Advocatus*, Conſultiſſimus *Doctor Medicinæ*, Expertiſſimus. *Reges Sereniſſimi*, Potentiſſimi, &c. *Rex Hiſpaniæ*, Catholicus. *Rex Galliæ*, Chriſtianiſſimus. *Principes plerique & Archiduces Sereniſſimi. Comites*, Illuſtriſſimi, *& Barones*, Perillustres. *Dynaſta aut Toparcha*, Nobiliſſimi. *Conſules*, Ampliſſimi: *Ex Nobilibus privatis, alii* Nobiles Domini, *alii* Prænobiles *inſcribuntur*.

Hi ſunt Tituli communiores, *quamvis fortè non ubique eiuſdem tenoris. Quando in eadem perſona concurrunt plures Dignitates, ſolent earum proprii Tituli in Inſcriptione coniungi. Sed in his, cæteriſque omnibus, viro Eccleſiaſtico, nobiſque, hoc ſit primum & ultimum, ut ſingula referantur.*

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

EXEM-

E X E M P L A R

Dedicationum priorum, aliarum Editionum huius Operis, Viris Apoſtolicis Miſſionis Belgicæ, Anglicæ, & Hibernicæ.

Cum Proſecutione ELOGII *ſpecialis, de glorioſa Morte illorum, qui recentiùs in* Germania, Anglia, & Hibernia *pro Deo & Proximo vitam & ſanguinem profuderunt, ut* Primas Hiberniæ Archiep. Dublinenſis, &c.

IPſa frons prima huius Operis non obſcurè prodit, quos ſibi Patronos deſignet. Vos (Miſſionarii Apoſtolici,) vos militantis Eccleſiæ lectiſſimos Pugiles cum Hæreſi, cum Vitiis, cum inimicis Crucis Chriſti ubique depræliantes, ſuos ſibi Mecenates ambit, & me tacente depoſcit. Si Germaniam qua patet univerſam, ſi ampliſſima Angliæ, & Hiberniæ Regna, ſi multiplices Belgarum Provincias latè circumſpiciamus, habet ſanè ætas noſtra ex omnibus Eccleſiæ membris ſtrenuiſſimos Fidei Defenſores, ac veros Machabæos, de quorum laboribus, præliis ac trophæis meritò ſibi poſſit gratulari. Atque inter hos omnes Operis huius Patronos, Vobis imprimis, Miſſionis Flandrobelgicæ Socii, illud ſingulari quodam jure deberi, nemo niſi iniurius inficiabitur. Etenim ſi quid eſt in Authore facultatis, ſi quid ſcientia, id omne à primis religioſæ vitæ incunabulis Provincia huius inſtitutionis ſanctiſſimæ, ſe acceptum referre nunquam ſatis teſtabitur. Accedit eiuſdem Provinciæ in provehendis undique Miſſionibus Apoſtolicis ardor perpetuus, labor immenſus, induſtria ſingularis, & nullis limitibus circumſcripta. Quæ ſcilicet una, præter ampliſſimas Miſſiones, Batavicas, Navales, Caſtrenſes, & alias quas ſuo ſinu domi complectitur, ad remotiſſimas etiam Gentes longè, latèque ſuos Socios, ac labores extendit.

ATque imprimis, laboris veſtri primordia circumſpicienti, occurrit ille Provinciarum confœderatarum ſtatus ab hominum memoria longè deploratiſſimus, quando una cum avita Fide pulſis undique fidei Præconibus, nihil aliud ſupereſſe videbatur, quàm perpetuum Religionis Romanæ, ac priſtinæ Pietatis exilium. Sollicitauit Sociorum animus vicina illa Patriæ calamitas, ex quibus viri lectiſſimi, ſpretis hoſtium inſidijs, vinculis ac carceribus, pro communi ſalute caput, & vitam vltro offerre non dubitarunt. Duces huic expeditioni ſeſe præbuerunt Gulielmus Leonius, & Cornelius Duyſtius, qui multa clam, multa palam perpeſſi, Apoſtolico ritu Prouincias vndique luſtrantes, palabundas Catholici nominis reliquias in unum congregarunt, infirmos in fide roborarunt, atque innumeros lapſos ac devios in viam ſalutis revocarunt. Horum inter undas Batavicas primus ardor, in abſentium quoque Sociorum pectoribus nouas flammas excitauit. Secuti ſunt in eandem palæſtram ex vniuerſa Prouincia Athletæ fortiſſimi, qui rebus Religionis vbique inclinatis Athlanticos humeros ſuppoſuerunt. Atque inter primos Friſiam ad ortum occaſumque luſtrauit, firmauitque Ioannes Bargius: Zelandiæ inſulas vnus eo tempore excolauit Nicolaus Romæus, qui verbo & ſcripto Sectariorum auda-

ciam

ciam repreſſit, & Calvinum, derracta larva, ſuis ad umbratum coloribus Scriptis repræſentavit. His in meſſem nimis amplam, ſed ea tempeſtate operariis vacuam, opportunè alii atque alii Sociorum manipuli ſucceſſere, ac venturis poſtlimino ex Clero tam regulari, quam ſæculari auxiliaribus copiis, qua licuit induſtria, ampliorem laboris campum apparuere.

NEque defuit in hodiernum uſque diem primævus ille Sociorum ardor. Ad vos, Viri Apoſtolici, qui eandem Vineam etiamnum excolitis, amplo cum fœnore tranſierunt illi priorum temporum labores prælia, pericula, ſed & conjuncta periculis gloria. Nullus hic mihi calamus deſcribet, quot vobis decurrant in cura animarum noctes inſomnes, quot ſubeunda cum fidei hoſtibus certamina, quot declinandæ inſidiæ, quot ſuſtinendi carceres ac vincula, & graviora vinculis diſcrimina. Sed vel ſic cum Apoſtolo palam facitis, verbum Dei non eſſe alligatum. Non tantum ſonat in pulpitis, auditur etiam in ergaſtulis in vinculis, per rura, & campos, & naves, & privata ſummorum infirmorumque domicilia veſtra vox, labor & prædicatio decurrit. Multos quidem Heroes è Societate Belgica quotannis per octoginta, & amplius annos, labor hic improbus immaturo funere conficit ac conſumit. At nunquam deſunt novi Athletæ, qui priorum caſu animati potiùs quam territi, in paleſtra tam nobili & vitam & ſanguinem profundere ultrò exardeſcunt.

Vobis igitur qui vineam iſtam hodie immenſo labore, nec minori cum gloria conſtanter excolitis. Vobis, inquam, novam hanc Operis hujus Editionem novo jure dedicamus, utpote in quibus præclara Majorum in ea Miſſione decora, novo ſemper incremento refloreſcunt.

Sed ecce ad remotiora dum rapior, domeſtica præter eo. Habet Societas Flandrica in Miſſione Batavica ſuas Indias, ſed habet etiam in ipſa Flandria ſuam Bataviam. Vix aliquod eſt hujus Provinciæ Collegium, ex quo Apoſtolico ſpiritu ad varias è propinquo Miſſiones, aut ſacras Inſtitutiones non excurrunt. Quas ego ſi ſingulas pro meritò recenſerem, mihi quoque longius excurrendum foret.

AD vos igitur (ſacræ Militiæ aſſeclas) demum venerabundus accedo qui Miſſioni Caſtrenſi inter mille mortis diſcrimina ſanguinem & vitam aut conſecratis, an pridem conſecraſtis. De veſtra virtute, infractis animis, ac laboribus immenſis, meritò ſibi Societas Flandrica gratulatur, quibus Belgium, præ cæteris Gentibus, continuum pæne Martis domicilium, perpetuum aperit gloriæ theatrum. Nec nova vobis, nec obſcura eſt hæc laudis ac laboris palæſtra. Primus huius militiæ Ductor Thomas Saillius, à Principe Parmenſem in conſcientiæ ſua arbitrum adſcitus, gregariis quoque militibus in cunctis laboribus ac periculis invicto animi robore, diu noctuque præſto fuit. Princeps ex ardore tam generoſo præcelſum Thomæ animum velut ex ungue leonem admiratus, plures huiuſmodi Belgicos leones Caſtris ſuis adiungi peroptavit. Et quamvis eo tempore vix par laboribus Sociorum numerus Collegia incoleret, oblati ſunt Principi Patres duodecim, quos ille primum in familiam ſuam adſcivit, deinde more militari Libris Regis inſcribi, & in Miſſionem perpetuam firmari voluit. Quantus hic exercendæ virtutis, tam propriè, quam alienæ campus pateſcat, quanti per annos pluſquam octoginta exanthlati labores, non tantum rerum in hoc Martio campo geſtarum multitudine, ſed etiam plurimorum Patrum ſanguine, conſignatum habemus. Verſatur adhuc in hominum atque animalium memoria Nicolaus Montanus, dictus per excellentiam Burgundionum Apoſtolus, qui ad Sancti Quintini fanum multò vulnere confeſſus interiit. Et ut alios prætercam: in pugna Neoportana, inclinata belli fortuna, cum Patres Caſtrenſes inter laceros miſerorum artus, & cadavera aures adhuc ſpirantibus præberent, Petrus Buzelinus ab hoſte hæretico comprehenſus, & glande traiectus fuit. Sed & Laurentium Everardi, hoſtili cuneo immiſſum, & pro Societatis homine agnitum, Calviniana crudelitas interemit. Aliam huic victimam, Othonem Campenſem, pro aliena ſalute laborantem, eadem perfidorum rabies adiunxit. Cætera ſi perſequar his ſimilia, iliadem conficiam. Infinitum quippè foret enarrare huius Miſſionis caſus, & pericula, quæ in urbium obſidionibus, cruen-

cruentis congreſſibus ac prælijs, ſequentia deinceps tempora pepetere.

SEd à Martis Regno ad Neptunum tranſeamus: huius quoque imperium ampliſſimum Flandrobelgicæ Provinciæ navalis Miſſio pervadit, ſoli Belgio propria, & à principibus Auſtriacis ſolenni diplomate Societati demandata. Arduum ſanè munus, & illis tantum deſtinari ſolitum, quibus animus eſt inſigni robore ſeptus, & vires animo pares. Hic nullus timori, nullus fugæ locus: quamvis & tonet cœlum, & fremant procellæ, & totus ex imò commoveatur oceanus, immoto tamen animo perſiſtendum eſt, qui nec conſpecta morte paveſcat, nec alios pavere patiatur. Vt nihil dicam de nauſea marina, de morborum contagione, de nautarum militumque colluvie, quid magis arduum videtur, quam animos illos, ipſo oceano majores, unius lignei carceris ergaſtulo dies noctesque coarctari: donec his anguſtiis pariter cum corpore ſoluti, tumulum domicilio ampliorem in medio æquore frequenter inveniant. Plures ſub hoc marmore æquoreo ſepultos Apoſtolicos Heroes promptum foret, ſed prolixum, ex huius Provinciæ monumenti enumerare.

Pergite illuſtres animæ, Terras & terrena à tergo relinquite, immenſa maris ſpatia peragrate, non ut velut aureum è Cholcide, ſed ut animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas è barathri faucibus eripiatis. Sæviant procellæ, aſſurgant undæ, dehiſcat abyſſus: ſed nec undæ aut procellæ, nec abyſſus tota, nec omnes oceani fluctus Charitatis veſtræ ardorem hactenus extinguere valuerunt. Hæc immenſa Apoſtolici pectoris Decora non levibus tantum Operis noſtri foliis, ſed monumentis perpetuò duraturis poſteritas celebrabit.

SEd alio me abripuit Miſſionum Apoſtolicarum multitudo, priuſquam vel unius magnitudinem poſſim dicendo exæquare. Terras, Maria, Caſtra, Navigia prætervectus, ad ipſa Libitinæ regna *Peſtiferis* aſſiſtentium tandem pervenio. Hinc in limine primo occurrunt lethalia ulcera, & gemitus cum morte luctantes. Inter hos quot ego Sociorum alacres vultus, & vivida inter languentes obſequia conſpicio. Horum alii morientes ad extremam luctam diſponunt, alii vivis neceſſaria ſubminiſtrant, alii tam animorum quam corporum plagas omni ſtudio lenire contendunt. Verùm nec ipſi ſatis exempti: innumeræ in hoc obſequio Charitatis victimæ intra Belgarum fines cecidere, quorum ut pleroſque ſparſim extinctos prætercam, in ſolo Antverpiæ nobili Emporio, Patres, Fratreſque viginti quatuor non magno intervallo pro civibus contagione afflatis, animas aliquando poſuere, quorum numerum Andreas Schottus Conſulis Antverpiani filius ſuo funere nobilitavit. Quin & Gandavianus huius ſæculi trigeſimus in obſequio infectorum undecim ſocios è vivis aſtulit. Atque eadem contagione ad alias urbes, Bruxellas, Hallas, Cortracum, Belliolum latiùs progrediente, harum ſingulis bina ternaſve hoſtias par charitas immolavit. Piget forte lectorem inter tot Heroum funera diutius immorari. At non ignoro viris Apoſtolicis jucundum eſſe, non tantum maiorum ſuorum geſta, ſed etiam ſepulchra ac monumenta intueri.

HActenus intra Belgii fines verſamur. Non poteſt ille Belgicus ardor unius Gentis aut Provinciæ limitibus coarctari. Per immenſa totius Oceani ſpatia ad Iapones, ad Indos, ad ultimos terrarum Chinenſes ſuam opem, & nova ſociorum ſubſidia tranſmittit.

Prolixus forem ſi præteritorum temporum colonias, cum Gaſpare Barzæo, aliiſque Belgis ex hac Provincia in alterum orbem traductas, recenſendo memorarem. Quorum laboribus non tota Ormuſia, aliaque regna inter Indos, Iaponeſque ſufficere. Adeò ut magni Xaverii votum perpetuum fuerit, Belgarum quàm pluribus in ſui ſocietatem laboris adipiſci, quorum nempe zelum, genium, & induſtriam ad infidelium converſionem præ cæteris natam, & accommodatam cenſebat, ut ſuis ipſe litteris teſtatur. Et ut antiquiora prætercam: Vidi, ipſe vidi, cum duodecim ſimul lectiſſimi Patres, magnis Provinciæ ſumptibus, & ſuppellectili ſacra inſtructi, hinc in Hiſpaniam enavigarent ad animarum ſubſidium, ſi daretur aditus, in novum orbem penetraturi. Vidi & ante hos *P. Corn. Beudin*, qui eodem profectus, & à barbaris fidei cauſa trucidatus,

tus, præclaram ut arbitror martyrij palmam obtinuit. Notus quoque mihi & familiaris fuit *Ferdinandus Verbi eſt*, qui magno ambitu cum alijs eiuſdem Provinciæ Socijs Chinenſem Miſſionem impetrauit, iamque pluribus annis, in immenſo illo Sinarum imperio Chriſtianæ fidei negotium promovere pergit, idque tanto ſucceſſu & auctoritate, vt in ipſa Imperatoris Aula ſummam illam Mandarini dignitatem etiamnum obtineat. Quin & ex illis, quos ipſe nuper in Scholis Auditores habui, Lovanio ad novi Orbis ſubſidium non pauci ſe contulere, multoque plures Miſſionem illam ſummis votis ambivere. Nec mihi ignota ſunt paſſia plurium deſideria, qui etiamnum ad eandem gloriæ palæſtram magno animi ardore aſpirant.

HAs ego Belgicas Miſſiones, ut magis mihi nota dum recenſeo, ſimul in eandem gloriæ ſocietatem ſuo jure advoco, omnes omnium ordinum Apoſtolicos viros, qui ubi gentium in pari cauſa pares animos ac labores impendunt. Et vos imprimis, Miſſionarij verè Apoſtolici, qui per ampliſſima Angliæ, & Hiberniæ regna contra Hæreſim pridem ſceptro, ferroque armatam, inter mille vitæ diſcrimina aſſiduò dimicatis. In hac arena ſanguinolenta quot ego Campianos, quot Vvalpolos, quot Garnettos, Vritos, Colinos, hodieque conſpicio, quibus ad parem martyrij gloriam, per animus exæſtuat. Teſtantur hunc animi ardorem tot præclari Heroes, qui & priorum pericula ſecuti, & palmam conſecuti fuerunt. Et his longum foret enumerare ingentem ſeriem virorum illuſtrium, qui à tempore Henrici VIII. in hodiernum uſque diem, & dira tribunalia, & carcere, & vincula, & feralia pegmata ſua morte ac ſanguine nobilitarunt. Dabit hæc longo ordine, aliaque illuſtriora, Prouinciæ Anglicanæ per P. Henricum Morum felici calamo conſcripta hiſtoria.

VTinam hic quoque liceret in Miſſione *Hibernica* exanthlatos tot annis Sociorum labores in publicam lucem proferre. Si exhiberentur oculis prima iſtius Miſſionis ab ipſo S. Ignatio conſtituta feliciter exordia: Si inter varias deinceps temporum procellas, & perſequentium machinas inuicta conſtantia: ſi Virorum in omni facultate illuſtrium domi foriſque eximia decora: ſi paucorum hominum docendo, prædicando, ſcholas erigendo, toto regno diffuſa induſtria: ſi tolerata non ita pridem dominante Cromvello bonorum rapina, & vincula, & carceres, & longinqua etiam ad barbaros exilia: deniq; ſi poſt extremam ruinam, inſtaurati, velut ex cineribus, priſtini labores, aliaq; his ſimilia ſub modio hactenus latentia, in lucem prodirent, ſtuperet ſanè poſteritas, res orbis theatro digniſſimas, intra ſilentij ac modeſtiæ cortinas tot annorum luſtris potuiſſe contineri, Magis ſcilicet hactenus intenti fuerunt illi, vt ſcribenda patrarent; quam ut patrata conſcriberent.

HIs quoq; inter Operis huius Patronos ſuo iure accedunt ex ſacra S. Dominici, ac S. Franciſci Familia, viri illi verè Apoſtolici, qui in excolenda Hiberniæ vinea tot annis ſtrenuè deſudarunt. Priùs ego Stellas cœli, quam hos Abrahæ filios, & tantis filijs digna facinora valeam recenſendo numerare. Quis enim ignorat quantum illi impendant ſtudij & induſtriæ, etiam inter extera gentes, Romæ, Pragæ, Lovanij, & in alijs Doctorum Lycæis, pro formandis, alendiſq; operarijs in hanc Vineam perpetuò ſucceſſuris. Quanti etiam domi ſuſtinendi labores, vt cum reliquo Clero, Romanæ ſedis, ac Religionis decus toto Regno integram inuiolatamq; conſeruent. Adeò vt quod olim, in fulcienda Lateranenſi Baſilica, præſtare viſus eſt Seraphici Ordinis Patriarcha, id nunc in ſuſtinenda Eccleſiæ Hibernicæ ruinæ eius Soboles, alij ſociata, perficiat.

IVngite igitur vbiq; Gentium felices dexteras vos omnes fidei Pugiles, qui ſub purpureo Chriſti vexillo per Miſſiones Apoſtolicas toto orbe diffuſi militatis, Bellum, quod Lucifero, eiuſq; aſſeclis pro Deo, & Eccleſia pridem indixiſtis, ad extremum vſq; ſpiritum indefeſſi ſuſtinete. Non vos frangat tyrannorum potentia, perrumpetis; non domeſticorum hoſtium inuidia ſuperabitis: charitatem alij in otio, & vmbra prædicent, vos illam in ſole & ſudore, & orbis vtriuſq; conſpectu palam, exercete. State, cum Gentium Apoſtolo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & in-

„ & induti loricam iuſtitiæ; & calceati „ pedes in præparatione Evangelii pacis „ in omnibus ſumentes ſcutum fidei, & „galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Hoc ego verbum, hunc ego gladium in hoc opuſculo quaſi in vagina reconditum, ad veſtras aras ſupplex appendo. Magnum operæ prætium me retuliſſe arbitrabor, ſi hæc arma litteraria, non levi à me ſtudio fabricata ad militiæ veſtræ uſum, ac ſupremi Ducis gloriam aliquando ſubſerviant.

Viri Apoſtolici
Humillimus veſter Cliens
RICHARDVS ARSDECKIN
Soc. Ieſu Hib. KilKen.

PROSECVTIO

Dedicationum priorum.

Patronis novis ac Viris verè Apoſtolicis Germaniæ, Angliæ, & Hiberniæ, *qui pro Deo & Proximo vitam, aut ſanguinem recentiùs profunderunt.*

AVſpicium huius Proſecutionis à Te duco auguſtum Imperii Caput Germania. Palæſtram tibi Charitatis Apoſtolicæ glorioſam, & lauream multiplicem nuper præbuit non gladius carnificis, ſed quovis ferro atrocior peſtilentia, ſuperioribus annis latè graſſata. Quanta hæc cum violentia Auſtriam, & Bohemiam undique invaſerit, quot in ea Charitatis Victimæ ceciderint, nulla debet unquam oblivionem deleri: ex quibus ego ea tantum poſſem referre, quæ certiſſimis monumentis conſignata, etiam ex Vrbe Romana, ad me devenere. In communi illa calamitate, tanquam in publico Charitatis theatro, inter alios, tam multi ex Societate patres ſeſe illicò ad peſtiferorum ſubſidium certatim devoverunt, ut fræno potiùs, quàm ſtimulo opus fuerit. Ex quibus teſtantur ſuis litteris ipſi Moderatores, in utraque ſeorſim Provincia ex Patribus pluſquam centenos reipſa in mediam aleam expoſitos fuiſſe. Sed nec frequentia præeuntium funera frequentes terruerunt: adeò ut ex illis in Auſtria quadraginta & unus, in Bohemia quinquaginta, & unus, in Charitatis obſequio vitam poſuerint. Felices animæ! ſive ego vos totidem Martyres incruentos, ſive Charitatis ſupremæ victimas dixero, vos certè proximam martyrio lauream obtinuiſſe, orbis hòdie Chriſtianus meritò gratulatur. Et ſanè in Charitatis tam eximiæ publicam commendationem, datæ ſunt in Vrbem litteræ à ſacris, urbaniſque Magiſtratibus diſertè profitentibus, vel maximum ſeſe, vel totum inter tot mala ſubſidium in operariis illis communi obſequio ſe ubique devoventibus repeririſſe. Hos Operis huius novus Mecœnates, hos Apoſtolicorum virorum in cœlo Patronos, hos futuræ poſteritatis in hac Charitatis paleſtræ Præſides, Tibi in tali prole ter fælix *Germania*, debeti lubentes agnoſcimus.

HInc in Angliam, nobiliſſimum ſemper, nunc recentiſſimum Apoſtolicæ gloriæ theatrum properamus. Annis proximè elapſis, Miſſionariis Apoſtolicis, per Angliam, & Hiberniam, à cuſtodiis, carceribus, exiliis, patibulis, novum, immortale decus acceſſit. Intra ſolam ferè urbem Londinenſem, in palmari cauſa Religionis, ex Societate omninò Octo illuſtres Hoſtiæ, patibulis ſuxiſſæ, & in quatuor partes diſſectæ, vitam ſuam Domino conſecrarunt: Illuſtres, inquam. Hoſtiæ, quibus ad illam immortalis gloriæ lauream Dux ſimul, & Comes fuit ipſe Societatis Anglicanæ Provincialis Thomas Harcotus; aliàs Vvhitebred: atque ex eadem Societate eximii ſanè viri, Gulielmus Vvaringus, Antonius Turnerus, Ioannes FenuviKus, Ioan. Gavanus: & paulò ante hos, Gulielmus, Irelandus, & eo ſecutus Carolus BaKerus, aliàs Leuvis, & Philippus Evanus, hic Cardiffe. Ille IsKæ, An. 1679. eandem lauream pari morte conſecuti fuerunt. Horum omnium in publico ſupplicii theatro vox ſuprema fuit, ſe pro religione Romana, & popularium ſalute, mille ſi haberent vitas lubentes profundere, atque ex animo Regi, ac Regno veram pacem & felicitatem apprecari. Quotum invictam in veritate conſtantiam, atque oris, animique alacritate admirandam, non tantùm Catholici, ſed etiam hæreticis plurimi vndique circumfuſi ſummo plauſu ac præconio excipere. Ac paulo poſt orbis Catholicus,

tholicus, & ipſe ſupremus Antiſtes plauſum hunc latè ingeminarunt. Præter hos fidei pugiles, octo alij ex ſocijs eadem tempeſtate ab Hæreticis comprehenſi, & diriſſimis carceribus confecti in pari cauſa, gloria non impari vitam poſuere? niſi quod illi cruenta carnificis manu, hi incruento carceris ſquallore extincti fuerint. Si tamen fas eſt extinctos dicere, qui ex ipſo obitu lucem accepere omni æuo duraturam.

Abierunt quidem illi ad cœleſtem Cætum tot ſuorum Patrum in illa ſanguinaria palæſtra pridem purpuratorum. Sed & alijs qui ſuperſunt in eadem Miſſione ſocijs, in exilijs, & ergaſtulis, laboris & gloriæ partem non paruam reliquerunt. Nam præter communem ibi Sacerdotibus Catholicis exilij pœnam, habuit aliquid ſingulare Sociorum proſcripto, quod eorum potiſſimum delatoribus certa conſtituta ſint præmia, nouo argumento veteris in illos odij, tanquam in perpetuos Romanæ, ac Pontificiæ authoritatis Aſſertores. Viuant hæc in poſteris vegetæ ac robuſtæ Charitatis exempla: longè enim potentius argumenti genus eſt, pro Charitate vitam moriendo, quam vocem vel atramentum ſcribendo profundere.

AD te nunc tractu non longo, tuo iure properandum HIBERNIA, quæ tot annis inter perpetuas perſecutionum procellas fluctuas ſemper, mergeris nunquam: hoc habes inter alia Conſtantiæ decora cum Nauicula Petri commune. Huius argumentum ignes præbet ipſum anni quo hæc ſcripſit curriculum. Si eo præſules Illuſtriſſimos Corcagienſem, ac Kildarienſem, Religionis Romanæ odio in diuturno carcere Dublini nuperrimè decentos. Prætereo Societatis noſtræ ibi Superiorem Gulielmum ò Rian ex eadem cauſa, eodemque loco per menſes plurimos arctè conſtrictum, ac demum extra Regni fines relegatum, ablegatis etiam aut coactis ſocijs non paucis, & aliorum Ordinum operarijs præcipuis, ac ſtrenuiſſimis: vt ſolent Eccleſiæ hoſtes firmiſſima eius propugnacula fortiùs impugnare.

SEd vos quæ gens, quæ lingua conticeſſet huius Eccleſiæ gemini Pugiles, inter Apoſtolicos Miſſionarios Vertices ſupremi, PLVNQVET & TALBOTE Præſules Illuſtriſſimi? Vos, inquam, qui tot carceres illuſtraſtis, vincula decoraſtis, ac demum illuſtri morte, gloriæ veſtræ coronam impoſuiſtis immortalem, quam in ſequentibus breui ſaltem compendio ſpectandam exhibemus.

Vita, & Mors glorioſa Illuſtriſſimi D. OLIVERII PLVNKETI, Archiepiſcopi Armacani, & Primatis Hiberniæ extremo ſupplicio Londini nuper affecti.

OLIVERIVS PLVNKETVS, ortus eſt ex nobili inter ſuos familia, cui ipſe ſupremum veræ nobilitatis apicem appoſuit, & Primatis dignitate, & mortis gloria: Adoleſcens cum eſſet, huic gloriæ præfulſit in immatura adhunc ætate, præmaturam veræ ſapientiæ deſiderium. Hanc vt acquireret ſecuriùs, extra patriæ ſuæ fines proficiſci decreuit, vt ſolent illius Gentis Adoleſcentes ingenui, qui quam domi adipiſci nequeant, apud exteros inquirunt ſinceræ doctrinæ inſtitutionem, Sapientiæ magis quam Patriæ ſtudioſi. Hos vt ſacros latices purius hauriret Oliuerius, non dubitauit Romam vſque, ad ipſum ſinceræ doctrinæ Fontem proficiſci.

Eſt in Vrbe Romana nationis Hibernicæ Collegium, ab Eminentiſſimo Principe Cardinali Lodouiſio pridem conſtitutum, ac Societatis adminiſtrationi commiſſum. Floret illud hodieque plurimum, & in ipſa Vrbe multum celebratur ab Alumnorum delectum, inſtitutione ac eruditione excellenti, quibus dotibus redduntur paſſim omnibus amabiles, & ſingulari probitatis & modeſtiæ charactere conſpicui. Vnde fit, vt ex eo Collegio hactenus prodierint magno numero Viri illuſtres, ac maximis muneribus perfuncti, qui in patriæ ſuæ Vinea fructus vberrimos protulerunt. In hoc celeberrimum orthodoxæ Fidei Seminarium cooptatus eſt *Oliuerius*, in ſpem non modicam fructus eximij, quem præclara illius indoles promittebat. Et ſanè fructus ille communi expectationi vberrimè reſpondit. Studia in eo Collegio omnia tanto ſucceſſu perfecit, vt Doctoris in Theologia

logia lauream adeptus fuerit, ac poſtea ad eandem Facultatem publicè profitendam in Collegio de Propaganda fide, admotus, vbi munus illud duodecim annis ſumma cum laude exercuit.

Præbuit inter ea diuina Prouidentia occaſionem inexpectatam; per quam acquiſitum tot annis ſolidæ Sapientiæ theſaurum in Patriam ſuam latiùs erogaret. Poſtulabatur à Summo Pontifice Clemente IX. Præſul idoneus, qui Eccleſiam Armacanam cum ſuprema Primatis poteſtate in Hibernia adminiſtraret. Varij varios ad eam dignitatem pro ſuo quiſque ſtudio offerebant. Demum ſua Sanctitas, omnibus pro rei grauitate expenſis, in hanc ſententiam concluſit: Non eſt cur vlterius conſultemus de incertis, quando rem certam ante oculos habemus. En virum probatæ virtutis, conſummatæ doctrinæ diuturnæ experientiæ, in ipſæ Vrbis Romanæ luce omnibus dotibus conſpicuum Oliuerium PlunKetum. Hunc ego Archiepiſcopum Armacanum, hunc ego Hiberniæ Primatem Apoſtolica Auctoritate conſtituto. Nec mora, humeros oneri ſubjicit Oliuerius, manus operi pari alacritate mox appoſiturus. Pergit igitur Apoſtolica auctoritate ac monitis inſtructus, iter in Hiberniam per Belgium inſtituere, vbi cum & Ego tunc Louanij illius alloquio fruitus eſſem, inter primos auctor fuit, vt hoc Opus in Miſſioriorum Apoſtolicorum ſubſidium elaborarem, quo etiam titulo ſingulari, illum ſibi inter primos Patronos vindicare debet.

In Hiberniam vbi pervenit, ibi demum campum animo ſuo & Apoſtolicis laboribus parem inuenit. Auis valeat dicendo complecti, quantùm illi inſudandum fuit, vt plurima in rebus ac moribus iniquitate temporum collapſa reſtauraret. Quantum induſtriæ adhibendum, vt pluribus locis idoneos animarum Curatores præficeret. Quantum laboris exanthlandulum, vt per latiſſimas Vltoniæ plagas, populum illum Romanæ fidei ſemper tenaciſſimum, opportunis vbique documentis, confirmaret. Sed quod omnium maximè arduum, quanta illi vigilantia tot annis incumbendum fuit, vt Gregem ſuum vbique Lupis adinixtum, ab eorum dentibus & erroribus illæſum conſeruaret. Inter hæc indefeſſi Paſtoris officia dum ſtrenuè verſatur; id demum expertus eſt, difficile quam ſit Oues protegere, & Lupos non irritare: & ab ipſis etiam Domeſticis fides inſidias aliquando metuendas eſſe. Hoc habet Hæreſis commune cum conſcientia furijs agitata, quod omnia timeat etiam tutiſſima; ſufficit illi quælibet ſui cerebri ſuſpicio, vt mox ad calumnias, inde ad carceres, & reſtes deueniatur.

Cum igitur alia non ſuppeterent accuſationis capita, adornantur criminationes occultæ quibus hic tam validus Eccleſiæ Romanæ propugnator vel opprimi poſſit; vel extingui. Fingitur cum Curia Romana nimium commercij, & notitiæ; in Aula Gallica auctoritas, & gratia: atque inde externæ poteſtatis inducendæ conatus. Rapitur ergo in vincula Præſul integerrimus, & turris Dublinenſi, ſiue nouæ Portæ, mancipandus traditur, ad die 6. Dec. Ann. 1679. Cum verò ex Tribunali ſiue aduerſo ſupremam ſententiam aſſiduò expectaret, per integrum pœnè annum in eadem Cuſtodia detentus eſt, nulla in ipſum ſententia prolata, certum ſanè probatæ innocentiæ argumentum. Sed vbi ſæuit inuidia, nec ipſa immunis eſt innocentia. Nouæ igitur machinæ, nouumque Tribunal excogitatur, quo nullum Catholico Præſuli infeſtius deputari potuit.

Itaque circa finem Octob. Ann. 1680, Londinum deportatur, atque ibi arcto rurſus carceri includitur, nec famulo quidem proprio ad alloquium admiſſo. In illa cuſtodia totis ſeptem menſibus detentus fuit, omnibus vita ſolatijs orbatus. Sed inſtar omnium erat illi Deus, & Mens rectè conſcia: adeò vt ad fidum Amicorum non rarò ſcripſerit, ſe in illa ſolitudine nactus eſſe, quàm maximè auehat, liberam ſibi, & ſacris ſtudijs vacandi facultatem.

Demum ſub diem tertiam Maij ad fatale Tribunal examinandus adducitur; proferuntur criminationes inanes, quas ſupra retulimus. Repoſuit paucis Præſul modeſtiſſimus: Iniquam eſſe accuſationem: vbi defenſionis locus non datur; ſibi autem a ſua Patria, teſtibus, tabulis, aduocatis longè abducto, omnem defenſionis viam intercludi. Poſt hæc rurſus ad carcerem, ſuo tempore ad iudicium reuocandus dimittitur. Interea Præſulis optimi

mi innocentiam vox communis eloquitur, ſed non auditur : intercedit pro eo Legati Gallici authoritas, & gratia, ſed hæc quoque vt ingrata repellitur : fruſtra demum ipſa perorat æquitas, vbi ex aduerſo fremit accuſantium iniquitas.

Tandem aduenit decretorius dies, quo iubetur ante iudicium tribunal conſiſtere : inermis cum armatis, aduena cum inquilinis, Præſul Catholicus cum iudicibus Catholico nomini infectis in iudicio congreſſurus. Quodque vnum expectandum fuit, vicit demum innocentiam calumnia, vicit æquitatem perfidia, vicit illuſtriſſimam viri virtutem, quæ hanc ſemper ſequitur, & perſequitur inuidia. Profertur igitur feralis ſententia, qua iubetur, vt laqueo ſuſpenſus, & in partes diſſectus extremo perduellium ſupplicio afficiatur. Quanta animi alacritatem hanc ipſe ſententiam exceperit, teſtes mihi ſunt litteræ Præſulis Catholici, qui tunc rebus ipſius intimè præſens fuit, in hanc ſententiam. Teſtatus eſt de le Oliuerius, cum pronunciata in eum eſſet extrema mortis ſententia; nec minimam ſenſiſſe animi perturbationem, nec deinceps vel vnicum quadrantem ſuæ quietis aut tranquillitatis amiſiſſe : quin & nocte ante mortem ſupremæ, adeò placidè ſomnum cæpit, vt cum hora quinta matutina, à quodam excitaretur, vt ad ſupremam luctam ſe componeret, paulò poſt intrepidè reſponderit : Ecce me paratus ſum totus, veniant iuſtitiæ ſatellites, quando ipſis libitum fuerit.

SEd iuuat audire ipſius ſacri Præſulis verba Spiritu Apoſtolico plena ex ipſo carcere poſt latam mortis ſententiam, ex litteris datis Bruxellas ad Virum ſibi vſque ac mortem merito dilectum D. Gregorium Ioyce, D. Gudulæ Canonicum 22. Iunij 1681. Lata eſt, inquit, in me mortis ſententia, quam non timeo, nec quietis mihi quidquam eripit, ſum enim tam liber ab omni conſpiratione mihi impoſita, quam infans vnius diei. Quod ad characterem, profeſſionem, & functionem meam attinet; eam publicè profeſſus ſum : & cum hoc ſit motiuum mortis meæ, morior libenter, vti nunc Præſulum Hibernorum hic primus, ita exemplum, diuina fretus gratia, alijs daturus, talem mortem non formidandi. Sed vnde mihi creaturæ miſerrimæ tantum ſuppetij animorum, cum videam inſtante morte, ipſum Creatorem meum cœpiſſe pauere & tædere? Conſidero ſane Chriſtum ſuo timore ac pauore id meruiſſe, vt ego ſim à timore immunis. Tempus mihi ſufficiens educendi ex Hibernia teſtes negatum fuit: octo diebus ſerios aduenerunt poſt latam in me mortis ſententiam, quam lubens amplector, pro mea profeſſione, charactere, ac functione moriturus. Expecto in dies adduci ad ſupplicii locum, vbi mihi inteſtina extrahenda ſunt, & coram me igne cremenda, & demum caput amputandum. Cupio lubenter diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Condono ex animo, & precor, vt Deus condonet, omnibus qui quouis modo morti meæ cauſam præbuerunt. Ita ille in litteris poſtremis cygnea voce, & ſpiritu verè diuino, morti iam propinque præcinebat.

Die igitur prima Iulij (ſtyl. vet.) extremo ſupplicio conſtituta, humili trahæ de more impoſitus, concurrente hominum multitudine, Tiburnum extra Londinum ad conſuetum ſupplicii locum adducitur, ſpectaculum illuſtre Deo, Angelis, & hominibus futurus. In celebri illo tot Martyrum theatro extremam ſcenam peracturus, conceſſa loquendi facultate, ad populum vndique circumfuſum orationem habuit præmeditatam, & propria manu Anglicè conſcriptam, quam hic ſummatim exhibeo.

A diebus aliquot ante Regio Tribunal examinatus fui, & nunc breui comparebo coram Regum Rege, & Iudice ſupremo, qui nec falſis teſtibus falli poteſt, nec humano reſpectu ſeduci. Reddet enim vnicuique ſecundùm opera ſua præmium, vel pœnam ſempiternam. Hæc cum veritas ſit fidei indubitata manifeſtum eſt; ſi ego in hoc mortis articulo aliquid veritati contrarium declararem, me mox damnationis æternæ ſententiam incurſurum, à qua nulla datur vlterior appellatio. Veritatem itaque ſincerè, atque apertè manifeſtabo, abſque vlla verborum æquiuocatione : mihi certiſſimè perſuadens, nullam eſſe poteſtatem aut in terris, aut in cœlis, quæ mecum poſſit diſpenſare, vt proteſtationem falſam exhibeam.

Vt igitur Cauſa mea orbi vniuerſo clarius

rius

tiùs innoteſcat, obſeruandum eſt, me in Hibernia coram iudicibus perduellionis accuſatum fuiſſe. Verùm dum Accuſatores animaduerterent mihi facilè preſtò futuras tabulas, & teſtes, quibus & eorum nequitiam, & meam innocentiam euidenter manifeſtarem, ſubduxerunt illi ſe, & ad hanc vrbem conuolarunt, vt iudicium ad hoc Tribunal transferrent, in quo & mea perſona, & accuſatorum qualitas, & ſtatus cauſæ incognitus fuit.

Poſtquam hic per ſex circiter menſes arcto carceres detentus fui, tandem ad diem tertium menſis Maij accuſationes in Hibernia pridem allatæ. Hic coram alijs iudicibus rurſus inſtauratæ fuerunt. Factum ſanè rarum, & peregrinum, vix à quingentis annis viſum. Sed cum mihi paucæ ſeptimanæ conceſſæ fuiſſent pro teſtibus, & tabulis adducendis, quæ ex partibus varijs longinquis, & vltramarinis tam breui tempore expediri non poterant, duodecim vlterius dies pro iudicij prorogatione poſtulaui, qui mihi denegari fuerunt. His igitur deſtitutus, & manibus ad defenſionem quaſi ligatis, in iudicium protractus ſum, & hominibus periuris expoſitus, qui in vitam meam omnio ſtudio collimabant.

Capita Accuſationis ſummatim fuerunt, de litteris miſſis ad Pontificis Secretarium, & quoſdam alios, vt externos Principes ad Hiberniam inuadendam ſollicitarent: de alio ablegato ad Regem Galliæ, de ſubſidijs à Clero in eum finem poſtulatis: de ſeptuaginta millibus hominum ad talem expeditionem comparatis: de inſtitutis ad hoc varijs conuentibus, & quidem ſemel à decem vel duodecim annis, trecentorum nobilium, vt ſumptis armis poſſeſſiones ſibi ereptas recuperarent.

Cum horum Singulæ nullam habere veritatis ſpeciem; & mera eſſe figmenta ad calumniandum excogitata, manifeſtum feciſſet: Demum proteſtatus eſt coram Deo, & per ſalutem æternam, ſe nunquam iſtiuſmodi litteras, agentes, aut ſollicitationes ſiue in Vrbem, ſiue in Galliam, aut alio quouis modo deſtinaſſe, nec ea ſibi vnquam in mentem veniſſe: imo ab omni rebellione etiam minima contra Regem, & Patriam ſemper toto animo abhorruiſſe. Denique tam apertè ridiculum eſſe tanti exercitus apparatum, vt ipſe cum Catholicis ſibi addictis, ægrè poſſit vel mediam legionem ſuſtentare idque cuiuis rerum non prorſus ignaro luce meridiana clarius parere.

Atque, inquit, ut magis appareat quam ſincero ſolius veritatis amore, hæc ego moriturus atteſtor, vobis hic palam notum facio, ex præcipuis Magnatibus vnum curaſſe mihi declarari, *ſe vitam mihi conſeruaturum, ſi alios vellem accuſare*. Cui diſertè profeſſus ſum, me nullius vnquam conſpirationem nouiſſe, & vt vitam hanc moralem ſeruarem, me nolle quemquam falsò accuſare, cum præiudicio meæ ſaluris æternæ, quod minimè deceret meam perſonam, aut quemlibet virum Eccleſiaſticum profeſſionis Romanæ.

Hoc demum palam profiteor, me in Hiberniam exercuiſſe functiones Prælati Catholici, ac conatum fuiſſe tam prædicando, quam docendo, adducere Clerum, & gregem mihi commiſſum ad normam, & mores ſuo muneri competentes: in quo ſi aliquid mihi acquiſitum ſit inuidiæ, meminiſſe debeo, in Collegio Apoſtolorum aliquem etiam Iudam extitiſſe. At ego cum lapidato Stephano pro Accuſatoribus meis toto animi affectu precor, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Nec minus oro pro meis Iudicibus, & aliis qui quocunque modo morti meæ cooperati fuerunt. Veniam viciſſim ſupplex depoſco ab omnibus, quos ego in mea vita verbo, aut opere vnquam offendi.

Rogo inſuper Diuinam Maieſtatem, & Omnipotentiam, vt concedat Regi noſtro, Reginæ, Duci Eboracenſi, ac Regiæ familiæ vitam diuturnam, omnemque proſperitatem in hoc mundo, & in altero felicitatem æternam.

Ad extremum, vti meam innocentiam in criminibus mihi obiectis ſatis manifeſtam feci, vtinam pari facilitate paſſim me eximere ab omni reatu contra Maieſtatis diuinæ præcepta, quæ ex toto corde doleo me ſæpius violaſſe: firmiſſimèque ſtatuo ac propono tua (mi Deus) fretus gratia, & ſi annos mille vitam protraherem, diuinam me bonitatem nunquam offenſurum. Tuamque rogo Maieſtatem infinitam per Chriſti merita, perque interceſſionem ſanctiſſimæ Matris, omnium

niumque Angelorum ac Sanctorum, ut mea mihi peccata remittas, & hanc animam meam ad requiem recipias ſempiternam.

HAEc cum ingenti ſpiritu ac pietatis ſenſu proteſtatus fuiſſet univerſa, & manu ſua ſubſcripta reliquiſſet, conſuetam ſubiit carnificinam, laqueo primum ſtrangulatus, capite dein amputato, & corpore in quatuor partes diſſecto. Corpus ut honeſto ritu ſepeliretur Rex conceſſit, qui fertur de ipſius morte non modicum ſenſum habuiſſe. Populus certè undequaque circumfuſus ſummo animorum ſenſa ipſius innocentiam, Chriſtianam conſtantiam, & incredibilem mortis contemptum ita deprædicavit, ut plurimi palam affirmaverint, etſi ad annos centum vixiſſet, nunquam ſibi, Deo, Patriæ ſuæ, ac Religioni Romanæ tantum gloriæ conſequi potuiſſe.

Rodat ſeſe infelix invidia, vt Innocentiam opprimat: conſpiret hæreſis, ut fingat Conſpirationes: ſumma Eccleſiæ capita in odium fidei violenter excutiat: ſed vel ſic ipſa conteret caput ſuum. Vera namque Chriſti Religio, uti ab incunabulis inter inſidias crevit, inter inſectationes adolevit, ſic per eadem de Invidia & Hæreſis latius ſemper triumphabit.

Vita & mors beata Illuſtriſſimi Domini Petri Talboti, Archiepiſcopi Dublinenſis in Hibernia, in Cuſtodia Dublini nuper obita.

PEtrus Talbotus, familia fuit illuſtris in vitæ exortu, illuſtrior in progreſſu, illuſtriſſimus in occaſu, Originem duxit ex nobiliſſima ſtirpe Comitum Salopienſium in Anglia, poſtea in Hiberniam propagata, ubi illius majores in Equeſtri ordine variis muneribus claruerunt, & quod clariſſimum eſt, in Religione Catholica ſemper conſtantes extiterunt. Adoleſcens doctrinæ ac virtutis deſiderio impulſus in Luſitaniam profectus eſt, ubi litteris operam dedit annos ſalutis 1635. ætatis ſuæ anno 15. Ad ſuperiora alacri conſtantia progreſſus, Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia inſigni profectu emenſus eſt ſub diſciplina Societatis partim in Luſitania, partim Romæ, ubi & ſacris Ordinibus initiatus fuit. Inde reverſus in Luſitaniam, & paulò poſt progreſſus in Belgium, Aulæ Anglicanæ ea tempeſtate illic cum Rege reſidenti charus, & opportunus exrit. Non multò poſt tam Regis, quàm Religionis per quàm ſtudioſus in Angliam porrexit, ubi demum inter Reginæ Eleemoſynarios cooptatus, munus illud ſingulari cum laude & integritate exercuit. Poſt aliquot annos in Hiberniam commigravit rei Catholicæ in conditione privata operam navaturus: Sed illius conſpicua virtus, ac doctrina ſingularis non potuit diu ſub modio latere, quæ etiam ſcriptis pro re Catholica in lucem editis reddita eſt ubique illuſtrior. Replevit viri fama jam pridem Angliam, colluſtravit Hiberniam, in exteris quoque Regnis inclaruit, ac tandem ad Romanam etiam Aulam eius ſplendor emanavit. Hinc Sede illa vacante multorum votis poſtulatus, à Summo Pontifice Clemente IX. Archiepiſcopus Dublinenſis creatus fuit, & Gandavi in Belgio conſecratus.

Inter varias temporum procellas Gregem ſibi commiſſum Paſtorali ſollicitudini & vigilantia curavit, ac protexit. Sed dum oves proteguntur, Lupi Paſtorem invadunt. Periculum ab his adeò increvit, ut maluerit ſe ad tempus ſubducere, quam nocituras Gregi turbas ſua cauſa concitari. Itaque cedens tempori ſe in Gallias recepit, Pariſiis ab omnibus in honore habitus. Sed nec ibi deſtitit Eccleſiam ſuam litteris & aptis pro tempore documentis à longè adminiſtrare: inter quæ extat, Epiſtola Paſtoralis ad Catholicos in Hibernia de officio, & ſolatio patientium ſubditorum, typis tradita Pariſiis anno 1674. Nec deſunt alia eiuſdem opera diverſis temporibus edita: De Natura fidei &, hæreſis, Antuerpiæ Ann. 1657. Politicorum Catechiſmus ad hos Inſtruendos divina fide & morali honeſtate, ibidem Ann. 1658. De nullitate Eccleſiæ Anglicanæ Proteſtanticæ, Bruxellis Ann. 1658. Tractatus de Religione & Regimine Gandavi, Ann. 1670. Hiſtoria Iconoclaſtarum, Pariſiis Ann. 1674. &, alia contra Stillingfletum & Albium ibidem impreſſa.

Poſt aliquod temporis intervallum, mitigata potius quam ſedata tempeſtate, in Hi-

in Hiberniam regreditur, ubi Eccleſiæ ſuæ negotia componere, Catholicos confirmare, Hæreticorum artes eludere omni ope conatur. Verum ægri horum oculi diu lucem ferre non valent. Odioſa illis erat viri induſtria, ſuſpecta auctoritas & gratia: hinc, ut fit, quod quiſque formidat, id aboleri deſiderat. Inſtituuntur igitur in tribunali hæretico accuſationes occultæ, ſuſpiciones invidioſæ, & cæteræ artes opprimendi iuſtum ſuis operibus contrarium: maximum denique in hoc iudicio crimen Catholici Sacerdotis doctrina, nomen, officium, authoritas. Demum præſul optimus, & conſcientiæ bonæ teſtimonio confiſus, ab impiis ſatellitibus ex improviſo comprehenditur, & ad publicum carcerem innocens damnatur. Hic quidem tenebatur ſtrenuus Chriſti athleta diuturna cuſtodia arctè concluſus, ſed paſtoralis animi libertatem non cuſtodes, non carceres, non vincula ſtrinxere, ſuorum magis, quam ſui ſollicitum.

Interea dum hæretici Tribunalis ſententiam (quæ plerumque feralis eſſe ſolet) per plures menſes magna animi æquitate expectat, corpus animo impar gravi infirmitate concutitur. Luctatur Chriſti miles cum morbo corporis, cum prædore carceris, humanis præſidiis magna ex parte deſtitutus. Solum ſupererat magnæ mentis, & innocentiæ ſolatium. Tandem per hanc carnificinam tam multiplicem ac diuturnam mortem, quam ſecuris non attulit in ſatellitum cuſtodia ſecurus invenit, eò demum translatus, ubi legitimè certantibus promiſit Dominus coronam iuſtitiæ.

At vivet in perpetua poſteritatis memoria, vivet in æterno Beatorum Præſulum cætu, Præſul Illuſtriſſimus, cui glorioſi certaminis lauream, nullæ hominum iniuriæ, nullus Hæreſis aſtus, aut invidia ſurripere poteſt. Falleris nimium cæca crudelitas: quidquid agas, quidquid moliaris, ſemper fuit, ſemper erit ſanguis Martyrum ſemen Chriſtianorum. Huius documentum tot ſæculis dedit ac datura eſt, fida ſemper Deo, ac Regi Hiberniam.

EPILOGVS.

Vobis quos recenſui univerſis, Apoſtolici Pugiles, vobis in cœlo Patronis non tantum huius Operis exigua moles, ſed Europa ſimul tota gratulatur. Triſtem in vos, ac cruentam machinata eſt Hæreſis tragœdiam: cruentam conſequi potuit, triſtem non potuit. Obſtupuit ipſa Impietas frontis lætitiam, mentis conſtantiam, & ipſum ferale pegma, in theatrum honoris converſum. Excepit plauſum mortis, exordium vitæ, inter læta in cœlis trophæa ſemper duraturæ.

LAEtare & tu forte tua, tot fidei Pugilum fœcunda ſemper parens *Anglia*. O quot hactenus Eccleſiæ, & Cœlo Machabæos una peperiſti! Sed adhuc nec fracta, nec ſterilis, nec effeta, novæ ſemper gloriæ, novam ſobolem adminiſtras. Creſcunt tibi ſub Hæreſi ferro armata anni luctus, & dolores, ſed nec minus accreſcunt cum meliori fœnore novi ſemper monumenta decoris. Cernis quidam ſub carnificis manu cladem non raram charorum pignorum, ſed quot ſpectas funera, tot numeras trophæa. Patri noſtri, neſci ſuperati: premi ſuſtines, nunquam opprimi: lacerari potes, ſed ſine funere: concidi potes, ſed ſine vulnere: quin ab ipſo cædentis ferro altius aſſurgit tua laurus & victoria. Hæc tibi Palæſtra quamvis cruenta, adeo nunc in gloriam verſa eſt, ut nunquam in ea ſine triumpho decentes. Ter fælix *Tiburnum*, tot, tantorumque triumphorum illuſtre theatrum. Non ego te dicam cruentum ſupplicii locum, ſed lacteam ad cœlum viam: non funeſtum mortis ſepulchrum, ſed glorioſum vitæ exordium, non triſtè Calvarium, ſed campum Elyſium.

Hæc tua rurſus gloria eſt, tali prole ſœlix *Anglia*, & tuæ gloriæ conſors *Hibernia*. Fœlix inquam, Anglia, non vacto mars imperio, non opibus ab orbe extremo aduectis, non claſſibus vinci neſciis, non candidæ pacis beato otio: ſed potiùs purpureis tot Pugilum tuorum triumphis, orbe toto, cœloque celebratis.

Spectat quidem è propinquo *Hibernia*, tot cognatæ Gentis cruenta, & glorioſa certamina, ſed ipſa nec incruenta, nec in gloria. Offert illa ſeſe non Anglicæ potentiæ, non opum, non Imperii æmulam, ſed Catholicæ Conſtantiæ Sociam ac conſortem. Habet illa domi aſſiduam patiendi Palæſtram; habet non rara tuendæ Fidei cum infidis certamina.

na. Ambit tamen adhuc nobiliſſimum illud *Tiburni* theatrum, & in eo tot recentia ſacrorum Pugilum veſtigia. Hæc ut illa ſuo quoque ſanguine condecoraret, Athletam ex ſuis non ſudem, non ignobilem, ſed ſupremum Sacræ militiæ Præſidem ac Primatem tranſmiſit. Quanto ille animi robore, quam invicta fide & conſtantia ſcenam illam peregerit, nos pro viribus ſupra exhibuimus, nec ulla deinceps Gens, aut lingua conticeſcet.

Sed nec adhuc hi ſacri Pugiles pedem ex arena retulerunt. Vivunt etiamnum, & in poſteris ſpiram novi Oliverii, novi Hærcotti, qui priorum exemplo non fracti, ſed roborati; non territi, ſed animati, indictum Hæreſi bellum fortius inſtaurabunt. Non deſunt porrò Germaniæ ſuæ Aquilæ, non Angliæ, non Hiberniæ ſacri Leones, qui Chriſti Eccleſiam tueri non deſiſtent. Fortia quidem ſunt Hæreſi, arma, enſes, reſtes, cataſtæ, ſed ſecures. Sed fortiora ſunt Fidei Clypeo munita pectora: hæc enſes in lauros, reſtes in torques pretioſos, ſanguinem in purpuras, ſecures in coronas convertent. Hæc ab exordio militantis Eccleſiæ experta eſt Impietas, hæc ætas noſtra recentibus jam exemplis toties comprobavit, nec ab his ſe degenerem ſera poſteritas exhibebit. Ita vovet qui ſupra.

Cliens Humillimus
RICHARDVS ARSDEKIN,
Soc. IESV in Provincia Flandro-Belgica
Hibernus KilKenienſis.

620654